This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

WIDENER LIBRARY
HX J8T3 N

Ital 4838.1.6

SIGILL: COLL: HARVARD: CANTAB: NOV: ANGL: 1650.
CHRISTO ET ECCLESIAE

BOUGHT WITH
THE INCOME FROM
THE BEQUEST OF
CHARLES MINOT,
OF SOMERVILLE,
(Class of 1828,)

16 May, 1861.

ECCLESIÆ VENETÆ
ANTIQUIS MONUMENTIS
NUNC ETIAM PRIMUM EDITIS ILLUSTRATÆ
AC IN DECADES DISTRIBUTÆ.

AUTHORE
FLAMINIO CORNELIO
SENATORE VENETO.

DECAS SECUNDA, ET TERTIA.



VENETIIS,
MDCCXXXXIX.

Typis Jo: BAPTISTÆ PASQUALI
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

~~III. 1081~~
Ital 4838.1.6

1881, May 16.
Minot fund.

PRÆFATIO.

AD operis hujus laborem alacriter ſuſcipiendum, ut in Prœmio Decadis primæ aperte profeſſus ſum, duæ potiſſimum, eæque graviſſimæ cauſæ impulerunt. Prima quidem ut Eccleſiaſtica Urbis hujus luculentiſſima monumenta, quæ mihi ſtudioſe inquirenti invenire contigerat, a temporum oblivione, & injuria vindicarentur; ſimulque iis perpetuitas præli ope tandem aliquando adderetur: altera vero ut Eccleſiarum Præſidibus ſtimulos admoverem, ne ea diutius latere ſinerent, quæ in lucem protracta Eccleſiis ſuis ornamento, interdum etiam præſidio eſſe poſſent. Atque illud quidem, quod totum in me erat, obtinui; quamquam ex virium mearum imbecillitate, quam non diffiteor, non habeam, cur in eo me magnifice efferam. At hoc ſecundum vix non omnino ſucceſſu caruit. Pauca quædam allata ſunt mihi, nec magni certe ponderis: quod ex documentorum inopia factum arbitrari malim, quam ex illaudabili inertia, quæ incendia pleno ore ſemper prætexat, ut laborem excutiendi veteres chartas devitet.

ITAQUE novi mihi operoſiores conatus exerendi fuerunt, ut quo cæperam pede proſequi poſſem. Non me tamen deterruit immanis labor, quem fecit levem, & recreavit ea mihi jucunda cogitatio, quod D. O. M. ejusque Sanctorum gloriæ inſervirem, quod Patriæ meæ decus conciliarem, quod denique mea hæc qualiacumque ſint a viris pietate æque ac litteris præſtantibus non inutilia judicari ſæpius audirem. Igitur ſecundam, & tertiam Decadem concinnavi; in quibus ita complexus ſum Eccleſias, quæ ſacris clarioribus monumentis abundant, ut iis alias admiſcerem, quarum tractatio brevis eſt, & exuta, cum nihil ſcitu dignum de iis ad noſtra uſque tempora occurrat. Hoc eo conſilio præſtiti, ut rebus ita attemperatis minime cogerer in operis fine levia multa congerere, quæ Lector invitus exciperet, dum interim hac illac diſperſa, atque opportune inſerta non illibenter, ut audio, ſuſcipiuntur.

Neque vero quiſquam mihi ſuccenſeat quod Plebanorum ſeriem Parœciis addiderim. Laborem hunc Viri alii clariſſimi adorti ſunt, eorumque telam, qua deficiebat, implevi: ut quam ex hoc utilitatem profecturam ipſi ſperabant, Eccleſia Veneta tandem colligeret. Nimirum quicunque Urbis noſtræ indolem novit, non ille ignorat, Eccleſiarum Paſtores pene ita ſe habere ad Parœciam quiſque ſuam, ut Epiſcopus ad propriam Diœceſim. Capitulo & clero præſunt, gregem ob populi frequentiam multis hominum millibus copioſum habent, & ab eo in ſuffragia eunte, ut olim Epiſcopi, deliguntur, quod caput eſt, privilegiis neque obſcuris, neque mediocribus in utroque foro præſertim Eccleſiaſtico utuntur. Jam vero ex eorum chronologica ſerie nemo non videt quam perfici poſſit Eccleſiæ, cui præſunt, hiſtoria. Rurſus quam ex hiſtoria Eccleſiæ cujuslibet perfecta perficiatur integra Venetiarum Eccleſiaſtica hiſtoria. Dum enim ſingulæ partes in melius conformantur, neceſſe eſt etiam totum, quod inde reſultat, ſecundum numeros omnes compleri. Quid quod alii, atque alii ex Venetis Plebanis morum integritate, doctrinæ præſtantia, infularum etiam ſacrarum dignitate claruerunt, vel aliquid tale ediderunt, unde poſſint partes hiſtoriæ adhuc ſubobſcuræ luce meliori donari? Denique illud vel maxime mihi negligendum non fuit, quod plurimis Patritiis Familiis pro veterum temporum conditione non mediocre attulit ornamentum: Ex earum ſcilicet ſinu prodierunt Plebani bene multi, quorum virtutibus addita ſanguinis claritas eos apud populum mirifice commendavit.

Hic tamen monitum Lectorem velim, in iis illuſtrandis me ſolum immorari, qui vitæ ſanctimonia piiſque moribus commendabiles fuerunt; quod pariter mihi propoſui & conſtanter præſtabo reſpectu eorum, qui in Venetis Cœnobiis Religioſum aliquod inſtitutum profitentes cum ſanctitatis & integerrimæ vitæ laude vixerunt. Cur enim perſequar doctrina & litteris eximios, quum in lucem quam primum prodibit Eruditiſſimi Viri Marci Foſcareno Procur. egregium hac ſuper re opus, quod bonarum artium amatores, dudum avidiſſime expectant? Adde Litteratorum hominum Urbis hujus vitas, quas labore incredibili, & ſolerti ſtudio contexit Pater Joannes de Auguſtinis Ordinis Minorum de Obſervantia Cœnobii Sancti

Fran-

Franciſci a Vinea Bibliothecarius. In eorum conatibus omnia accuratiſſime ſuppeditantibus Reſpublica Litteraria habebit, ubi conquieſcat. Mihi interea ſat eſt, quæ ad Dei gloriam, & Patriæ decus conferre poſſunt, pro virium mearum tenuitate colligere, & exhibere, tum Venetæ Hiſtoriæ Sacræ aliquam lucem afferre, quod toties profeſſus profiteri adhuc non deſinam. Hoc etiam mihi ampliſſimæ mercedis loco erit, ſi opera Dei humili calamo revelare, aptoque modo concedatur Divinæ Providentiæ benignitatem extollere, quæ licet ſit *magna in magnis*, *mirabilia tamen operatur in minimis*. Quis enim vero admirabilem in viis ſuis Divinam Providentiam non agnoſcat, dum humilis Virginis omni prorſus humano præſidio deſtitutæ animum ad Monaſterii fundationem excitat, atque per diuturnæ expectationis patientiam ad Divinæ Promiſſionis complementa diſponit, adverſoſque ſæcularis prudentiæ conatus in operis adjumentum convertit? Quis Dei Omnipotentis diſpoſitionem non fateatur, dum Venetas Sanctimoniales alibi ad excitandum Aſceterium digreſſas non multo poſt in patriam ex bellorum tumultu reduces intuetur Monaſterii & numero Sanctimonialium, & virtutum merito clariſſimi exordia diſponere? quis denique opus Dei non miretur, dum inopem deſpectamque Virginem cernit impudicitiam in ſuis caſtris adortam locum inhoneſtæ Veneri devotum in illuſtre Parthenium convertere? opus plenum ſane laboris & difficultatis, ſed Dei favente clementia mire perfectum?

Divinæ etiam Voluntatis manifeſtantur conſilia, quæ luctuoſas temporum vices ad morum reformationem, vel religioſæ familiæ in eodem Monaſterio commutationem opportune adhibuerunt. Ad hiſtoriam quod attinet, dum vetera monumenta profero, eaque ſincera, & authentica, quæ deplorabili fato interciderent, quis non videat Diſciplinam Eccleſiaſticam, quæ Venetiis maxime floruit, illuſtrari? Exemplo præ cæteris ea ſint, quæ in Eccleſia Sancti Cantiani producuntur de Mulieribus (vulgo Recluſæ) prope Templa degentibus; ubi rigidam vivendi normam profitebantur, cujus vitæ ſpecimen aliquod Synagoga vetus exhibuit, ut eruditiſſime notat Caniſius de Sanctiſſima Vidua Anna, quæ Templo deſerviebat non in ſacrificiis, & oblationibus, ſed in orationibus, & jejuniis.

ADDE paternam Summorum Pontificum ſollicitudinem, ac munificentiam, qui nunquam defuerunt, quoties actum eſt de pio loco Venetiis, vel extruendo, vel augendo, vel redditibus locupletando. Hujusmodi documentis ſi Viri alicujus Critica ſeligantur, & inter ſe comparentur, poſſunt abunde diteſcere tum univerſalis Eccleſiaſtica hiſtoria, tum Romani Bullarii immane opus, ſi quando recudatur. Faxit Deus, ut, quod mihi propono, in gloriam ſuam, noſtræque patriæ ſacrum decus, & ornamentum iſthæc omnia recidant.

INDEX

PRIMÆ DECADIS.

MOnaſterium S. Mariæ Ordinis Servorum B. M. V. Pag. 1
Monaſterium S. Hieronymi Doctoris. 105
Eccleſia Parochialis S. Martialis Epiſc. & Conf. 153
Eccleſia Parochialis S. Felicis Conf. 159
Eccleſia Parochialis S. Sophiæ 164
Eccleſia Parochialis S. S. Apoſtolorum. 169
Monaſterium Sanctæ Mariæ olim Cruciferorum nunc Societatis Jesu. 173
Eccleſia Parochialis S. S. Cantiani & Soc. Mm. 198
Eccleſia Parochialis S. Mariæ Novæ. 231
Eccleſia Parochialis S. Joannis Chryſoſtomi. 235

INDEX
SECUNDÆ DECADIS.

Monaſterium & Eccleſia Parochialis Sancti Salvatoris. Pag. 243
Eccleſia Parochialis S. Mariæ Matris Domini. 300
Eccleſia Parochialis S. Pauli Apoſtoli. 309
Eccleſia Parochialis S. Thomæ Apoſtoli. 326
Eccleſia Parochialis S. Pantaleonis M. 341
Eccleſia Parochialis S. Stephani C. 374
Eccleſia Parochialis S. Auguſtini Epiſc. & Doct. 379
Eccleſia Parochialis S. Ubaldi Epiſc. 384
Eccleſia Parochialis S.S. Euſtachii & Soc. Mm. 388
Eccleſia Parochialis S. Caſſiani Epiſc. Mart. 393

DE
MONASTERIO
S. MARIÆ
ORDINIS SERVORUM B. M. V.

UT clariſſimus Servorum Mariæ Ordo, qui jam per Beatos ſeptem viros Florentiæ inſtitutus Divi Philippi Benitii meritis, & ſtudio per Italiam aliasque Europæ Provincias ſeſe diffuderat, in inclyta etiam Venetiarum urbe ſedem haberet, Petrus de Tuderto octavus ejusdem Ordinis Generalis Magiſter religioſos viros anno milleſimo tercenteſimo decimo quarto Venetias miſit, fore confidens, ut Cives quorum eſt perſpecta erga Deiparam pietas, ejusdem Servos humaniſſime exciperent ſacramque Ædem ubi Virginis laudes celebrarentur, prompto libentique animo excitarent. Non hæc eum fefellit opinio, nec ſpes irrita ceſſit.

Fratrum adventum, & Monaſterii fundationem enarravit Archangelus Gianius Florentinus ejudem inſtituti in Florentina Univerſitate Sac. Theol. Magiſter Tom. I. Annalium lib. VII. cap. IX. attamen in hac enarratione vir cœteroquin laudatiſſimus minus eſt attendendus, ſiquidem ex loci longinquitate, ex monumentorum defectu, ex æquivocis etiam nominum, & re-

rum notis ac ſignis plurima a vero aliena concinnavit: Joannem enim Avantium quem Patritium Lucenſem renuntiat, atque inter Venetos Patritios cooptatum, aſſerit in propriis ædibus Monaſterium ædificaſſe. Hæc ejus ſunt verba:

„ Interea Petrus Generalis, ut Ordinem apud Venetos extenderet, potiſſimum vero in ampliſſima eorum Metropoli pulcherrima, opulentiſſima, celeberrima, ſtructuræ admirabilis Virum pium, & munificum reperit Joannem de Avantiis Patricium Lucenſem, qui ob varias Patriæ ſuæ vices inde recedens una cum pluribus aliis Concivibus, prout refert Franciſcus Sanſovinus, ubi de rebus Venetorum, Venetias conceſſit. Quia vero cum illis eo appulere plures etiam ex eadem Patria ſericorum Textores, perbenigne ab ampliſſimo illo Senatu excepti, quandam Urbis partem tenuere, ibique ædes a fundamentis excitarunt, quæ deinceps *Mondo Nuovo di Toſcana* vulgo dicta fuit, quemadmodum hujusmodi Textores hactenus Etruſci dicuntur. Cum igitur ibi Oratorio, ac ſepulturæ ædificandis pro ſuis Familiis plusquam triginta eam partem colentibus animum ſerio omnes adjeciſſent, & Petrus prædictus interim ex induſtria aliquot e ſuis Fratribus illuc ideo transmiſiſſet, ut nacta opportunitate in ampliſſima & florentiſſima illa Urbe Cœnobium Ord. noſtro erigeretur, Joannes præfatus una cum aliis quibusdam Patriciis Lucenſibus inter Optimates Sereniſſimæ illius Reip. cooptatus, Fratres illos, qui Venetias advenerant perhumaniter excepit, quinetiam grandævus, & opibus affluens in propriis ædibus Cœnobium ad honorem B. M. V. cui fuerat jamdudum addictiſſimus a fundamentis anno 1316. erigendum curavit, clariſſimo Senatu, & Patriarcha comprobantibus.

Hæc omnia, quæ ex parte rurſus depromit, ubi de Vitale Avantio Bononienſe, Decimo Ordinis Generali Magiſtro verba facit, fallaciis & commentis ſcatere plane evincitur ex antiquis documentis, quæ laudabili diligentia ex Archivii Veneti latebris eruta apte diſpoſuit Joſeph Maria Bergantini, meritiſſimus Ordinis Provincialis, & in critica arte mire eruditus.

Venetias itaque appulſi Fratres Ordinis Servorum quamvis ob integritatem vitæ, morumque ſanctimoniam omnium in ſe civium oculos excitaſſent, & animos mirifice conciliaſſent, atta-

attàmen ſuperno Numinis nutu factum eſt, ut a nemine reciperentur, donec *Joannes Avancii Venetiarum Civis eos pro animæ ſuæ remedio* gratioſe ſuſcepit, & *locum fundavit*. Talem loci fundationem exhibet antiqua marmorea epigraphes, tertio ab exſtructione Cœnobii anno marmori inſculpta juſſu ejusdem ſupralaudati Petri Generalis, qui in Comitiis Ordinis Generalibus Venetiis habitis anno MCCCXXI. ſtatuta Miſſarum ſacrificia quotidie pro tanto benefactore litanda, in grati animi monumentum una cum capitulo generali decrevit.

Anno Domini MCCCXVI. Cum Ven. Pater Fr. Petrus Generalis Prior Ordinis Servorum Sanctæ Mariæ miſiſſet Venetiam Fratres ut locum ſui Ordinis in dictam Civitatem conſtruerent, & neminem qui eos reciperet invenirent.

Vir diſcretus & Nobilis D. Joannes Avantii Venetiarum civis eos pro animæ ſuæ remedio gratioſe ſuſcepit.

Et locum iſtum fundavit, ac eis temporalia largiter miniſtravit, quare ſupradictus Pater Generalis pro tanti beneficii recompenſatione ſtatuit, ut in dicto Conventu duodecim fratres Sacerdotes pro ejus anima ſpecialiter celebrarent, ut in vita ſua dicant miſſas, quæ ſunt vivis, & poſt mortem, quæ ſunt mortuis deputatæ. Et ne hoc poſſit per ſucceſſorem aliquem irritari.

Ipſe Prior Generalis cum diffinitoribus, & toto capitulo An. Domini MCCCXXI. Venetiis celebrato mandavit ac per conſtitutionem obſervandam perpetuo roboravit, & in ſempiternam rei memoriam præcepit in lapide ſculpi, & in Sacrario vel ubi plus decens fuerit collocari.

Ex ſuperius relata inſcriptione manifeſte inſtruimur Joannem Avantium (quem Gianius Lucenſem & quidem Patritium dicit) Civem Venetum fuiſſe, locumque fratribus (attamen non in ſuis ædibus) gratioſe fundaſſe. Concordant optime documenta, ſiquidem cum nullibi inveniatur Joannem Avantium nec patria, nec genere Lucenſem fuiſſe, in plurimis iisque autographis inſtrumentis legimus Venetum Civem nuncupatum *Joannes de Avantio de Venetiis*, ex iis redditur Urbi noſtræ erepta perperam tanti Filii gloria. Talem ipſe quoque ſe fatetur in ſuo Teſtamento manu Presbyteri Marci Vendelini Not. Veneti rogato anno Domini 1325. ad cujus executionem evocati Judices Curiæ Procuratorum lata ſententia ad diem 2. Apr. anni 1326. per manus Petri de Rubeis S. Caſſiani Eccleſiæ Plebani, ejusdem Curiæ Notarii exarata ipſum *Civem Venetum recolendæ memoriæ Virum* appellarunt: „ Diſcretus, & recolendæ memoriæ vir dominus Joannes de Avan„ tio Venetus Civis de confinio S. Mariæ Formoſæ.

Nec inter Patritios Venetos una cum aliis Lucenſibus familiis adnumeratum fuiſſe ullo pacto dicendum eſt; ſiquidem quinquaginta circiter annis ab obitu Joannis evolutis anno nempe 1387. familiæ Lucenſes Patritiorum albo adſcriptæ noſcuntur. In Chronica, quæ de familiis popularibus Venetiarum agit extatque apud Cl. Virum Marcum Fuſcareno Equitem, & Divi Marci Procuratorem, Gens Avantia Neapoli originem trahens inter familias enumeratur, quæ ante celebrem Conſilii majoris reductionem anno 1297. peractam in ipſo conſederat; utrum ex ea genus duxerit Joannes noſter, incompertum.

Pius itaque vir qui non in Divi Martialis Parœcia, ſed apud Sanctam Mariam Formoſam paternas incolebat ædes, ut ex pluribus patet inſtrumentis, advenas fratres eorum inopiam miſeratus benigne ſuſcepit, atque Procuratorio nomine ut fundi jus ad ædificationem monaſterii aquirerent, conſilio & ope egregie juvit. Hæc ex quodam codice deducta ſunt, cui titulus *delle memorie*; in quo ſummo labore omnia documenta ad Monaſterium ejusque redditus attinentia anno 1554. collegit Jacobus Milo Sacræ Theologiæ Profeſſor ejusdemque Cœnobii amantiſſimus alumnus. *Eſſendo venuti li Frati de' Servi nell'* 1316. *in Venetia per fondar e fabricar il Convento, comprorno da Miſſier Andrea Taiapiera una Caſa, e proprietà in confin di S. Foſca.... E queſta proprietà fu compra per lire* 750. *le quali furono tolte per Miſſier Giovanni Avancio dalli Sig. Procuratori di S. Marco.*

Cohærent optime ſupradicta cum ſæpelaudati Avantii teſtamento in quo inter cætera ſtatuit: *Volo & ordino quod prædictum Monaſterium, & Conventus nihil habeat de ipſis* legatis, " niſi prius
„ ſolverint, vel pacificaverint Procuratoribus S. Marci de libris
„ ſeptingentis, & quinquaginta, de quibus ego feci duas chartas
„ prædictis Procuratoribus pro ipſis fratribus, ita quod faciant
„ dictas *chartas infringere, & adnihilare*. Bona autem legata Monaſterio hæc ſunt in ipſius Teſtamento recenſita. " Omnia &
„ ſingula territoria, domos, & nemora poſita in contrata Rivoli, & in Sparcenigo, & in Bruſnegola diſtrictus Tarviſii,
„ & clauſuram, quæ eſt ad portum verſus S. Ambroſium, & nemora, & territoria de Lugagnana poſita verſus S. Helenam,
„ & quintum unum domorum poſitarum in civitate Tarviſii.

Opportuno itaque ſitu ad Monaſterii ædificationem comparato atque inde elargita per Bonaccurſium *Jacobi electi* Caſtellani Epiſcopi Vicarium facultate die xvi. Junii anno 1316. publicum Oratorium conſtruendi (A) civibus certatim pias opes erogantibus

bus

bus brevi temporis intervallo ad perfectionem deducitur in quo die 26. Novemb. ejusdem anni primum ſalutaris hoſtiæ ſacrificium *in altari Viatico* obtulit B. Franciſcus Patritius Senenſis, ejusdemque, oblationis memoriam rogatus in publicas tabulas redegit eadem die Benedictus Bertus Nucii de Florentia filius Imperiali authoritate Notarii, qui & Divino Myſterio præſens interfuit. (B) Ut autem etiam Ædes feſtinanter conficerentur, Jacobus Caſtellanus Epiſcopus, qui tunc Malauſane Vaſionenſis Diœceſis oppido in Provincia degebat, authoritate ordinaria, Fratribus *ut pro edificatione loci uſque ad ſummam centum Florenorum auri de male ablatis incertis, dummodo quibus ipſorum reſtitutio fieri debeat penitus ignoretur, recipere valerent*, indulſit (C) die XXVI. Febr. anni milleſimi trecenteſimi ſeptimi decimi, indeque die 23. Maii anni ſequentis Venetiis reſidens in Caſtellano Palatio, non ſolum Vicarii ſui facultatem confirmavit, ſed etiam ut Eccleſiam erigere, & Cœmeterium habere poſſent *induſit*, vices ſuas Nicolao Scarpentenſi Epiſcopo committens ut primum Eccleſiæ *lapidem ponere*, & Cœmeterium rite benedicere & conſecrare valeret, quod & ſolemni pompa præſtitum diebus 24. & 25. ejusdem menſis in publicas tabulas ad poſterorum memoriam excepit Bonifacius de Mercato Novo Epiſcopalis Caſtellanæ Curiæ Notarius. (D)

1333 Inter hæc cum novi ordinis fama manaret quotidie latius, magno Divinæ providentiæ beneficio Monaſterium ita amplo excrevit ædificio, ut quinto ab adventu Fratrum anno Comitia Generalia Ordinis excipere valuerit. Loco his Comitiis ſtatuendo hæret anceps Gianius Tom. I. pag. 243. dubius Florentiæne an potius Faventiæ, an Venetiis etiam adſcribat, citans interim Chronicon Pocciantii ubi marmorea Veneti Conventus epigraphes ex integro affertur, ex qua clariſſime conſtat Venetiis habita fuiſſe hoc anno Generalia Comitia, quorum actuum partem exhibet lapis ipſe. In iis itaque Comitiis etſi anno 1322. male affixis ait Gianius pag. 244. num. 2.

„ Conſideratis Dom. Joannis de Avantiis Veneti Civis beneficiis „ ſtatutum fuit, ut in quolibet Capitulo Provinciali, ſeu Conventuali commendetur, tanquam præcipuus Ordinis Benefactor, & „ quod Literæ participationum, quas eidem in his Comitiis P. Petrus Generalis dedit., Conſtitutionis perpetuæ firmitatem obtineant. Has literas ex publico Patrum conſenſu Petrus Generalis „ fieri juſſit in his Comitiis die 26. Maii approbantibus illas Diffinitoribus, & Præfectis Provincialibus; in quibus quidem Literis

„ præ-

„ prædicti D. Joannis diffuſe commendatur pietas, & ipſe declara-
„ tur Fundator Conventus Venetiarum, in quo ſtatuuntur duode-
„ cim Sacerdotes, qui perpetuo orent pro illius anima, quam par-
„ ticipem faciunt omnium Spiritualium bonorum Ordinis, ut con-
„ ſtat ex ejusdem Petri Regeſto, cui non minor adhibenda fides,
„ quam Lapidi in primo illius Conventus veſtibulo affixo. Ex ea-
„ dem quoque familia de Avantiis fuit poſtea quidam F. Jacobus,
„ ſive filius ejusdem D. Joannis, ſive alterius ex ejusdem cognatio-
„ ne, & hic reperiebatur Prior Conventus S. Catharinæ de Tar-
„ viſio Anno 1380.

Sexto anno poſt Comitia Venetiis celebrata piiſſimus Fundator die 15. Octob. anni 1326. ampla hæreditatis ſuæ parte Fratribus ex teſtamento legata obiit, non hujus tantummodo operis præmia recepturus, ſed & aliorum quæ nec obſcura, nec pauca perfecit, ut innuit emortualis epigraphes in ipſius tumuli marmore inciſa.

Sepulcrum Domini Joannis Avancii Fundatoris iſtius loci.
Orate pro eo.
Anno Domini MCCCXXVI.
Quem Lapis Hic Tegit Locum Hunc Fundavit Et Egit
Eccleſias Fecit Monaſteria Multa Refecit
Mundum Ut Exivit Habitum Servorum Adivit.

Hujus itaque beneficentiæ ſubſidio mirum in modum erecti Religioſi Viri, ut frequentiori populorum devotioni ampliorem Eccleſiam diſponerent, novi & quidem auguſti Templi, ubi primus ſacer lapis depoſitus fuerat, fundamenta jecere anno 1330. quod lento opere ad ſui perfectionem deductum eſt ſæculo xv. ad finem vergente, atque inde ſolemni pompa conſecratum ab Archiepiſcopo Corinthienſi die vii. Novemb. anno 1491. ut in marmorea epigraphe legitur epyſtilio januæ majoris ſuperpoſita.

Reverendus in Chriſto Pater D. Antonius Saracco Dei gratia Archiepiſc. Corinthienſis Vicarius Reverendiſs. D. Patriarchæ Venetiarum conſecravit hanc Eccleſiam & Altare Majus die 7. Menſis Novemb. 1491. exiſtente Priore dictæ Eccleſiæ D. Magnifico Hyeronimo de Franciſcis Sacræ Theologiæ profeſſore, ac Magnifico D. Hyeronimo Donato q. Magnifici D. Antonii Equitis, ac Doctore, & Nicolao Mudatio q. Magnifici D. Ludovici Procuratoribus.

Altaria tamen ad Eccleſiæ parietes diſpoſita multo ante anno nempe milleſimo quadringenteſimo quartodecimo conſecrata fuerant per tres Epiſcopos Nicolaum Nonenſem, Jacopinum Æmonienſem, & Paulum Petenenſem, quorum ſecundus ab

Ughel-

Ughello in Æmonienſibus videtur prætermiſſus. Hæc in antiquo Monaſterii codice, quem vocant *Matricola*, exſcripſit ad futuram rei memoriam ſuperius laudatus Frater Marcus de Lectis, qui & temporalibus ſuffragiis, & ſpiritualibus ornamentis Eccleſiam adjuvit.

„ *In Nomine Dei Eterni amen*. MCCCCXIV. *die nono*
„ *Decembris in die dominico*.
„ Nota che in queſto dì ſcritto fò conſegrado i altari de
„ queſta benedeta caxa, zoè de Madona Sancta Maria di Ser-
„ vi ſiando Zeneral lo Reverendiſſimo in Chriſto Padre Mai-
„ ſtro *Stefano dal Borgo*, e in lo tempo del Priorado de lo
„ Reverendo Padre Frà *Franceſco* (*Steno*) in lo sò primo
„ anno, ſiando io Frà *Marco dai Letti* procurador della dicta
„ caxa.
„ *Queſti ſono li Altari che fò conſegradi cadaun e le*
„ *reliquie che lor a dentro*.
„ PRIMO l'Altar del Spirito Santo, in lo dicto fò poſta la re-
„ liquia de Sancta Barbara.
„ II. L'Altar de San Zane Baptiſta, & S. Hieronymo in lo
„ dicto reliquia de S. Biaſio.
„ III. L'Altar de S. Lucia. In lo dicto reliquia de S. Vido.
„ IIII. L'Altar de San Maphio. In lo dicto reliquia de San
„ Quintino Martire.
„ V. L'Altar de Noſtra Dona dela feneſtrela. In lo dicto
„ reliquia de S. Paolo Primo Romito.
„ VI. L'Altar de la glorioſa Verzene Maria. In lo dicto re-
„ liquia de quaranta Martiri.
„ VII. L'Altar de San Nicolò e de S. Catarina. In lo dicto
„ reliquia de S. Nicolò.
„ VIII. L'Altar de S. Franceſcho. In lo dicto reliquia de S.
„ Georgi.
„ *Queſti ſono li Veſchovi che fè la dicta ſagra*.
„ Dominus Nicolaus Epiſcopus Nonenſis.
„ Dominus Jacopinus Epiſcopus Emonienſis.
„ Dominus Paulus Epiſcopus Petenenſis.

In ſacræ molis erectione opibus collatis, & auxilio impenſo ſingulariter promovere ex Patritiis Familiæ Emo, & Donata, ex popularibus vero Gens Condulmeria, ex qua Angelus Eugenii IV. Summi Pontificis pater, ut ex antiquo & ſynchro-

no

no codice in Bibliotheca Cœnobii aſſervato aſſeritur, *Templum Servorum, quod in ea urbe* (Venetiis) *magnifice conſpicitur in honorem Virginis ſua impenſa maxima in parte ædificavit.*

Potior tamen pecuniæ pars ad amplum & ornatiſſimum Templum conſtruendum ex piorum largitionibus emanavit, ad quas uberiori pietate promovendas tum Summorum Pontificum, tum minorum Præſulum Eccleſiaſtica liberalitas ex æquo decertarunt, quorum primus Beatus Bertrandus Aquilejenſis, Patriarcha Martyrii laurea inſignis, dum Venetiis in Monaſterio S. Georgii Majoris degeret anno 1344. die 24. Martii *Eccleſiam S. Mariæ Majoris de Venetiis Ordinis Servorum S. Mariæ* viſitantibus quadraginta dierum indulgentias, ſtatutis feſtivitatibus aquirendas *miſericorditer in Domino* relaxavit (E). Ut autem ad ſurgentis Templi ſolemnitates facilior præberetur populis acceſſus anno 1353. pontem ſuper Divi Martialis nuncupatum rivum propriis expenſis Prior & Fratres Principe permittente ſtruxerunt. (F)

Circa hæc tempora Lazarus Lazarini Veneti Conventus alumnus a Comitiis Generalibus Ordinis Cretam mittitur cum Vicegeneralis titulo, & authoritate, ut circa ejus Inſulæ Monaſteria, ea quæ ſibi recta viderentur diſponeret. Comitia Florentiæ convocata fuiſſe non anno 1401. ut aſſerunt Poccianus & Gianius, ſed potius anno ſequenti 1402. teſtantur Veneti Conventus ephemerides, quo anno more Romano computato Kalendis Februarii ad Cretenſium Cœnobiorum regimen Lazarus adlectus fuit. Hæc itaque ex Venetis Diariis colligo: 1402. *die XXIII. Januarii. Dedi nautæ qui portavit litteras* (citatorias vocant) *Capituli Generalis*. & paulo poſt ad menſem Februarii circa finem. *Item dedi fratribus, qui iverunt ad Capitulum Generale Florentiæ, videlicet Priori, & Diſcretis ducatos aureos* XXX. *cauſa eundi & redeundi*. Cum vero eodem anno in menſe Julio novus Prior Generalis Magiſter Antonius de Bononia Venetias appuliſſet ſui officii cauſa, die 17. ejuſdem menſis in conſpectum Principis ſe dedit: *Julii die* 17. *Pro duabus barchis quum Pater Generalis ivit ad viſitandum Dominium*. Anno itaque milleſimo quadringenteſimo primo Cretam petiit ſupralaudatus Lazarus, ut S. Pauli aliaque Regni Cretenſis Cœnobia, quæ a Veneto Sanctæ Mariæ Mo-

Monaſterio potiſſimum dependebant viſitaret. Locum, ubi memoratum S. Pauli Cœnobium extructum fuit, Beato Antonio de Viterbio Ordinis Servorum alumno a Cretenſibus viris oblatum fuiſſe, narrant Annales Ordinis Tom. I. pag. 219. in quo poſtea ædificatum titulo S. Pauli Apoſtoli illuſtre Cœnobium Provinciæ Græciæ initium dedit. Ad hanc inde Provinciam inviſendam adlectus fuit anno 1429. Frater Paulus Cretenſis, qui Ordini Servorum Venetiis in S. Mariæ Servorum Cœnobio nomen dederat anno 1406. qui poſt impleta ſui officii munera Italiam redux adnavigavit cum Demetrio Palæologo Meotide, & Iſidoro Monacho Abbate S. Demetrii Oratoribus Imperatoris Græcorum, & Patriarchæ Conſtantinopolitani ad Baſileenſe Concilium. Poſt hæc, circa ea tempora, quibus Othomanus Turcarum Imperator adverſus Venetam Rempublicam acre bellum moverat, Fratres Monaſterium S. Pauli Cretenſis deſeruerunt.

Hinc Nobiles Danduli, quorum juspatronatus (ut ex documentis apparet,) Monaſterium erat, illud Marco Juſto Epiſcopo Arcadienſi Cretenſis Archiepiſcopi ſuffraganeo anno 1470. die 26. Martii commendarunt conditione hac appoſita, quod *ſi per totum menſem Auguſti proximum* 1470. *Fratres Servorum veniſſent, præfatus D. Epiſcopus teneretur, & deberet reddere, & conſentire illud Monaſterium* fratribus antedictis. Collationis inſtrumentum rogavit Antonius Sercoto Cretenſis Notarius die ſupradicta 26. Martii anno 1470. Ind. III. (G.) Recuperatum fuiſſe Monaſterium ſtudio & opera Fratris Bartholamæi Veneti, qui in Provinciam Græciæ ablegatus fuerat Vicarius Generalis, teſtantur Annales Tom. I. pag. 595. Beneficæ hujus reſtitutionis meritum Nicolao Dandulo Patritio Veneto potiſſimum tribuitur, ut patentes litteræ ſignificant, quibus Antonius Alabantus totius Ordinis Servorum XXI. Generalis in Conventu Stratæ Majoris Bononiæ datis die IX. Auguſti anno 1490. prædictum Nicolaum Dandulum tanquam præcipuum Ordinis & Cretenſis Monaſterii benefactorem omnium meritorum & bonorum, quæ in toto Ordine ubilibet fiunt, participem effecit (H). Anno deinde 1526. Hieronymus de Luca Generalis *Fratrem Baſilium Cilenium Venetum Priorem S. Pauli in Creta, atque ſuum Vicarium Generalem in tota Græcia, & per Orientales partes conſtituit* (Annal. Ord. Tom. II. pag. 88.) demum anno 1609.

Sanctus Cucina Venetus Monaſterii S. Mariæ Venetiarum alumnus ad Cretam Inſulam univerſamque Græciam Vicarius Generalis adlegitur, quo in munere Cretæ obiit ibidem in Sancti Pauli Monaſterio tumulatus. Conſtans fama eſt, Fratres Ordinis Servorum uſque ad lacrymandam Regni Cretenſis invaſionem in eo Cœnobio perſeveraſſe. Modo vero ad Venetam Eccleſiam revertamur.

Ad ipſius Eccleſiæ ædificationem, quam ſpiritualibus gratiis egregie promoverat Joannes Caravajal S. R. E. titulo S. Angeli Diaconus Cardinalis Ordinis Protector die undecima Auguſti Anno MCCCCLIII. ſtatutas criminum relaxationes indulgens, (I.) Patres Conventus ardenti ſtudio ſolliciti uberes piorum eleemoſynas ex integro ferme traduxerant, indeque factum eſt ut domeſticis acrioribus vexarentur anguſtiis, ad quas aliqua ex parte ſublevandas Petrus Cardinalis Riarius Sixti IV. Nepos & in tota fere Italia Legatus *Prioratum S. Catharinæ de Inſula Juſtinopolitanæ Diœceſis Ordinis S. Benedicti* per ceſſionem & renuntiationem Dominici Pavanelli Clerici Patavini, eum commendatario titulo poſſidentis vacantem Ordini Servorum *de religionis zelo, ſtudio ſcientiarum, fidei orthodoxæ ſinceritate, aliiſque virtutum meritis* commendato, cum omnibus ſuis fructibus, & reditibus authoritate Apoſtolica perpetuo adjunxit, membrumque dicti Ordinis cenſeri conſtituit obſignato Venetiis Diplomate anno milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo tertio die ſeptima menſis Octobris (K).

Anno deinde milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo quarto Romanus Pontifex Sixtus IV. *portionibus Eccleſiæ theſauris liberaliter indultis* fabricæ incrementa ſummopere adjuvit: cupiens enim Eccleſias Sanctiſſimæ Dei Genitricis Virginis Mariæ, *quas in eorum ædificiis ſuffragiis fidelium magnopere indigere* cognoverat, eo quo poterat modo adjuvare, remiſſionum, *& indulgentiarum eas ſtuduit decorare muneribus*, ut ipſis *reparatione, & inſtauratione indigentibus per fideles auxilium opportunum impenderetur*. Propterea, cum ei innotuiſſet, quod *Capellæ majores Eccleſiæ B. Mariæ Ordinis Servorum Venetiarum, quæ inter alias Eccleſias dictæ Civitatis magnifice fabricata atque erecta erat, jam fundatæ atque elevatæ eſſent, & nondum perfectæ*, quinimmo *ad illas perficiendas, atque ornandas fidelium ſuffragiis plurimum indigere* noſceretur, ut *eo libentius devotionis*

nis

nis cauſa, ad eandem Eccleſiam Chriſtiani confluerent, & *ad hujusmodi Capellarum & ædificiorum perfectionem manus promptius porrigerent adjutrices, omnibus vere pœnitentibus utriusque ſexus Chriſti fidelibus & confeſſis, qui Eccleſiam ipſam poſt annum Jubilei proximi* (Chriſti nempe 1475.) *immediate ſequentem in die Annuntiationis B. M. V. devote viſitaverint annuatim, & ad Capellarum prædictarum perfectionem manus porrexerint adjutrices, plenariam omnium peccatorum ſuorum remiſſionem* & indulgentiam Apoſtolica authoritate elargitus eſt; alia quoque adjiciens privilegia, quæ in ipſo Diplomate fuſius continentur. Pontificias Sixti litteras Maphæus Gerardus Patriarcha Venetiarum inſtantibus ejusdem Ordinis Servorum Provinciali, & Priori *tranſummi, & exemplari* fecit, atque inde ſubſcriptas publicari mandavit die IX. Januarii anno Dominicæ Nativitatis MCCCCLXXVI. quem annum ex appoſita Indictione IX. crediderim more Romano ſupputatum (L). Atque inde ejusdem menſis die XXVII. (annus enim 1475. appoſitus ſi ad morem Venetum revocetur evadit annus 1476. More Imperii) Petrus Mocenigo Dux Venetiarum Apoſtolicas Summi Pontificis litteras per univerſas Venetæ ditionis Eccleſias publicari decrevit, quod & iterum poſtmodum fieri juſſit ejus ſucceſſor Andreas Vendramenus anno 1477. die XII. Maii (M).

Dum hæc Venetiis ad Divini cultus augmentum in manufactis ædificiis aguntur, ſupralaudatus Dux Andreas Vendramenus, qui antequam ad Ducale faſtigium elevaretur haud longe a Servorum Mariæ Cœnobio ædes extruxerat, cum dolens animadvertiſſet Fratres ſoluta priſcæ pietatis diſciplina minus religioſam vitam ducere, eos ad veterem ſanctimoniam ac exemplares pioſque mores laudabili ſtudio revocare exoptans apud Sixtum IV. Summum Pontificem enixe inſtitit anno 1476. ut Venetus S. Mariæ Servorum Conventus ad Patres Congregationis Obſervantiæ deduceretur, quæ pridem, ut refert Gianius Tom. I. pag. 369. in Senario Monte originem habuerat anno 1404. atque ex eo ad alia quoque Italiæ loca bono virtutum odore mire fuerat propagata.

Pia Ducis & Veneti Dominii vota benigne excepit Summus Pontifex, atque ut pro officii ſui munere collapſam loci diſciplinam *pro virili parte* reſtaurare contenderet, Maphæo Gerardo Venetiarum Patriarchæ, & Joanni Spalatenſi Archiepiſ-

Sanctus Cucina Venetus Monaſterii S. Mariæ Venetiarum alumnus ad Cretam Inſulam univerſamque Græciam Vicarius Generalis adlegitur, quo in munere Cretæ obiit ibidem in Sancti Pauli Monaſterio tumulatus. Conſtans fama eſt, Fratres Ordinis Servorum uſque ad lacrymandam Regni Cretenſis invaſionem in eo Cœnobio perſeveraſſe. Modo vero ad Venetam Eccleſiam revertamur.

Ad ipſius Eccleſiæ ædificationem, quam ſpiritualibus gratiis egregie promoverat Joannes Caravajal S. R. E. titulo S. Angeli Diaconus Cardinalis Ordinis Protector die undecima Auguſti Anno MCCCCLIII. ſtatutas criminum relaxationes indulgens, (I.) Patres Conventus ardenti ſtudio ſolliciti uberes piorum eleemoſynas ex integro ferme traduxerant, indeque factum eſt ut domeſticis acrioribus vexarentur anguſtiis, ad quas aliqua ex parte ſublevandas Petrus Cardinalis Riarius Sixti IV. Nepos & in tota fere Italia Legatus *Prioratum S. Catharinæ de Inſula Juſtinopolitanæ Diœceſis Ordinis S. Benedicti* per ceſſionem & renuntiationem Dominici Pavanelli Clerici Patavini, eum commendatario titulo poſſidentis vacantem Ordini Servorum *de religionis zelo*, *ſtudio ſcientiarum*, *fidei orthodoxæ ſinceritate*, *aliisque virtutum meritis* commendato, cum omnibus ſuis fructibus, & reditibus authoritate Apoſtolica perpetuo adjunxit, membrumque dicti Ordinis cenſeri conſtituit obſignato Venetiis Diplomate anno milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo tertio die ſeptima menſis Octobris (K).

Anno deinde milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo quarto Romanus Pontifex Sixtus IV. *potioribus Eccleſiæ theſauris liberaliter indultis* fabricæ incrementa ſummopere adjuvit: cupiens enim Eccleſias Sanctiſſimæ Dei Genitricis Virginis Mariæ, *quas in eorum ædificiis ſuffragiis fidelium magnopere indigere* cognoverat, eo quo poterat modo adjuvare, remiſſionum, *& indulgentiarum eas ſtuduit decorare muneribus*, ut ipſis *reparatione*, *& inſtauratione indigentibus per fideles auxilium opportunum impenderetur*. Propterea, cum ei innotuiſſet, quod *Capellæ majores Eccleſiæ B. Mariæ Ordinis Servorum Venetiarum*, *quæ inter alias Eccleſias dictæ Civitatis magnifice fabricata atque erecta erat*, *jam fundatæ atque elevatæ eſſent*, *& nondum perfectæ*, quinimmo *ad illas perficiendas*, *atque ornandas fidelium ſuffragiis plurimum indigere* noſceretur, ut *eo libentius devotionis*

nis cauſa, ad eandem Eccleſiam Chriſtiani confluerent, & *ad hujusmodi Capellarum & ædificiorum perfectionem manus promptius porrigerent adjutrices, omnibus vere pœnitentibus utriusque ſexus Chriſti fidelibus & confeſſis, qui Eccleſiam ipſam poſt annum Jubilei proximi* (Chriſti nempe 1475.) *immediate ſequentem in die Annuntiationis B. M. V. devote viſitaverint annuatim, & ad Capellarum prædictarum perfectionem manus porrexerint adjutrices, plenariam omnium peccatorum ſuorum remiſſionem* & indulgentiam Apoſtolica authoritate elargitus eſt; alia quoque adjiciens privilegia, quæ in ipſo Diplomate fuſius continentur. Pontificias Sixti litteras Maphæus Gerardus Patriarcha Venetiarum inſtantibus ejusdem Ordinis Servorum Provinciali, & Priori *tranſummi, & exemplari* fecit, atque inde ſubſcriptas publicari mandavit die IX. Januarii anno Dominicæ Nativitatis MCCCCLXXVI. quem annum ex appoſita Indictione IX. crediderim more Romano ſupputatum (L). Atque inde ejusdem menſis die XXVII. (annus enim 1475. appoſitus ſi ad morem Venetum revocetur evadit annus 1476. More Imperii) Petrus Mocenigo Dux Venetiarum Apoſtolicas Summi Pontificis litteras per univerſas Venetæ ditionis Eccleſias publicari decrevit, quod & iterum poſtmodum fieri juſſit ejus ſucceſſor Andreas Vendramenus anno 1477. die XII. Maii (M).

Dum hæc Venetiis ad Divini cultus augmentum in manufactis ædificiis aguntur, ſupralaudatus Dux Andreas Vendramenus, qui antequam ad Ducale faſtigium elevaretur haud longe a Servorum Mariæ Cœnobio ædes extruxerat, cum dolens animadvertiſſet Fratres ſoluta priſcæ pietatis diſciplina minus religioſam vitam ducere, eos ad veterem ſanctimoniam ac exemplares pioſque mores laudabili ſtudio revocare exoptans apud Sixtum IV. Summum Pontificem enixe inſtitit anno 1476. ut Venetus S. Mariæ Servorum Conventus ad Patres Congregationis Obſervantiæ deduceretur, quæ pridem, ut refert Gianius Tom. I. pag. 369. in Senario Monte originem habuerat anno 1404. atque ex eo ad alia quoque Italiæ loca bono virtutum odore mire fuerat propagata.

Pia Ducis & Veneti Dominii vota benigne excepit Summus Pontifex, atque ut pro officii ſui munere collapſam loci diſciplinam *pro virili parte* reſtaurare contenderet, Maphæo Gerardo Venetiarum Patriarchæ, & Joanni Spalatenſi Archiepiſ-

copo die x. Julii anni 1476. datis litteris mandavit, ut quotiescunque a Veneto Duce Vendrameno ad id evocarentur, authoritate ipſius Pontificis locum ipſum Servorum, qui *Conventualis* erat, in *regularem* erigerent, *& obſervantiæ*, atque *Vicarium Congregationis obſervantiæ dicti Ordinis Provinciæ Tarviſinæ nomine ejusdem Congregationis in poſſeſſionem ipſius Conventus, & loci ac jurium, & pertinentiarum ipſius* introducerent & imponerent, introductumque eadem authoritate defenderent. Sub hæc ferme Decreta ſupralaudati Commiſſarii Apoſtolici cum prius *perſonaliter* ad ipſum Ducem acceſſiſſent, ejus *intellecta intentione, quæ fuit, ut dicta mandata Apoſtolica debitæ executioni mandarentur*, ambo ad prædictum Conventum S. Mariæ Servorum ſe contulerunt, ibique convocato Fratrum Capitulo, atque Apoſtolicis litteris rite perlectis, ſinguli ipſorum interrogati fuerunt an vellent *vitam ducere obſervantiæ*, atque in eodem Monaſterio ſub obedientia Vicarii Domino deſervire. His auditis pars quidem ſe Vicarii regimini ſubdere omnino detrectarunt, pars vero ſpatium temporis ad rem maturius determinandam ſibi tribui rogarunt, quibus omnibus facta eſt deliberandi copia, & certum quoddam tempus ſtatutum, *ut ſi quis voluerit exire infra terminum unius anni libere poſſit exire*.

Poſtridie ejus diei per eosdem Apoſtolicos Commiſſarios Frater Paulus de Brixia Vicarius Congregationis obſervantiæ in poſſeſſionem inducitur Monaſterii authoritate Pontificii diplomatis die XXX. ~~Julii ejusdem anni Narniæ~~ dati, quo quorumdam pertinacium audacia ab inferendis ſtatutæ reformationi moleſtiis per cenſuras Eccleſiaſticas & alia juris opportuna remedia cohibetur. Ad hæc potior Fratrum numerus ex obedientia Apoſtolici mandati ad meliora revocati ſe ad regularem vitæ obſervantiam ſubeundam paratos eſſe dixerunt paucis exceptis, quorum unus tantummodo Venetus, reliqui vero omnes ortu Dalmatæ fuiſſe dicuntur. Hi quamvis numero inferiores, audacia tamen validiores nonnullorum etiam auxilio freti, *qui ab extra venerant*, non ſolum obſervantiam regularem ad Romani Pontificis mentem amplecti renuerunt, ſed & Cœnobii pacem, & laudabilem diſciplinæ reformationem *temerario auſu* oppugnare cœperunt. Quapropter de Sixti IV. mandato die III. Auguſti ejusdem anni dato Apoſtolici Delega-

ti

ti cervicoſos homines *infra terminum trium dierum ſub pœnæ excommunicationis latæ ſententiæ de dicto monaſterio* loco ſponte cedere, aut per vim detrudi juſſerunt. Hæc autem omnia ſub uno inſtrumento collecta in publicam formam redigi mandavit die XVII. ejusdem Auguſti Gerardus Apoſtolicus executor (N).

Cuncta ab Apoſtolicis Commiſſariis prudenter non minus, quam juſte peracta Sixtus IV. rite approbavit, qui pridem die X. Julii Vicario Congregationis de Obſervantia ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ mandaverat, ut Venetum S. Mariæ Cœnobium ſub ſua obedientia reciperet (O) nec tantummodo authoritatis ſuæ confirmatione acta Præſulum roboravit, ſed *pro potiori præmiſſorum cautela domum prædictam cum Eccleſia* cæterisque ejus redditibus, & pertinentiis ſuis *eisdem Fratribus de Obſervantia per eos ſub obedientia Vicarii Generalis dictæ obſervantiæ tenendam & inhabitandam motu, ſcientia, & authoritate prædictis de novo* conceſſit, & aſſignavit. Datum fuit Fulginei Diploma die 27. Septembris ſæpius enuntiati anni 1476. (P). Ex eo tempore Venetum Cœnobium ſub Vicarii obedientia ſtetit, donec, ut affert Gianius, Ordini reſtitutum Gregorii XIII. juſſu totius Venetæ, & Cœnomanorum Provinciæ caput declaratum fuit.

Interim completo quadriennio, quod jam ſæpedictus Pontifex Sixtus IV. pro plenariæ remiſſionis indulto ſtatuerat, cum adhuc Eccleſia ipſa & domus ſeu dormitorium reparatione & augmento indigerent, Apoſtolicum indulgentiæ Privilegium, exorante pio viro Franciſco Diedo Venetæ Reipublicæ apud S. Sedem Oratore, ad triennium prorogavit die XVIII. Januarii anni milleſimi quadringenteſimi octuageſimi primi. (Q) Sixti privilegium per ſucceſſorem ejus Innocentium VIII. ad preces Auguſtini Barbadici Veneti Oratoris renovatum fuit anno milleſimo quadringenteſimo nonageſimo ſecundo die V. Aprilis (R).

His Apoſtolicæ liberalitatis largitionibus allectus Venetiarum populus copioſius erogatis eleemoſinis, ut ædificiis ſumma manus imponeretur effecit; quibus ex integro abſolutis, Fratres charitatis intuitu, ut puteum etiam ad monaſterii, & inopum uſus foderetur, animos adjecerunt; quapropter cum eo Magiſtratu, cui putei, & pontes, & viæ ſunt curæ, re communicata, puteus ære publico in media area quæ clauſtro continetur,

tur, ſeu verius ciſterna effoditur *hac tamen lege, & conditione, quod juxta conventiones & conſuetudines aliorum Monaſteriorum dictus puteus ſit & eſſe debeat communis tam ipſis Fratribus quam populo, & omnibus, & ſingulis, qui haurire voluerint aquam ex ipſo puteo*. Acta ſunt hæc, & in publicas tabulas redacta die XVIII. Julii anni milleſimi quadringenteſimi nonageſimi ſecundi (S).

Coactis Romæ totius Ordinis Servorum Comitiis anno 1512. Pontificis Julii II. mandato Angelus de Aretio die 25. Septembris XXV. Religionis Prior Generalis aſſumitur. Is *ingenio acer & ſolerti prudentia præditus*, ut ait Gianius, *cognita quorumdam Fratrum regnandi cupiditate cum iis fœdus inivit de pace Congregationis perturbanda. Romam igitur profectus anno* 1513. binas litteras a Leone X. qui Julio II. in Petri Sede ſucceſſerat, impetravit, *quarum alteræ Priori Generali viſitandæ Congregationis arbitrium, facultatemque præbebant, alteræ vero de Venetiarum Conventu ſub Conventualium ditione ac imperio ſuſcipiendo*.

Hinc exorta in Ordine diſſidia quæ fuſius exponit in ſuis Annalibus ſupralaudatus Gianius Tom II. pag. 42. ubi & Leonis X. diploma refert Romæ datum die x. Julii anni 1513. quo majus Cœnobium Fratrum Servorum de Venetiis ſub ipſius *Angeli & omnium in Generalatus Officio ſucceſſorum immediata protectione, & cura, ita tamen quod in eo Cœnobio ſub nomine, titulo, & norma regularis obſervantiæ vivatur*, poſuit & aſſignavit. Monaſterium itaque S. Mariæ Servorum de Venetiis e cœtu Congregationis avulſum ſub Prioris Generalis regimine ſubjectum extitit, donec Pio V. jubente abolita Obſervantium Congregatione, atque exinde per Gregorium XIII. duabus inſtitutis Provinciis Veneta, & Mantuana, primæ ipſarum tanquam caput Venetum S. Mariæ Cœnobium præficitur, de quibus fuſe Gianius Tom. II. pag. 239.

Interea dum hæc aguntur, Commune & homines *Villæ Aggeris* Bandellorum (Arzerello) quæ ſita eſt in Comitatu Sacceniſi Patavinæ Diœceſis, devotionis intuitu qua Fratres Servorum de Obſervantia proſequebantur, Eccleſiam S. Mariæ Miſericordiæ in eodem Communi ſuper fundum a Hieronymo de Avantio Cive Veneto jam pridem conceſſum nuperrime ædificatam ipſis pleno jure obtulerunt (T). Donationem excepit

die

die III. Februarii anni 1495. Frater Anſelmus Gradonico primus ipſius loci Prior deſignatus *vice & nomine dictæ Congregationis S. Mariæ Servorum de Obſervantia*. Locus nec redditibus inſtructus, nec eleemoſynis ſuffultus, cum nec ad unum tantummodo Sacerdotem arcte ſuſtentandum aptus eſſet, unanimi voto per Capitulum S. Mariæ Servorum de Venetiis traditus eſt *jure ſimplicis locationis* cuidam Marcellæ Minio Moniali Ordinis S. Auguſtini de Monaſterio Methamauci digreſſæ, ea tamen auctoritate ut ibidem Cœnobium Sanctimonialium erigere & in eo cum ſucceſſoribus ſuis perpetuo poſſet Domino famulari. (V) Brevis fuit in eodem loco Virginum commoratio, ſiquidem egeſtate compulſæ Cœnobium in ipſis ſuæ inchoationis exordiis, ne fame necarentur, deſeruere. Hinc ex pactorum vi ad jus Servorum revertitur, atque deinde anno 1564. Comitia Generalia Congregationis, Forolivii coacta, Veneto Monaſterio S. Mariæ Servorum perpetuo uniri & unitum cenſeri decreverunt; exinde S. Mariæ Cœnobium ad ipſius curæ regimen Sacerdotem Ordinis filium perpetuo deſtinavit, cui etiam ab anno circiter 1577. animarum cura pro opportuniori Sacramentorum adminiſtratione demandatur.

In loci autem habitatione atque in Parœciæ cultura cum aliquando Regularis Vicarius injuſtas pateretur injurias, ad eas Apoſtolica auctoritate compeſcendas Alexander Riarius Patriarcha Alexandrinus Cameræ Apoſtolicæ auditor univerſos & ſingulos, qui Fratres Servorum ſuper prædicto loco, & illius uſu, ac poſſeſſione exturbare, aut moleſtare conarentur, certis ſtatutis pœnis ab omni perturbatione ullo modo inferenda prohibuit (X).

Ad hoc S. Mariæ Servorum Cœnobium, & ad alterum pariter Divi Jacobi in Inſula Judaicæ ſitum ejuſdem Ordinis devenerant nonnulla bona *per quendam Marcum dicti Ordinis, dum viveret, profeſſorem ac alios utriusque ſexus Chriſtifideles in Camera & monte nuncupatis Venetiarum poſita ſeu empta, & tempore obitus, eorum domibus B. Mariæ, & S. Jacobi* Venetiarum dicti Ordinis *invicem perpetuo canonice unitis* pie legata, quæ cum per improbos eosque ignotos homines vel abſcondita, vel uſurpata fuiſſent, Paulus Papa III. Delegatis Apoſtolicis Jacobo Piſauro Epiſcopo Paphenſi, & Vicario Patriarchali per Apoſtolica ſcripta mandavit, ut horum ſeu aliorum bonorum ad ea Cœnobia pertinentium detentores quamvis

tur, ſeu verius ciſterna effoditur *hac tamen lege, & conditione, quod juxta conventiones & conſuetudines aliorum Monaſteriorum dictus puteus ſit & eſſe debeat communis tam ipſis Fratribus quam populo, & omnibus, & ſingulis, qui haurire voluerint aquam ex ipſo puteo*. Acta ſunt hæc, & in publicas tabulas redacta die XVIII. Julii anni milleſimi quadringenteſimi nonageſimi ſecundi (S).

Coactis Romæ totius Ordinis Servorum Comitiis anno 1512. Pontificis Julii II. mandato Angelus de Aretio die 25. Septembris XXV. Religionis Prior Generalis aſſumitur. Is *ingenio acer & ſolerti prudentia præditus*, ut ait Gianius, *cognita quorumdam Fratrum regnandi cupiditate cum iis fœdus inivit de pace Congregationis perturbanda. Romam igitur profectus anno* 1513. binas litteras a Leone X. qui Julio II. in Petri Sede ſucceſſerat, impetravit, *quarum alteræ Priori Generali viſitandæ Congregationis arbitrium, facultatemque præbebant, alteræ vero de Venetiarum Conventu ſub Conventualium ditione ac imperio ſuſcipiendo*.

Hinc exorta in Ordine diſſidia quæ fuſius exponit in ſuis Annalibus ſupralaudatus Gianius Tom II. pag. 42. ubi & Leonis X. diploma refert Romæ datum die X. Julii anni 1513. quo majus Cœnobium Fratrum Servorum de Venetiis ſub ipſius *Angeli & omnium in Generalatus Officio ſucceſſorum immediata protectione, & cura, ita tamen quod in eo Cœnobio ſub nomine, titulo, & norma regularis obſervantiæ vivatur*, poſuit & aſſignavit. Monaſterium itaque S. Mariæ Servorum de Venetiis e cœtu Congregationis avulſum ſub Prioris Generalis regimine ſubjectum extitit, donec Pio V. jubente abolita Obſervantium Congregatione, atque exinde per Gregorium XIII. duabus inſtitutis Provinciis Veneta, & Mantuana, primæ ipſarum tanquam caput Venetum S. Mariæ Cœnobium præficitur, de quibus fuſe Gianius Tom. II. pag. 239.

Interea dum hæc aguntur, Commune & homines *Villæ Aggeris* Bandellorum (Arzerello) quæ ſita eſt in Comitatu Saccenſi Patavinæ Diœceſis, devotionis intuitu qua Fratres Servorum de Obſervantia proſequebantur, Eccleſiam S. Mariæ Miſericordiæ in eodem Communi ſuper fundum a Hieronymo de Avantio Cive Veneto jam pridem conceſſum nuperrime ædificatam ipſis pleno jure obtulerunt (T). Donationem excepit

die

die III. Februarii anni 1495. Frater Anſelmus Gradonico primus ipſius loci Prior deſignatus *vice & nomine dictæ Congregationis S. Mariæ Servorum de Obſervantia*. Locus nec redditibus inſtructus, nec eleemoſynis ſuffultus, cum nec ad unum tantummodo Sacerdotem arcte ſuſtentandum aptus eſſet, unanimi voto per Capitulum S. Mariæ Servorum de Venetiis traditus eſt *jure ſimplicis locationis* cuidam Marcellæ Minio Moniali Ordinis S. Auguſtini de Monaſterio Methamauci digreſſæ, ea tamen auctoritate ut ibidem Cœnobium Sanctimonialium erigere & in eo cum ſucceſſoribus ſuis perpetuo poſſet Domino famulari. (V) Brevis fuit in eodem loco Virginum commoratio, ſiquidem egeſtate compulſæ Cœnobium in ipſis ſuæ inchoationis exordiis, ne fame necarentur, deſeruere. Hinc ex pactorum vi ad jus Servorum revertitur, atque deinde anno 1564. Comitia Generalia Congregationis, Forolivii coacta, Veneto Monaſterio S. Mariæ Servorum perpetuo uniri & unitum cenſeri decreverunt; exinde S. Mariæ Cœnobium ad ipſius curæ regimen Sacerdotem Ordinis filium perpetuo deſtinavit, cui etiam ab anno circiter 1577. animarum cura pro opportuniori Sacramentorum adminiſtratione demandatur.

In loci autem habitatione atque in Parœciæ cultura cum aliquando Regularis Vicarius injuſtas pateretur injurias, ad eas Apoſtolica auctoritate compeſcendas Alexander Riarius Patriarcha Alexandrinus Cameræ Apoſtolicæ auditor univerſos & ſingulos, qui Fratres Servorum ſuper prædicto loco, & illius uſu, ac poſſeſſione exturbare, aut moleſtare conarentur, certis ſtatutis pœnis ab omni perturbatione ullo modo inferenda prohibuit (X).

Ad hoc S. Mariæ Servorum Cœnobium, & ad alterum pariter Divi Jacobi in Inſula Judaicæ ſitum ejuſdem Ordinis devenerant nonnulla bona *per quendam Marcum dicti Ordinis, dum viveret, profeſſorem ac alios utriusque ſexus Chriſtifideles in Camera & monte nuncupatis Venetiarum poſita ſeu empta, & tempore obitus, eorum domibus B. Mariæ, & S. Jacobi* Venetiarum dicti Ordinis *invicem perpetuo canonice unitis* pie legata, quæ cum per improbos eosque ignotos homines vel abſcondita, vel uſurpata fuiſſent, Paulus Papa III. Delegatis Apoſtolicis Jacobo Piſauro Epiſcopo Paphenſi, & Vicario Patriarchali per Apoſtolica ſcripta mandavit, ut horum ſeu aliorum bonorum ad ea Cœnobia pertinentium detentores quamvis

vis occultos publice in Eccleſiis ſeu per ſe, ſeu per alios monerent, ut male ablata infra certum tempus vel revelare vel reſtituere tenerentur, generalis excommunicationis ſententiam ſi id non adimpleverint ſubituri. Datum fuit Romæ Diploma die XXII. Decembris anno milleſimo quingenteſimo trigeſimo nono (Y). Ad antiquas Monaſterii ædes adjectum eſt anno 1705. ut refert Gianius Tom. III. pag. 443. novum Edificium *pro Clericis Novitiis recipiendis duodecim nimirum Cellæ per dormitorium eleganter conſtructum diſtributæ, quibus acceſſit & Sacellum exercitiis ſpiritualibus obeundis accommodatum*. Noviſſime ſupralaudati Joſeph Maria Bergantinus atque Philippus Maria Roſſinus Bibliothecam propriis impenſis extructam copioſiſſimo codicum, & librorum delectu inſtaurarunt.

Reliquos enim viros, & quidem quam plurimos doctrina, ſcriptis, rebusque pro ordine bene geſtis claros quos Cœnobium hoc protulit; nec non Venetæ Reipublicæ Conſultores Theologos hinc per integrum ſæculum & ultra, non interrupta ſerie delectos, in album noſtrum referre Inſtituti ratio non poſtulat. Age nunc de Venetis Viris qui in Servorum Ordine tum ſanctitate, tum dignitatibus Eccleſiaſticis coruſcarunt, aliqua proferamus.

De B. Taddeo Gerardo Epiſcopo & Martyre.

Archangelus Gianius in Catalogo, quem de Prioribus Generalibus Ordinis Servorum B. M. V. contexuit, Florentiæ apud Mareſcottum typis edito anno 1590. ad elogium Natalis de Avantio Generalis enuntiati anno 1350. inter illuſtres Ordinis viros, qui ea tempeſtate ſanctimonia, & virtutum laude floruerunt, B. Taddeum Venetum Epiſcopum & Martyrem recenſet antiquorum documentorum (ut putandum eſt) veritati innixus. Apollonius Painius haud multo poſt Catalogum Sanctorum Beatorumque Ordinis Servorum concinnavit, in quo pro Taddeo ex familia Gerarda progenitum Gerardum repoſuit, relatu, ut ipſe refert, Laurentii Cardinalis Prioli Patriarchæ Venetiarum, qui Taddei cognomen pro ipſius nomine convenientia vocum deceptus ſuggeſſit. Hujus Catalogi authoritati fidens Gianius in vitis Divi Philippi Benitii, atque Beatorum ſeptem Fundatorum Florentiæ anno 1604. vulgatis Taddeum Gerardum cum Gerardo Canadienſi Epiſcopo confudit, qui in Hungariæ Regno martyrium conſumaverat; ſuæque opinioni novum addidit fulcrum

crum Maurolici authoritatem, qui in Martyrologio Romano quod *Juntæ* ediderunt Venetiis anno 1576. hæc habet ad diem 22. Febr. *Venetiis S. Gerardi Epiſcopi & Martyris primi Servorum B. V. M. in partibus Orientalibus inſtitutoris*, eumque parum in hoc ſolertem fugit, non hoc B. Gerardi Sagredo encomium eſſe, ſed aliud quod legitur ad diem 23. ejusdem menſis immediate ſequentem ſic: *Item Gerardi Epiſcopi & Sociorum Martyrum apud Danubium tempore Stephani Regis*.

Palmarem hunc errorem non animadvertit Garbius qui Gianium notis illuſtravit & continuavit, propterea authorem ſuum excuſat ut a Maurolico deceptum & a Ferrario, cui eadem æquivocatio in Catalogo Sanctorum Italiæ turpiter impoſuit. Ex hoc fonte tot varii profluxerunt vagi & diſcordes modi quibus Thaddei memoria a Scriptoribus Ordinis effertur. Alii Thaddeum a Venetiis, alii Thaddeum Gerardum, alii denique Gerardum Sagredum unum eundemque nuncuparunt. Et hac quidem nominum inconſtantia & varietate factum dixerim, quod Thaddeus a Romano Martyrologio in nova correctione fuerit expunctus. Lucas Ferrinus a Prato in ſcripto ſeu ſermone quem de origine Religionis Servorum una cum vitis Septem Sanctorum Fundatorum a Michaele Pocciantio ſcriptis edidit Florentiæ Typis Mareſcotti anno 1589. Thaddeum vero nomine appellat eumque vocat Apoſtolicum Concionatorem, Patriarcham Alexandrinum & Fidei Chriſtianæ Martyrem anno 1357. Unde hauſerit Ferrinus Patriarchalem Thaddei digitatem Alexandriæ, ignoramus; dubitandum tamen ob hoc haud exiſtimo, cum accuratam ſeriem non habeamus eorum qui ex Eccleſia Latina Sedem Alexandriæ aut ſaltem titulum habuerunt. Præſertim cum Clemens V. Miſſionarios Apoſtolicos ad Orientis plagas miſerit Epiſcopatu initiatos ſed ſine Eccleſiæ titulo (Lequienius in Caphenſibus) quo muniri debebant, ut ſedes deinceps vacantes occuparent. Onuphrius Valentinus in Epitome fundationis Religionis Servorum, quod opus Barcinone edidit anno 1611. Epiſcopum ſine addito & Martyrem vocat. Eodem titulo inſignitur a Joanne Theupolo Venetiarum Patriarcha in Catalogo ms. Sanctorum Beatorum qui Venetias Patriam habuerunt. A domeſticis documentis (quia fortaſſe Thaddeus vitam egit in Apoſtolico verbi Dei munere a Patria diſſitus) nihil ſuppetit aliud quam Inſtrumentum ejus profeſſionis, quam

Veronæ emiſit coram Beato Cœnobii Fundatore Franciſcó Patritio die 2. Aprilis anno 1326. In eo inſtrumento legitur: *Thaddeus quondam Antonii de Venetiis*. Quod autem ſuperius relatum eſt, Cretenſe, aliaque Græciæ Monaſteria ex Veneto Cœnobio originem duxiſſe, occaſionem fortaſſe ei elogio dedit, quod a Maurolico ad diem 22. Februarii appoſitum fuiſſe diximus, videlicet *primi Servorum B. M. V. in partibus Orientalibus inſtitutoris*.

De B. Bartholomæo Veneto.

Bartholomæus Venetus, quem Gianius Annalium Tom.II. Beatis adnumerat, diſcipulus fuit Beati Bonaventuræ Forolivienſis, atque ipſius auſteritatis & virtutis individuus imitator. Si ex domeſticis monumentis probabiles licet deducere conjecturas, ille eſt, quem regeſta Cœnobii vocant *Bartholomæum Pinzocherum*. Hic poſt emiſſam in Servorum Ordine regulari votorum profeſſionem die 9. Septembris anno 1429. litterarum ſtudiis incubuit, mox demandatum ſibi onus prædicandi verbi Dei ſummo cum animarum profectu ſuſcepit. Aliquot deinde annis in eo munere laudabiliter exactis ad ſacram Paleſtinæ terram ſe contulit, ut loca illa acerbiſſimis Chriſti pœnis doloribusque Deiparæ inſignia præſens veneraretur. Ex ea peregrinatione redux Cœnobiorum regimini pluribus in locis præficitur, donec anno 1463. e Veneta Familia (ut ex Diariis conjicitur) ad Montis Granarii Cœnobium deductus ibi in ſumma vitæ auſteritate ad mortem uſque perſeveravit.

De B. Raphaele Calbo.

Raphaelem e Patritia Familia Calba, quem ex æquivoco e gente Balba nonnulli fuiſſe autumarunt, una cum Jobbe Brixienſi ejusdem inſtituti aſſecla, Beatos nuncupavit Gianius in Annalibus, quorum imagines in Monaſterio Utinenſi depictas, atque Beatorum titulo inſignitas aſſervari teſtatur. Præter nomen a Scriptoribus Ordinis, & a Joanne Theupulo Patriarcha Venetiarum in Indice recenſitum appoſita Beati nuncupatione, nihil præterea de eo licuit invenire.

Doctrinæ laude emicuerunt Andreas Georgius de Urbe veteri prædicationis munere clarus ad Caprulenſem Sedem evectus anno circiter 1341. Peſtilentia ſublatus Venetiis in Eccleſia Servorum tumulatus fuit die XVII. Julii anno 1348.

Stephanus Niger Venetus Abſorivii (vulgo Cataro) in Dalmatiæ

matiæ finibus Epiſcopus ex Raphaelis Maphæi commentariis memoratur a Gianio in Annalibus ad annum 1348. Verum hæc Chronologica nota mihi eſt vehementer ſuſpecta. Floruiſſe enim Monachum nomine Stephanum tantum ab anno 1368. ad annum circiter 1380. Monaſterii Veneti perhibent Diaria.

Lucas de Venetiis Vir doctiſſimus, Cardicenſis Epiſcopus electus eſt anno 1363. ut in Nebienſibus refert Ughellus; Venetiis Caſtellani Epiſcopi Pauli Foſcari vices gerentem anno 1371. produnt lapides Conſecrationis Eccleſiæ S. Euphemiæ, & S. Jacobi a Judaica.

Marcus Epiſcopus, & quidem ex Ordine Servorum indicatur in Diario Monaſterii anno 1368. in fine enim menſis Maii legitur exactio ducatorum vigintiquinque pro Generalibus Ordinis Comitiis Venetiis celebrandis a D. Fr. Marco Epiſcopo noſtro.

Joannes de Camino Gherardi filius, ac nepos *Egregii & potentis Domini D. Ricardi de Camino Comitis Cenetenſis & Venetiarum Civis honorandi* (ut in charta procurationis anni 1339. in Archivo Monaſterii exiſtente) Epiſcopus Clodienſis aſſeritur a Gianio in Annalibus ad annum 1370. reliquiſque Ordinis Chronologis; Ughellus vero, qui perperam Gianio imputat Joannis electionem anno 1373. conſignaſſe, atque Forolivienſem dixiſſe, ipſum a Clodienſium Antiſtitum catalogo expungit, autumans fortaſſe Johannem Ordinis Servorum alium neceſſario dicendum ab Johanne S. Antonii Plebano (Antonini potius) de Venetiis, quem ad hanc Sedem aſſerit electum anno 1369. Quod Joannes de Camino Ordinis Servorum Profeſſor Parœciam S. Antonini adminiſtraverit & ex ea ad Clodienſem Sedem evectus fuerit, aſſerere non auſim; hoc unum pro certo habendum eſt aliquando Regulares viros ad regendas Parœcias aſſumptos fuiſſe.

Julianus de Venetiis Doctor Sorbonicus & Concionator egregius, ut ephemerides Monaſterii teſtantur. Eum anno 1407. a Gregorio XII. Spalatenſem Archiepiſcopum deſignatum refert Gianius in Annalibus. Sive erraverit in ſignanda Eccleſia Juliano collata (ſicut in nomine hallucinatus eſt, ipſum Julium appellans) ſive ad Patracenſem Sedem mox fuerit Julianus translatus, in Diariis nulla mentio Spalatenſis Archiepiſcopi, Patracenſis autem, ſuppreſſo nomine, plurima. Die enim 19. Novembris anno 1408. legitur cum tota familia hoſpitio exce-

ptus, aliiſque pluribus vicibus, ac Venetiis circa finem Junii ſequentis anni ſolviſſe Patras profecturus, unde Monaſterio vinum aromaticum dono miſit.

Julius de Venetiis S. T. M. Pontificii Sacelli Apoſtolicus Prædicator, ab Innocentio VIII. Adrienſis Epiſcopus creatus eſt anno 1484. Cum Gianio Ughellus concordat.

Joannes Vincentius de Philippis Venetus morum ſuavitate, Sacrarum Litterarum ſcientia ac vitæ integritate ſpectabilis, Peloponneſo Apoſtolicis prædicationibus peragrato, ab Innocentio XII. Zacynthi, & Cœphaleniæ Jonii Maris Inſularum Epiſcopus electus anno 1698. a Clemente vero XI. ad Caprulenſes Inſulas translatus, in hujus Eccleſiæ ſedula adminiſtratione extremum diem clauſit anno 1738. cujus memoriæ Veneti Cœnobii Patres hoc elogium in Sacrario erexere.

Joanni Vincentio de Philippis Veneto Sac. Ord. Servorum Mariæ Zacynthi & Cœphaleniæ. Dein. Caprular. Epiſcopo Vigilantiſſimo. Genere. Religione. Doctrina. Et Forma Præclaro Die XVI. *Februarii* M. DCC. XXXVIII. *Ad Superos Evocato Seniores Hujus Cœnobii Viri Supremis Quoque Tabulis Beneficiis Honeſtati Juſta Quotannis Benemerenti Perſolvenda Et Monumentum Ponend. Curarunt. Vixit An.* LXXXI. *Menſes* III. *Dies* XI. *In Pontif.* XL.

Michael Merricus, Theologus, & Concionator præclarus Monaſterii S. Mariæ de Cruce Cutici in agro Tarviſino anno 1460. Inſtaurator; anno vero 1469. Veronæ dum in Cathedrali per quadrageſimam ſummo animarum lucru conciones haberet, Cœnobii S. Apollinaris, nunc S. Mariæ de Paradiſo fundator, ut in Veronenſi ſua Hiſtoria Hieronymus de Curte part. 2.

Chriſtophorus Torniellus, Petri filius, Sacræ Theologiæ Doctor eximius, Orator clariſſimus, Prior Provincialis, Procurator Ordinis, & a Pio II. Vicarius Generalis Apoſtolicus, moxque Tarviſii in Comitiis anno 1461. celebratis, Prior Generalis Viceſimus, quamplurimis Cœnobiis, & Iſtriæ Provincia Ordine aucto Romæ deceſſit anno 1485. die 16. Junii.

Incolatu ad plures annos producto Cœnobium hoc illuſtravit Petrus Nicolai Romanus, qui in ſpiritualem Proximorum ſalutem omni ſtudio intentus aſſiduum ſe in Veneta Servorum Eccleſia ſive in confeſſionibus excipiendis, ſive in verbo Dei diſſeminando Chriſti Miniſtrum exhibuit. Hunc nullo conno-

tatum

tatum agnomine tradit Gianius adlectum fuiſſe Penitentiarium Lateranenſis Baſilicæ; verum ex Apoſtolico Martini V. Diplomate, quod ex autographo in Archivo hujuſce Monaſterii aſſervato in lucem proferimus, clare innoteſcit ſupralaudatum Petrum ex Gente *Nicolai* ortum habuiſſe & ad Vaticanam S. Petri Baſilicam aſſignatum fuiſſe Penitentiarium; nec immerito etiam arguitur eum electionis ſuæ tempore Venetias degiſſe.

„ Martinus Epiſcopus Servus Servorum Dei. Dilecto filio
„ Petro Nicolai de Urbe Ordinis Fratrum Servorum Sancte
„ Marie & Theologie profeſſori Salutem & Apoſtolicam Be-
„ nedictionem. Religionis zelus litterarum ſciencia vite & mo-
„ rum honeſtas prudencia quoque ſpiritualium ac alia multi-
„ plicia dona virtutum quibus perſonam tuam prout ex fide-
„ dignorum teſtimoniis percepimus Dominus inſignivit, nos
„ inducunt ut te condignis favoribus & graciis honoremus.
„ Hinc eſt quod nos de perſona tua predicta premiſſorum ob-
„ tentu plenam in domino fiduciam obtinentes te qui pres-
„ byter & ſacre Theologie profeſſor exiſtis in minorem peni-
„ tentiarium noſtrum cum honoribus, & oneribus conſuetis
„ in Baſilica principis Apoſtolorum de Urbe Romanaque Cu-
„ ria auctoritate Apoſtolica tenore preſentium facimus conſti-
„ tuimus & eciam deputamus tibique concedimus ut hujus-
„ modi officium in eiſdem Baſilica & Curia exercere poſſis &
„ valeas ſicut alii noſtri in ipſa Curia minores penitentiarii
„ illud ibidem gerere conſueverunt & etiam exercere. Volu-
„ mus autem quod antequam officium ipſum incipias exerce-
„ re in manibus Venerabilis fratris noſtri Jordani Epiſcopi
„ Albanenſis majoris penitentiarii noſtri de hujusmodi officio
„ fideliter exercendo præſtes corporaliter juramentum juxta for-
„ mam preſentibus annotatam, que talis eſt. Ego Petrus Ni-
„ colai de Urbe presbyter & ſacre Teologie ac ordinis fra-
„ trum Servorum Sancte Marie profeſſor domini noſtri Pape
„ penitenciarius, ab hac hora in antea fidelis ero beato Pe-
„ tro Sancteque Romane Eccleſie ac domino meo domino Mar-
„ tino Pape V. ejusque ſucceſſoribus canonice intrantibus, non
„ ero in facto conſilio vel conſenſu quod vitam perdant aut
„ membrum vel capiantur mala capcione conſilium quod per
„ ſe vel Nuncium ſuum ſeu litteris michi credituri ſunt, ſi-
„ gno verbo vel nutu me ſciente ad eorum damnum vel pre-

„ judi-

„ judicium nulli pandam, ſi damnum illorum tractari ſcivero
„ illud pro poſſe meo impediam ne fiat quod ſi per me impe-
„ dire non poſſem per Nuncium aut litteras eis ſignificare cu-
„ rabo, vel illi per quem citius ad eorum noticiam deduca-
„ tur Papatum Romanum & regalia beati Petri & omnia jura
„ Romane Eccleſie que habet ubique manutenebo totis viri-
„ bus & defendam ac adiutor eis ero ad retinendum & de-
„ fendendum contra omnem hominem res quoque ipſius Do-
„ mini Pape & Eccleſie Romane que mee cuſtodie committen-
„ tur diligenter cuſtodiam, & fideliter reſignabo Ambaſſiatas
„ eciam & quecunque alia negotia michi commiſſa firmiter
„ portabo ac fideliter & diligenter referam ſine fraude & pro
„ confeſſionibus audiendis & abſolutionibus faciendis ſeu aliis
„ que ſpectant ad meum officium nichilominus per me aut
„ alium exigam vel petam aut requiram & eciam ſub titulo
„ vel ſpecie elemoſine vel enſenii vel mutui vel alio quovis mo-
„ do non abſolvam vel diſpenſabo ſcienter in aliquo caſu mi-
„ chi non permiſſo nec ſcienter quicquam abſolvam a pecca-
„ to vel peccatis aliquibus in aliquo caſu ambiguo nec etiam
„ in hujuſmodi caſu ambiguo ſcienter cum aliquo diſpenſabo,
„ niſi de ſpetiali mandato Summi Pontificis vel penitentiarii
„ majoris cui exprimam dictum caſum ſine alicujus revelatio-
„ ne vel expreſſione perſone & non iniungam penitentias pe-
„ cuniarias expreſſe michi vel alicui certe perſone vel ordini
„ meo aut alteri applicandas ſuper reſtitutionibus injungendis
„ & faciendis ſervabo prout eſt per pie memorie Dominum
„ Benedictum Papam XII. ordinatum & ſupradicta omnia & ſin-
„ gula promitto & juro attendere & obſervare ſine omni dolo
„ & fraude & malitia. Sic Deus me adjuvet & hec ſancta Dei
„ Evangelia. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc pagi-
„ nam noſtre conſtitutionis deputationis conceſſionis & volun-
„ tatis infringere vel ei auſu temerario contraire. Si quis au-
„ tem hoc attemptare preſumpſerit indignationem Omnipoten-
„ tis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe no-
„ verit incurſurum. Datum Rome apud Sanctum Petrum de-
„ cimotertio Kalendas Aprilis Pontificatus Noſtri anno Sexto.
„ F. de Madio.

E miniſterio Sacræ Pœnitentiariæ ad ſublimiores Ordinis Ma-
giſtratus evectus Procurator primum Generalis, ac deinde Vi-

carius

carius Apoſtolicus electus fuit, & demum anno 1424. in Comitiis Generalibus Romæ convocatis ſupremus totius Ordinis Moderator ſtatuitur loco Stephani Generalis qui Cracoviæ Cardinalis deſignatus obierat. Stephani mortem aſſignat Pocciantius in Chronicis ad diem xxx. Maii; Ephemerides vero Veneti S. Mariæ Monaſterii ad diem v. affigunt, in quibus ad marginem diei v. Maii hæc leguntur: *In tali die mortuus eſt Stephanus Generalis.* cui deinde Cœnobitæ ex more parentarunt die xv. ejusdem menſis. Poſt initam dignitatem Petrus ad Venetum Cœnobium quod ſingulari amore proſequebatur reverſus eſt, ubi & plurimum temporis, ut Diaria Æconomica notant, in Religionis adminiſtratione tranſegit.

Templum amplitudine ſua cum aliis Urbe tota ſpectabilioribus comparari poteſt, quippe unico fornice ſuperincumbente nulloque columnarum ordine intermediante extenditur in latitudinem pedum ſexaginta atque exporrigitur in longitudinem quadruplo fere majorem; Sacellum majus Architecturæ regulis majeſtatem conciliantibus tabula etiam inſigni decoratur quæ Virginem in cœlum aſſumptam repræſentat opus Salviati plane admirandum. Inter reliqua Altaria (duodeviginti ſunt) ſi excipias imagines pictas quibus ornantur quædam, eminet ara quæ Sacra Lipſana (de quibus mox dicendum erit) aſſervat, tum quæ Virgini ſub ſeptem Dolorum titulo, quæ S. Philippo Benitio, quæ Septem BB. Ordinis Servorum Mariæ Fundatoribus, quæ D. M. Magdalenæ ſunt ſacra. Hæc ultima utcunque partibus conſtet ad Architecturæ Canones apprime exactis, non eſt tamen Jacobi Sanſovini opus, quod vulgo creditur. Colligitur hoc ex ſchedis & tabulis Procuratorum de Citra, ut vocant, in quibus legitur aram hanc a Procuratoribus extructam fuiſſe ære legato a Domina Viride Scaligera quæ nupſerat Nicolao Marchioni Eſtenſi (non Duci) qui Ferrariæ dominabatur, hac epigraphe:

Viridis Scalana Martini olim Veronæ Ciſalpinæque Galliæ Principis Filia Nicolai Eſtenſis Ferrariæ Ducis Uxor Obiit anno MCCCCXLIII. *Ne Præſtantiſſ: Matrona Ignota Inhumataque Jaceret Pientiſſ: Procuratores de Citra Aram Hanc Tumulumque Poſuere anno* MDXXIV.

Operæ pretium eſt peculiare aliquid tradere de Altari Sanctorum ſeptem Fundatorum, ut error amoveatur, quem Sanſovinus

vinus propinavit in ſua Venetiarum deſcriptione. Scire itaque juvat, abſoluto Templi hujus ædificio Oratorium quod multo prius extructum fuerat, & intra fines novæ Eccleſiæ continebatur, in chori uſum fuiſſe converſum juxta eorum temporum ritum. Ab Eccleſia tamen fuit quodammodo ſeparatum extructo pariete e græco marmore incredibili elegantia & venuſtate. In eo tres januæ apertæ ſunt. Earum major columnis ornata & a fronte ſe objiciens aditum in chorum exhibebat, reliquæ duæ laterales minores ad partes Eccleſiæ vergebant.

In exteriori hujus parietis parte inter utramque januam duo Altaria ſurgebant, alterum quidem D. Martino Epiſcopo dicatum, alterum vero Sanctæ Cruci, cujus inventio figuris æneis repræſentabatur. Sanſovinus cum ad hujus Altaris baſim monumentum familiæ Garzoniæ ſub elapſi proxime ſæculi finem extinctæ vidiſſet, intrepide pronunciavit ad eamdem familiam pertinere contra manifeſtam hiſtoriæ veritatem; quandoquidem præter documenta quæ extant de hoc Altari impenſis Hieronymi Donati extructi, a quo etiam donum Reliquiarum jam inde ab anno 1492. profluxit, habemus etiam hæc verba deſumpta ab Inſtrumento conceſſionis Sepulchri familiæ Garzoniæ anno 1566. 2. Octobris in rogitis Joannis Figolini, quæ errorem in quem Sanſovinus improvide lapſus eſt manifeſtant.

„ Volentes annuere (Religioſi) deſiderio & requiſitioni Ma-
„ gnifici D. Garzoni de Garzonibus petentis & requirentis no-
„ minibus infraſcriptis ſibi in ſcriptis benigne, & gratioſe ab
„ ipſis Reverendis Patribus concedi locum infraſcriptum jam
„ per illos eis conceſſum, unanimes & concordes per præſens
„ inſtrumentum per ſe & ſuos in prædicto Monaſterio ſucceſ-
„ ſores conceſſerunt, & concedunt magnifico Domino Garzo-
„ no de Garzonibus quondam Magnifici Domini Auguſtini præ-
„ ſenti, & acceptanti, atque gratias agenti Reverendis Patri-
„ bus nomine ſuo, & Magnifici ac Reverendi Fratris D. Ga-
„ brielis de Garzonibus Equitis Hieroſolymitani ejus fratris lo-
„ cum & ſtationem ante Altare ſub titulo Sanctæ Crucis ſi-
„ tuatum in eorum Eccleſia Servorum penes portam Barchi,
„ ſive muri dividentis navem Eccleſiæ a Capella majori; an-
„ te quod poſſit & valeat bene conſtrui feciſſe, ſicut facit,
„ unum tumulum.

Sepul-

Sepulcrum quod adhuc eodem loco viſitur hæc inſcripta exhibet:
Gabriel Garzonus Eques Hieroſolymitanus & Garzonus Ejus Frater Auguſtini Filii ſibi viventes Poſuere MDLXVI.

Cum chorus jam inde ab anno 1562. ſupra majorem Eccleſiæ januam deductus fuiſſet, & idcirco paries diviſionis non inutilis ſolum, ſed importunus, & ſacris peragendis officiis obſtare videretur, prudenti ſane conſilio ſtatutum eſt illud de medio tollere, ut expeditior pateret ſacelli majoris aſpectus. Ex ornamentis æneis & marmoreis quibus conſtabat, erecta fuerunt altaria Beatorum Fundatorum atque Divi Peregrini Latioſi nominibus dedicata, marmoreum ſimulacrum S. Petri e Prædicatorum Ordine Martyris in fronte aræ Beati Viri ſacræ ſupereminet; cujus Divi Altare olim in hac Eccleſia erectum dedicavit Nicolaus Gaitanus Archiepiſcopus Nixienſis, ut ex lapidea inſcriptione colligitur.

Nicolaus Gaitanus
Archiep. Nixienſis
Et Paphenſis ſacravit
Die xv. Octobris
MCCCCLXXXXIIII.

Ex ea porro epigraphe apponendum erit in Oriente Chriſtiano Lequienii, hujus Præſulis nomen prætermiſſum.

Columnarum ordo per Eccleſiam ferme totam deductus, cum initium in ipſa chori translatione habuiſſet, abſolutus fuit impenſis Altobelli Bono Veneti Civis, cujus cineres ad Divi Antonii Patavini aram quieſcere ejus emortualis inſcriptio ſignificat:
Hic jacet Altobellus Bonus &c. Jo. Franciſci Civis Venetus qui multas ex nihilo eductas Divitias Deo Datori Pro cultu & ornamento hujus Eccleſiæ pie reddidit. Obiit Die XVI. *Maii* MDCLXIII. *Anno Ætatis Suæ* LXXX.

Sacrarium mole amplum, & elegantia venuſtum noſtris hiſce temporibus nova ſubinde ornamenta ſuſcepit pio ſtudio ſupralaudati Philippi Mariæ Roſſini, qui de divino cultu ſollicitus Eccleſiam & aras divite ſupellectile adauxit.

Majora tamen hujus Templi ornamenta proveniunt ex ſacris lipſanis, quibus affluenter ditatum fuit opera, & ſtudio Fratris Marci de Lectis hujus Conventus alumni, qui Stephano Mucciachello e Burgo S. Sepulcri Priori Ordinis Generali imprimis acceptus pretioſa Divorum pignora, e Romano Divi Marcel-

li Sacrario pro potiori parte deducta, ab ipſo enixis precibus impetravit. Ea deinde Venetias ad ornatum Eccleſiæ tranſtulit, Joanne hujus nominis Papa XXIII. permittente, ut Petri Olorenſis Epiſcopi & Romanæ Curiæ Sacriſtæ teſtantur ſolemnes litteræ Romæ datæ die VIII. Maii anni milleſimi quadringenteſimi tertiidecimi. Res ex ipſa epiſtola, quam hic exhibere malui, dilucide, atque ex ordine innoteſcit.

„ Nos Petrus Dei gratia Epiſcopus Olorenſis Sacriſta Romanæ Curiæ tempore Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ Johannis Divina diſpenſatione XXIII. Omnibus Chriſtifidelibus præſentem litteram inſpecturis Salutem in domino. Quia præcipue illa teſtimoniali littera approbari debent, & ſolent, quæ eorum ſunt, quorum memoria in benedictione eſt; & Sancta mater Eccleſia eadem veneratur, mandatque coli. Cum igitur Reverendus Pater Magiſter Stephanus de Burgo Sancti Sepulchri Fratrum Servorum Sanctæ Mariæ Prior Generalis Anno Domini milleſimo quadringenteſimo tertiodecimo die octava menſis Maii humiliter, & devote ſupplicaverit in noſtri præſentia præfato Sanctiſſimo domino noſtro Papæ Johanni, quatenus de ſpeciali dono, & gratia dignaretur ſua ſanctitas ob ſui devotionem licentiam concedere portandi extra Romam certas Reliquias Sanctorum cum benedictione ſuæ Sanctitatis petens, ne propterea vinculum excommunicationis incurreret, quas Sanctorum Reliquias ſibi devote donaverant Fratres, & Conventus Sancti Marcelli de Roma ſui Ordinis, cum in eadem Eccleſia plurima Corpora Sanctorum dormiant in domino. Sanctiſſimus autem Dominus Noſter dixit eidem volens informari, quod ſuæ Sanctitati portare deberet eadem ſincere in ſcriptis. Nos igitur omnibus, & ſingulis Chriſtifidelibus præſentem litteram inſpecturis ſignificamus, & atteſtamur, quod idem Reverendus Pater Magiſter Stephanus ſupraſcriptus dedit nobis die ſequenti unam cedulam cum infraſcriptis Sanctorum nominibus deſcriptam Sanctiſſimo Domino noſtro per nos præſentandam, de quorum Reliquiis ſuæ Sanctitati portare extra Romam humiliter ſupplicaverat: quæ cedula per nos ipſi Sanctiſſimo Domino noſtro Papæ Johanni humiliter præſentata, & per eundem viſa, & lecta, nobis oraculo vivæ vocis impoſuit: dicas ipſi Generali Servorum Sanctæ Mariæ, quod cum be-

„ nedi-

„ nedictione noſtra vadat, & contentor, ipſum tranſportare
„ cum ſui, & aliorum animarum ſalute ipſas Sanctorum Re-
„ liquias in præſenti cedula contentas. Nomina autem Sancto-
„ rum in prædicta cedula hæc erant. In primis Caput Sancti
„ Johannis Papæ, & Martiris. Item Maxilla S. Longini Epis-
„ copi, & Mart. Item unum Os Cruris S. Johannis Epiſc. &
„ Mart. Item modicum de Brachio Sanctæ Emerentianæ Virg.
„ & Mart. Item unum modicum de Brachiis SS. Coſmæ, &
„ Damiani. Item de Spatula S. Blaſii Epiſc. & Mart. Item
„ unum modicum de Crure S. Sebaſtiani Mart. Item unum
„ modicum de Maxilla S. Zachariæ. Item unum modicum de
„ S. Jacobo Apoſtolo Majori. Item unum modicum de digito
„ S. Petronillæ Virg. Item unum modicum de S. Coſma Mart.
„ Item unum modicum de S. Damiano Mart. Et a nobis idem
„ Rev. Pater Magiſt. Stephanus Generalis prædictus humiliter, &
„ devote petiit, & ſupplicavit, quatenus dignaremur de hu-
„ jusmodi licentia præſentem litteram teſtimonialem cum pen-
„ denti ſigillo noſtro munitam ſcribi facere ad perpetuam rei
„ memoriam. Dat. Romæ die quintadecima, milleſimo, & men-
„ ſe ſupraſcriptis.

Ubi autem ſe Sacriſtam Romanæ Curiæ nominat, nihil ad-
dens præterea, iis haud concordare videtur, quæ ſcripſit Au-
guſtinus Rocca in Chroniſt. de Apoſtol. Sacrar. ubi aſſerit Pon-
tificii Sacelli Præfectos uſque ad Sixti IV. tempora fuiſſe inſimul,
atque nuncupatos fuiſſe Summi Pontificis Confeſſarios, Pœniten-
tiarios, & Bibliothecarios. Sed hæc eruditis criticis relinquenda.

Ut autem ad cœleſtis theſauri venerationem frequentior fie-
ret populorum concurſus, Beſſarion Cardinalis Nicenus Venetias
appulſus anno 1461. dum S. Sedis Legatus in Germaniam profici-
ſcebatur, centum indulgentiarum dies omnibus Chriſtifidelibus
Eccleſiam viſitantibus in ſolemnioribus anni feſtis; ac *diebus
Sanctorum & Sanctarum, quorum Reliquiæ & corpora ibidem re-
condita ſunt, ac in eorum vigiliis & primis Veſperis uſque ad
ſecundas veſperas*. Piiſſimi Cardinalis Diploma hoc eſt:

„ *Beſſarion* miſeratione divina Epiſcopus Tuſculanus San-
„ cte Romane Eccleſie Cardinalis *Nicenus* vulgariter nuncu-
„ patus, nec non in partibus Alemanie & Germanie locis-
„ que omnibus in eisdem ſacro Romano Imperio ſubjectis apo-
„ ſtolice ſedis de latere legatus. Univerſis & ſingulis Chriſti-

„ fidelibus preſentes litteras inſpecturis ſalutem in Domino ſem-
„ piternam. Splendor paterne glorie, qui ſua mundum illu-
„ minat ineffabili claritate pia vota fidelium de ipſius clemen-
„ tiſſima majeſtate ſperantium tunc precipue benigno favore
„ proſequitur, cum devota ipſorum humilitas Sanctorum pre-
„ cibus & meritis adjuvatur. Cupientes igitur ut Eccleſia in
„ Monaſterio ſeu conventu Fratrum Servorum Dei & glorio-
„ ſe Virginis Marie in Civitate Venetiarum ſita cum ſingu-
„ lis ſuis altaribus congruis frequentetur honoribus, fideleſ-
„ que ipſi eo libentius devotionis cauſa confluant ad eandem
„ quo ibidem dono celeſtis gratie uberius conſpexerint ſe re-
„ fectos, a Chriſti quoque fidelibus jugiter venerentur, de Om-
„ nipotentis Dei miſericordia & Beatorum Petri & Pauli Apo-
„ ſtolorum ejus auctoritate confiſi omnibus & ſingulis vere
„ penitentibus & confeſis qui dictas Eccleſiam & Altaria in
„ Nativitatis, Reſurrectionis, Aſcenſionis Domini noſtri Jeſu
„ Chriſti, Penthecoſtes, Corporis Chriſti, Omnium Sanctorum,
„ Paraſceve, ſingulis glorioſe Virginis Marie, ac diebus *San-*
„ *ctorum & Sanctarum quorum Reliquie & corpora ibidem re-*
„ *condita ſunt*, ac in eorum vigiliis ac primis Veſperis uſque
„ ad ſecundas veſperas & ipſarum Eccleſie vel altarium pa-
„ trociniorum & dedicationum feſtivitatibus & celebritatibus
„ hujusmodi devote viſitaverint annuatim, vel eorum elemo-
„ ſinas ad reparationem & conſervationem dictarum Eccleſiæ
„ ac altarium calicum librorum & aliorum ornamentorum pro
„ divino cultu inibi neceſſariorum quotiescunque manus por-
„ rexerint adjutrices. Nos Cardinalis & Legatus prefatus pro
„ qualibet die ipſarum feſtivitatum & celebritate ejus ac lar-
„ gitione ſeu ſubventione hujusmodi centum dies indulgentia-
„ rum de iniunctis eis penitentiis miſericorditer in Domino
„ relaxamus preſentibus perpetuis futuris temporibus duratu-
„ ris. In quorum fidem preſentes noſtras litteras fieri noſtri-
„ que majoris ſigilli juſſimus & fecimus impreſſione muniri.
„ Datum in Civitate Venetiarum anno Domini milleſimo qua-
„ dringenteſimo ſexageſimo primo, indictione nona, die vero
„ duodecima menſis Octobris Pontificatus Sanctiſſimi in Chri-
„ ſto Patris & Domini Noſtri D. Pii divina providentia Pape
„ ſecundi anno quarto.

B. Mielant.

Fi-

Fidem auget publicum documentum per Natalem Regiam Venetiarum Plebanum & Notarium in publicas tabulas redactum. Eo Angelus Leoninus Epiſcopus Tyburtinus, & pro Sancta Sede Apoſtolica apud Venetos Legatus facultatem conceſſit Marino Baldo Congregationis Servorum de obſervantia Vicario Generali in cujus obedientia eo temporis Veneta Cœnobia degebant, ut Monaſterio *S. Mariæ de Conſolatione ejusdem Ordinis in Civitate Ferrariæ noviter conſtructo, quasdam Reliquias in Sacrario & Archivo Reliquiarum S. Mariæ Servorum de Venetiis antiquitus reconditas, & continuato tempore religioſa veneratione celebratas* impertiretur. Series rei ex ipſo documento manifeſtius patet.

„ In Chriſti nomine amen. Anno Nativitatis ejusdem milleſimo quingenteſimo tertio, indictione ſexta die vero Sabbathi octavo menſis Jullii. Noverint univerſi & ſinguli preſens publicum inſtrumentum inſpecturi lecturi pariter & audituri quod cum Reverendus in Chriſto Pater Dominus Frater *Marinus Baldus* de Venetiis ſacre theologie profeſſor, religionis beate Marie Servorum Ordinis Sancti Auguſtini de obſervantia Vicarius Generalis, cupiens ut Chriſti fideles eo amplius devotionis affectu ad Eccleſiam ſeu monaſterium ſub vocabulo S. Mariæ de conſolatione ejusdem Ordinis in Civitate Ferrariæ noviter conſtructum & erectum confluant, quo illud ſacri theſauri & reliquiarum Sanctorum depoſitione noverint decoratum, obtinuerit a Venerabilibus Patribus Dominis Priore & Conventu monaſterii S. Mariæ Servorum de Venetiis *quasdam infraſcriptas Sanctorum reliquias in ſacrario & archivo reliquiarum in dicto monaſterio ſeu ejus Eccleſia antiquitus reconditas & continuato tempore religioſa veneratione celebratas* ſibi impartiri, illasque ſibi ſic conceſſas de licentia Reverendiſſimi in Chriſto Patris D. *Angeli Leonini Epiſcopi Tiburtini, Legati Apoſtolici* cum poteſtate legati de latere per univerſum Venetorum dominium ſibi ad hoc per ejus patentes litteras cum impreſſione ſui annullaris ſigilli datas Venetiis ſub die hodierna & per Ser Gabrielem de Taxis notarium ſubſcriptas conceſſa & attributa de predicto loco reverenter relevare & ſecum ad predictum monaſterium S. Marie Conſolationis de Ferraria tranſportare intendat. Idcirco in mei notarii publici teſtiumque in-

„ fra-

„ fraſcriptorum ad hoc vocatorum. ſpecialiterque rogatorum
„ preſentia conſtitutus prefatus Rev. D. Magiſter *Marinus*
„ Vicarius Generalis una cum Venerab. Patre Priore, & non-
„ nullis aliis Fratribus dicti Monaſterii S. Mariæ Servorum de
„ Venetiis acceſſerunt primo ad *Archivum ſeu ſcrinium trium*
„ *clavium nuncupatum poſitum ſuperius in cella prefati D.*
„ *Prioris pro depoſitione reliquiarum & tabernaculorum ac ar-*
„ *gentorum* ipſius monaſterii, & illo aperto primo *ex quodam*
„ *oſſe ibidem inter ceteras reliquias* hujusmodi collocato ſuper
„ quo de litteris aureis inſcriptum erat illud eſſe *de Brachio*
„ *S. Lucæ* particulam quamdam reſecaverunt; & ex quodam
„ alio oſſe ibidem ſimiliter repoſito ſuper quo etiam inſcri-
„ ptum erat illud eſſe *de Brachio S. Nicolai* quoddam fruſtum
„ inciſerunt & amputaverunt. Deindeque devenerunt ad *ar-*
„ *chivum, ſeu capſam aliarum reliquiarum bujusmodi exiſten-*
„ *tem in Eccleſia ipſa ſuper quodam altari pro devotione fide-*
„ *lium*, quam in ſacriſtiam cauſa majoris commoditatis trans-
„ portari fecerunt; & ea aperta ex multis & diverſis reliquiis,
„ etiam incertis ibidem repoſitis acceperunt quoddam *brachium*
„ *parvum*, quod præfati Domini Prior & fratres aſſeruerunt
„ antiquitus & a tanto tempore citra quod memoria hominum
„ in contrarium non exiſtit, habitum & reputatum fuiſſe, ac
„ de preſenti haberi & reputari pro reliquia ſeu *brachio San-*
„ *ctorum Innocentium parvulorum*, qui pro Chriſto ab Hero-
„ de fuerunt interfecti; & ſimiliter acceperunt & inciderunt
„ quædam alia fragmenta oſſium & reliquiarum aliorum San-
„ ctorum, quorum nomina propter antiquitatem non haben-
„ tur. Quas quidem predictas reliquias ſicut premittitur re-
„ ceptas, prefati Domini Prior & Fratres prefato Rev. Patri
„ D. Vicario Generali dederunt & conſignaverunt. Qui qui-
„ dem D. Vicarius Generalis reliquias hujusmodi ſibi traditas
„ ſecum ad predictum Monaſterium S. Mariæ de conſolatione
„ de Ferraria transferendas & tranſportandas reverenter acce-
„ pit, collocavit, & aſſumpſit rogans me Presbiterum *Nata-*
„ *lem Regia* notarium infraſcriptum ſimul & in ſolidum cum
„ Ser *Bonifacio Soliano* etiam notario ut de & ſuper premiſ-
„ ſis publicum conficiam inſtrumentum ad perpetuam rei me-
„ moriam, & ad notitiam univerſorum totiens relevandum quo-
„ tiens fuero requiſitus. Actum Venetiis in predicto Monaſterio

„ S. Ma-

„ S. Mariæ Servorum, preſentibus Magiſtro Joanne Antonio „ quondam Ser Joannis de Charena laricida in confinio Sanctorum Hermagoræ & Fortunati, & Ser Joanne quondam Ser „ Venturini de Marcheſis de Holtrenſa Bergamenſis diſtrictus „ de confinio S. Caſſiani Venetiarum teſtibus ad premiſſa omnia habitis vocatis & rogatis.

„ L. S. Ego Presbiter Natalis Regia Venetus Canonicus „ Cenetenſis publicus Apoſtolica Venetiarum, & Imperiali auctoritatibus notarius & judex ordinarius premiſſa rogatus ſimul & inſolidum cum Ser Bonifacio Soliano Veneto etiam „ notario publico ſuperius nominato ſcripſi in prothocollo noſtro, ſed aliis occupatus negotiis per ipſummet Ser Bonifatium in hanc publicam formam relevari feci, publicari, & „ in premiſſorum fidem ſubſcripſi, ſignumque meum appoſui conſuetum.

In archivis ſeu ſcriniis per allatum inſtrumentum ſignificatis perdurarunt uſque ad annum milleſimum quingenteſimum undecimum, quo tempore primum intra inauratos loculos altaris in Sacrario erecti diſpoſitæ fuerunt, & deinde anno milleſimo quingenteſimo trigeſimo tertio translatæ ad marmoream aram Eccleſiæ, quam Jacobo Sanſovino Archetypo conſtrui mandavit Anſelmus Gradonico Patritius Venetus, ejusdem Cœnobii illuſtris alumnus. Altare conſecravit Vincentius de Maſſariis Epiſcopus Melipotamenſis in Regno Cretæ, Sanctorum Innocentium Divique Creſcentiani Martyris lipſanis ſub aræ menſa collocatis. Chronicas ædificationis notas offerunt lapideæ epigraphes, quarum binæ ad latera, tertia vero ſuperpoſita aræ fuerunt.

PRO. TRINITA
TIS. S̄. AC. OMNIV̄
SANCTOR. HONORE
EX. LE. AN̄O. D
MD. XXXIII.

AB. HUIUS. TEMPLI
SERVOR. FUNDA
TIONE. AD. ISTIUS. AL
TARIS. DEDICATIO
NEM. A. CC. XVII.

OPERA. INGENIOQUE
VEN. PR̄IS. FR̄IS. ANS.
GRADONICO. CONGREG. SERVORV̄
B. M.
AN̄O. D. M. D. XXXIII. MENSE
SEPTEM. ERECTUM.

Supe-

Supereſſet modo ſingularum Indicem texere, ſed plurimis ipſarum ut pote fragmentis ſilentio prætermiſſis, inſigniores tantummodo operæ pretium puto recenſere, quæ etiam in antiquiori catalogo anno Domini 1498. confecto, & *Inventario omnium mobilium bonorum ſacrarii* inſerto ſingillatim recenſentur.

Caput S. Mariæ Cleophæ cujus ſolemnia ab immemorabili tempore die IX. Aprilis ſub ritu duplici celebrantur. De eo nulla in antiquioribus monumentis mentio reperitur; meminit tamen ejus Marcus Antonius Sabellicus in ſuo de ſitu Urbis Venetæ libro his verbis: *In eodem tractu ad occaſum magis conſpicuum Virginis templum cum numeroſo Servorum cœtu (ſic enim ſe qui ibi ſacris operantur nominant). Ad aram maximam Mariæ Cleophæ caput.*

Læva manus S. Andreæ Apoſtoli argenteo incluſa tabernaculo.

Argentea tabula ad oſcula pacis inter Miſſarum ſolemnia exhibenda fragmentum continens Dominicæ Crucis. Olim de jure fuit Stephani Birelli primo hujus Cœnobii alumni, deinde Archiepiſcopi Dyrachienſis, quem Lequienius in Oriente Chriſtiano prætermiſit.

Caput S. Joannis Papæ & Mart. in ſuperius allato Petri Olorenſis Epiſcopi Diplomate primo loco enumeratum.

Brachium S. Lucæ Evangeliſtæ, quod in hac Eccleſia ante annum 1462. fuiſſe aſſervatum teſtantur antiqua Monaſterii monumenta.

De Veſtibus S. Simonis pueri Tridentini a Judæis in Chriſtiani nominis odium anno 1475. immaniter interfecti. Æneo inaurato tabernaculo clauduntur, ipſiſque appoſita eſt inſcriptio, quæ ex caracteribus, quibus efformatur, non longe a Beati pueri obitu ſcriptam eſſe ſignificat. In ea ſic legitur.

Laus Deo

In queſto tabernacolo del Beato Simoneto *de Trento gexè doi pezi de doi ſoe gonelle lui portava: & etiam un pezeto della ſoa camexa: & un pezeto de una ſoa ſcharpa: & etiam un ſuo chavelo del dito Beado Simoneto: & tutte queſte choſe ſe hano habude da Miſſier Pre* Jachomo Seba *Chanonicho de Trento, che lui le avè in quel tempo chel dito Beato Simoneto da li Judei fu morto chome moſtra la Inſtoria.*

Olim

Olim ſub ſancti pueri Martyris invocatione in Eccleſia inſtitutum fuiſſe ſodalitium paucis ab ejus paſſione annis elapſis teſtatur autographum documentum anno 1495. confectum, cujus tenor talis eſt.

„ Frater Gaſparinus Boro Venetus Ordinis Servorum Regu-
„ laris Obſervantiæ Sacræ Theologiæ humilis Profeſſor, Con-
„ ventusque S. Mariæ Servorum Venetiarum Prior licet indi-
„ gnus. Dilectis nobis in Chriſto filiis & fratribus Confra-
„ ternitatis Beati Simoneti in Eccleſia Servorum ſalutem &
„ pacem in Domino ſempiternam. Cum pro inſtauratione &
„ reparatione Eccleſiæ atque Monaſterii Sanctæ Mariæ Vene-
„ tiarum Sanctiſſimus Dominus D. Innocentius Papa VIII. Ec-
„ cleſiam ipſam viſitantibus ac manus adjutrices porrigentibus
„ conceſſerit plenariam ſuorum peccatorum indulgentiam, nec
„ non & confraternitatibus ſingulis Clericorum vel laycorum
„ prædictam Eccleſiam collegialiter viſitantibus, ultra prædi-
„ ctam indulgentiam facultatem eligendi ydoneum confeſſorem
„ ſecularem vel regularem cujusvis ordinis a quo abſolvi poſ-
„ ſint ab omnibus & ſingulis caſibus, præterquam in cena Do-
„ mini, reſervatis, qui continentur in bulla annunciationis
„ ſemel duntaxat in vita & in mortis articulo plenariam re-
„ miſſionem. In aliis vero totiens quotiens opus fuerit præmiſ-
„ ſa ſatisfactione, conceſſeritque dictis confraternitatibus in die-
„ bus ſuarum feſtivitatum ſeptem annos & totidem quadrage-
„ nas de vera indulgentia. Et quoniam Vos confratres prædi-
„ ctam Eccleſiam S. Mariæ Servorum juxta prædictum teno-
„ rem viſitaſtis, ideo fatemur Vos omnia ſupradicta aſſecutos
„ fuiſſe. In quorum fidem has preſentes fieri fecimus & ſigil-
„ lo Conventus S. Mariæ Servorum roboravimus Anno Do-
„ mini MCCCCLXXXXV. die XXV. Martii.

Hæc autem incidenter dicta ſint ut ipſius Martyris gloria ab hæretico Viro calumniis impetita clarius eluceſcat.

Tibia adhuc carne cooperta unius Bethleemitæ Pueri ſub Herode interempti, quam ab Eccleſia S. Stephani Murianenſis eductam Templo S. Mariæ Servorum una cum plurimis diverſorum Sanctorum fragmentis dono dedit Antonius Grimanus Epiſcopus Turcellanus poſtea Aquilejenſis Patriarcha.

Ad Altare Dominicæ Nativitati ſacrum inſignis Reliquia viſitur, quæ ex immemorabili traditione eſſe S. Sebaſtiani aſſe-

ritur ſub Diocletiano Auguſto immolati. Hæc olim ad altare eidem Sancto dicatum adſervabatur, ubi & pium Sodalitium vigebat ſub Divi Sebaſtiani protectione Divino cultui mancipatum. Celebris erat retroactis temporibus apud Cœnobii Patres ipſius Divi ſolemnitas, in cujus pervigilio, ut ex monumentis autenticis conſtat, pane tantum & herbis veſcebantur.

Reliquiario in Crucis formam ex Jaſpide Orientali efformato infixa eſt argentea capſula portionem ex titulo Dominicæ Crucis continens, ut docet inſcriptio ipſi capſulæ inciſa: *Lignum ex Crucis Titulo Qui in Templo S.* ✠ *In Hieruſalem Romæ ſervatur Quod Hier. Donatus Orator Venetus ſibi ab Innocen.* VIII. *Pont. Max. miræ clementiæ dono conceſſum precioſo opere concluſit. Et in Sacrario Servorum Divæ Virginis dedicavit. Anno Salutis & gratiæ* MCCCCLXXXXII.

Porro Hieronymus Donatus ille ipſe eſt, qui, ut diximus, ad parietem diviſionis altare Crucis extrui mandavit, tabulasque æneas anaglyptico opere elaboratas vivifici ligni inventionem exhibentes appoſuit, quæ modo ad Beatorum Fundatorum aram deductæ viſuntur.

Fragmenta ex Oſſibus Divorum Philippi Benitii, Peregrini Latioſi, & Julianæ Falconeriæ V. ex Ordine Servorum, atque Cineres ſeptem Beatorum virorum, quos Ordo ipſe Parentes & Fundatores agnoſcit.

Ad Sacrarii aram oſſa quieſcunt Beati Bonaventuræ Torniel-li Forolivienſis ex Ordine Servorum, Utino, ubi ſanctiſſime obiit, Venetias Andrea Lauretano Patriæ Forojulienſis Locumtenente procurante deducta. Quo tempore peracta fuerit translatio ex Monaſterii regeſtis haud apparet, apponenda tamen congruenter erit ad annum 1509. ſiquidem Andreas Lauretanus, qui anno 1507. Utinenſem Præturam ſuſcepit, anno 1509. poſt completum ſui regiminis curſum in patriam rediit. Philippus Albericus de Mantua, qui in Servorum Ordine floruit anno 1511. hujus beati viri mentionem ingerit in Catalogo ubi Vicarios Generales Congregationis Servorum de obſervantia ex Ordine recenſet.

„ MCCCCLXXXVIII. Cremonæ celebratur Fratrum Conventus,
„ in quo *Bonaventura de Forolivio* Vicarius Generalis efficitur.
„ Is minimæ erat ſtaturæ, & exili corpore, doctrinæ vero me-
„ diocris. In concionibus alter Paulus ſua tempeſtate habitus

„ eſt,

„ eſt, & ubique magno ſemper precio habebatur. Erat ſum„mæ ſanctitatis pater: barbam gerebat incultam; nudis pe„dibus æſtatis calorem, hyemiſque algoream ac glaciei ma„ximam frigiditatem patiebatur. Nullo unquam tempore cal„cea gerebat, adeout frequenter in pedibus rimulas ſangui„nem evomentes aſpiceres. In veſtitu contemptiſſimus extitit, „nullo tempore carnes comedebat, vinum nunquam bibit, „ſupra nudam terram, aut interdum ſupra tabulas cubebat; „& ea tandem agebat, quæ pro domando corpore viderat „opportuna. Vivens adhuc plurima miracula a Deo fieri ſuis „orationibus obtinuit. Semper concionibus vacabat, & con„templationi potius quam rebus gerendis operam dediſſet, „niſi a Patribus fuiſſet coactus ad Magiſtratus noſtri onus „ſubeundum. Ad quam dignitatem cum ſe electum percepiſſet, „ſtatim audita re, fugam molitus eſt: Verum a fratribus de„tentus nequaquam eorum voto ſtare non potuit. Obiit Uti„ni & ibi in Eccleſia Sanctæ Mariæ Gratiarum miraculis ali„quandiu floruit. Sed *Andreas Lauredanus* cum in ea Urbe „pro Venetis Præſes exiſteret, & adverſa valetudine correptus „in extremis ageret, meruit Beati *Bonaventuræ* interceſſione „convaleſcere; qua gratia ſuſcepta ejus corpus integrum *Ve„netias* tranſtulit quod ſummo honore in Eccleſia Servorum „miraculis fulgens collocavit.

Ejus autem memoriam inter vitas Illuſtrium Forolivienſium virorum inſeruit Georgius Vivianus Marcheſius lib. 1. cap. 2. pag. 29. quam idcirco hic adnectimus, ut quibuſdam notulis aliqua minus veritati conſona corrigantur, aliqua etiam, quæ ad Venetum Cœnobium pertinent, addantur.

„ Beatus Bonaventura Torniellus ſummo loco apud Forolivienſes natus eſt ex clariſſima & vetuſtiſſima progenie quam „Opizo Novaria Forolivium aſportaverat anno 1254. Hic cum „famulari Deo in obſequio Sanctiſſimæ ejus Genitricis decre„viſſet adoleſcentibus adhuc annis familiam Servorum iniit, „ubi pietate ac doctrina ante ipſam maturitatem conſortes re„gularis diſciplinæ ſuperavit (*a*). His meritis virtutum, nec „non prudentiæ, & affabilitatis ad varios gradus Ordinis ſui

„ (*a*) Venetiis in Monaſterio S. Mariæ Servorum litterarum ſtudiis incubuit per „ annos ſex ab anno ſcilicet 1448. ad annum 1454.

„ aſcendit; licet ab imperiis refugeret animus contemptor di„ gnitatum. Dum Præfectus eſſet D. Marcelli Almæ Urbis de„ ſeruit ſtrepitum Romanæ Aulæ & cum ſex ſociis ſolitariæ „ vitæ in Eremum latinam abiit, permiſſu Chriſtophori Ge„ neralis; ut procul a cogitationibus humanis, quæ ſpiritui „ ſunt impedimento, ne Deo copuletur, ad meditationem cæ„ leſtis Patriæ eum elevaret. Quod ut intellexit Xyſtus IV. „ Pontifex Maximus Bonaventuræ propoſitum laudavit; ac ſa„ tis conſcius ingentis illius ſapientiæ & zeli, illum chara„ ctere Pontificii Concionatoris inſignivit. Annuus ſeceſſus „ fuit, a quo demum tanta Sanctimoniæ fama emerſit, ut om„ nes videre & audire Virum tamquam a cælis miſſum certa„ tim niterentur. Per Hetruriam aggreſſus iter nudis plantis „ & lacero veſtitu antequam Florentiam perveniret, eum præ„ cedente fama, tota Civitas commota eſt; nobiliſſimique „ Cives obviam prodeuntes, ipſum Senatus nomine precati „ ſunt, ut explere cupiditatem Populi Divinum verbum ſitien„ tis ne recuſaret. Ter in cathedrali Baſilica conciones ha„ buit, tanta auditorum frequentia, ac fructu, ut omnes præ „ contritione cordis profuſe lacrymarentur. Anno 1485. Cœtui „ Vetrallæ interfuit, in quo Provincialis Flaminiæ dictus eſt; „ quamvis ejus humilitas reluctaretur, & gradus quoſcumque de„ trectaret. Hæc virtus adeo cæterorum admirationem exci„ tavit, ut illi in Generalibus Bononiæ Comitiis anno 1488. „ totius Ordinis (*a*) regimen, ſub Vicarii Generalis dignita„ te Cœnobitæ concrediderint. At cum Bonaventura men„ tes & vota ſuffragantium agnoviſſet, & de imbecillitate ſua„ rum virium formidaret, ſe ſubducere ſollicito animo vo„ lebat: verum in limine januæ interceptus, geſtare onus, „ & ſumere imperium coactus eſt. Poſtridie ſuggeſtum ſcan„ dit in D. Petronii allocuturus Populum qui illuc confluxe„ rat, ut eum audiret ad purgandas corruptelas ſæculi ſu„ perne electum; cum tamen ſinus prægrandis Templi im„ menſam fere multitudinem ingredi fores contendentem ex„ cipere non ſatis poſſet. Hoc monaſterium nec diſtentus of„ ficii curis nec inflatus dignitatibus uſque ad interitum un„ quam

„ (*a*) Non totius Ordinis, ſed Congregationis obſervantium nuncupatæ.

„ quam prætermiſit. Eo Venetiis concionante (*a*), Viri qua-
„ draginta, inſidias Mundi declinantes, ſe in familiam Servo-
„ rum receperunt; cum alii illum ob Apoſtolicum fervorem
„ D. Paulo aſſimilarent; alii tranſeuntem tangere, & veſtem
„ lacerare niterentur. Dum tandem Utini inter carnes qua-
„ drageſimæ jejunia, non ſolum lingua, ſed operibus ſancti-
„ ficaret; & torpentes mortalium animos in his caducis bo-
„ nis, ad poſſeſſionem æternorum urgeret; longevæ ætati,
„ nam octogeſimum annum ſuperabat, finem dedit. Hoc an-
„ tequam obiret, præmonſtrato, & variis portentis actis, Pri-
„ die Cal. Martii anno 1491. ad cæleſtem requiem emigra-
„ vit. Expoſitum eſt corpus in Fano Servorum communi Ju-
„ lienſium luctu, qui circa feretrum velut inconſolabiles filii,
„ ſpiritualis Patris jacturam ploraverunt (*b*). Ibi ſacratum
„ cadaver jacuit, quouſque Andreas Lauredanus Senator Ve-
„ netus, & Forojulii Præfectus a præſenti mortis periculo
„ liberatus, illud Venetias vexit ut augeret Deo gloriam, &
„ Liberatori cultum. Erat Bonaventura corpore parvo, & re-
„ ſpondentibus ſtaturæ membris prolixam, & incultam bar-
„ bam, ac contemnendum habitum ferebat; ſine tibialibus,
„ ac calceis per calles glacie & nive rigentes gradiebatur, ut
„ ſæpe ab ipſis rimulis pedum cruor emanaret. Durum etiam
„ vitæ inſtitutum profeſſus eſt; nam a carnibus, & a vino
„ abſtinuit, contentus aqua, pane, & herbis, vel in humo,
„ vel in tabulis ſemper requievit; catenis & flagris ſe ſe in-
„ clementer cruciavit; ne corpori deeſſet ullum pœnarum ge-
„ nus, & ſpiritui meritorum incrementum (*c*). Ejus imago
„ extabat ad unguem expreſſa in columna S. Mariæ Montis
„ Berici Vincentiæ, tanquam hominis macie confecti, pan-
„ noſi, & flagellum contrectantis, cum hac epigraphe. A
„ Penitenza. Eum Gaſparinus Venetus, & Matthias Myolius
„ elegiacis Næniis proſecuti ſunt, & alii Scriptores condignis
„ laudibus, inter multas Bonaventuræ virtutes rigidum viven-
„ di modum celebrarunt (*d*).

Cum

„ (*a*) Ann. 1486. 1488. quibus utraque vice concionem habuit in Capella D.
„ Marci ad Senatum in die Palmarum.
„ (*b*) De cultu ipſi ſtatim exhibito videnda annexa documenta.
„ (*c*) Simon *Pellatus* in Chron. MS. Cent. 3. lib. 4. Archangelus Gianius in Annal.
„ Ord. Servor. Aloyſius Garbius in Addit. Cent. 3. lib. 3. & 4.
„ (*d*) De eo ſcripſerunt Capodagli in Utino illuſtrata. Lucretius Treus in mo-
numentis Forijulii.

Cum autem ad Venerabilis Viri ſepulcrum frequens fieret populorum concurſus, Nicolaus de Guliola in Patriarchatu Aquilejenſi Vicarius ne ulla ipſius corpori veneratio daretur inhibuit; ægre id tulerunt Utinenſes, quapropter in Civitatis conſilio congregati ut appellatio inhibitionis adnotaretur unanimi voto ſtatuerunt. Acta damus qualia in Utinenſi Archivo reperiri potuerunt.

„ Nicolaus de Guliola Juris Doctor in Patrierchali Diœceſi Aquilejenſi Sede vacante Viccarius Deputatus: Univerſis, „ & ſingulis utriusque ſexus Fidelibus, in præfata Aquilejenſi „ Diœceſi reſſidentibus, ſeu ad eam venientibus, quibus eæ „ noſtræ Litteræ diriguntur, Salutem in Domino, & noſtris „ hujusmodi haud inconſulte emanatis firmiter obbedire præ„ ceptis. Quia Sacræ Leges, & Canonica jura variis, & diver„ ſis in locis deteſtantur, & prohibent aliquem pro Sancto „ haberi, ſeu venerari, vel ei publicas, & ſolemnes preces „ porrigi, niſi prius ille talis per Summum Pontificem, & „ Apoſtolicam Sedem fuerit pro Viro Sancto approbatus, & in „ Cathalogo relatus Sanctorum, & ii, qui ſecus faciunt, graviter „ peccant, & in erroneam ſuperſtitionem (quæ damnatam ſa„ pit hæreſim) manifeſte prolabuntur. Ideo ad occurrendum „ deteſtandis erroribus, qui contra præfata jura, & non ſine „ animarum diſcrimine proximis diebus circa Corpus Fratris „ Bonaventuræ a Barba cognominati Ordinis Servorum in Ec„ cleſia Sanctorum Gervaſii & Protaſii de Utino tumulatum „ commiſſi eſſe ducuntur, & in dies publice committi: Ha„ rum ſerie, quas primo in Eccleſia Majori Utinenſi, & „ alibi prout expedierit legi, & inſinuari, & deinde in Valvis „ ejusdem, & aliarum Eccleſiarum ad tollendam omnibus igno„ rantiæ excuſationem affigi volumus, Interdicimus, & au„ ctoritate, qua fungimur expreſſe inhibemus vobis univerſis „ ſub pœna Interdicti, & ſingulis veſtruum ſub pœna excom„ municationis latæ ſententiæ, quam ex nunc, pro ut ex tunc, „ & e contra ferimus in vos, & veſtruum quemlibet inhobe„ dientem in his Scriptis trina Canonica monitione præmiſ„ ſa: Quod deinceps nullus audeat, vel præſumat dictum Fra„ trem Boneventuram pro ſancto venerari, aut ei preces, & ho„ nores uti Sancto publice, vel ſolemniter exhibere, ſeu Tu„ mulum ejus viſitare, ſive ante ipſum genua curvare, Can-

„ del-

„ dellas, vel Cereos incendere, aut Imagines cereas, vel
„ alia vota offerre, donec, & quousque a præfata Sede Apo-
„ ſtolica non fuerit Canonizatum, vel aliud ſuperinde decre-
„ tum. Prohibentes ulterius ſub dicta anathematis pœna ipſo
„ facto per Innobedientes incurrenda, Notariis, & Tabellio-
„ nibus quibuscunque, quod in futurum nulla prætenſa mira-
„ cula dicti Fratris Boneventuræ ſcribere, aut aliter annotare
„ præſumant absque noſtra, ſeu Patriarchalis Sedis licentia:
„ & qui aliqua forte hactenus annotarunt, teneantur notam
„ ipſam, quam fecerunt nobis realiter, & cum effectu præſen-
„ tare, & tradere infra terminum dierum trium ab harum
„ publicatione computandorum, quorum unum pro primo,
„ unum pro ſecundo, & unum pro tertio ultimo, & perem-
„ ptorio termino aſſignamus. Cæterum ad evacuandam, ex-
„ tirpandamque inanem, & muliebrem quodammodo ſuper-
„ ſtitionem illarum perſonarum quæ ultra præmiſſos errores
„ Idolatriæ admiſſos, petias, ſeu fruſta Cappæ, vel Tunicæ,
„ aut partem pillorum barbæ ejusdem Fratris Boneventuræ ac-
„ cipere, & penes ſe retinere non formidarunt, ſimili modo
„ præſenti Edicto Noſtro omnibus, & quibuscumque de præ-
„ miſſis aliquid habentibus injungimus, & ſtricte præcipiendo
„ mandamus ſub eadem excommunicationis latæ ſententiæ
„ pœna, ipſo jure, ſi contra fecerint, incurrenda, quod in-
„ fra dictum trium dierum ſpatium ab harum inſinuatione
„ computandum obligatæ ſint id totum, quod habent Rev.
„ Domino Decano Utinenſi, vel Nobis tradere, & conſigna-
„ re absque aliqua reſſervatione. Certiores denique facientes
„ vos omnes, & ſingulos ſupraſcriptos, quod contra rebelles,
„ & innobedientes in prædictis, ſeu aliquo prædictorum ad
„ executionem ipſarum pœnarum ſine tarditate, & remiſſio-
„ ne aliqua juſticia mediante procedamus.; etiamſi opus fue-
„ rit nominatim. Inhibentes præterea ſub eadem pœna, quod
„ nullus audeat præſens Edictum noſtrum de loco, in quo
„ affixum fuerit ammovere, vel contra ipſum aliqualiter in-
„ novare. Dat. Utini ſub impreſſione rotundi ſigilli Rever.
„ Capituli Aquilejenſis, quo Sede vacante utimur, die ſexta
„ Aprilis M. CCCC. LXXXXI.

In

„ *In Convocatione Magnificæ Civitatis Utini.*

„ *Die* 10. *Aprilis* 1491.

„ Propoſuit Nob. &c. Romanus de Attimps, quod his proximis diebus defunctus eſt quidam Fr. Bonaventura cognomento a Barba bonæ S. vitæ ut ex ejus operibus cognoſci poterat, & poteſt, qui cum ſit in Eccleſia S. Mariæ Servorum tumulatus, & quibusdam miraculis coruſcans a compluribus Chriſtifidelibus veneratur, ob quæ emanarunt quædam litteræ excommunicatoriæ Rev. D. Vicarii in ſpiritualibus de non venerando dictum Corpus; propterea pro bono pub. petiit per dictam convocationem ſuperinde provideri. Qua propoſitione audita per dictam convocationem commiſſum fuit Spectab. Doctoribus Dom. Bernardino Bertollæ, & D. Simoni Felitino, ut intelligere debeant dictas litteras excommunicatorias, & earum tenorem, & deinde referre in dicta convocatione, ſeu conſilio.

„ *In dicta Convocatione.*

„ *Die* 12. *Aprilis* 1491.

„ Spect. Doctores Domini Simon de Felitinis unus ex Spect. Dominis Deputatis, & Bernardinus Bertolla, quibus ut ſupra commiſſum fuit ad videndum edictum Rev. D. Vicarii in ſpiritualibus factum & emanatum ſub pœna excommunicationis, quod nemo debeat venerari Corpus D. Fr. Bonaventuræ Barbetta tanquam ſanctum; Res. Retulerunt vidiſſe ipſum edictum & quod eorum juditio ipſum edictum in aliquibus partibus indebite, & contra formam juris gravat Populum Utinenſem, & quod bonum eſſet interponere appellationem ad Rmum. D. Legatum & ad Sanctam Sedem Apoſtolicam & præfatus D. Bernardinus Bertolla ibidem legit dictum edictum excommunicatorium & appellationem formatam contra ipſum edictum in parte & partibus, quibus indebite gravat in communi, & particulari omnes, & præcipue noſtram communitatem & Populum Utini rationibus & cauſis in ipſa appellatione notatis; quibus auditis per ipſam convocationem nemine diſcrepante, terminatum fuit quod a dicto edicto appelletur, & commiſſum fuit eisdem Dominis Simoni Felitino, & Bernardino Bertolla Doctoribus ad appellandum & interponendum ac præſentandum appellationem, de qua ſupra, coram Ven. D. Nicolao Guliola Vicario ſubſtituto; & qua-

„ tenus

„ tenus ipſe Dom. Nicolaus nolet ſe impedire, quare edictum „ ipſum eſt factum nomine Rev. D. Buzii Vicarii in Patriar- „ chatu, quod tunc ipſi D. D. Simon & Bernardinus equitare „ debeant Aquilejam, & coram ipſo Rev. D. Vicario interpo- „ nere ipſam appellationem nomine noſtræ communitatis.

„ *Die Mercurii* 13. *Aprilis* 1491.

„ Coram præfato Domino Nicolao Viccario In Veſtibulo Do- „ mus S. Antonii ſuæ Reſſidentiæ de Utino pro Tribunali ſe- „ dente comparuerunt eximii Juris Doctores Dominus Bernar- „ dinus Bertolla & Dominus Simon Philitinus Nuncii Magni- „ ficæ Communitatis Utini ad hoc ſpecialem Commiſſionem „ habentes, ut de tali commiſſione ibidem fidem fecit Egre- „ gius Vir ſ. Bartholomeus de Latiſana dictæ Communitatis „ Cancellarius, & nomine præfatæ Magnificæ Communitatis „ produxerunt appellationem infraſcriptam, dicentes, narran- „ tes, appellantes, Apoſtolos petentes, proteſtantes, & con- „ cludentes in omnibus, & per omnia ut infra. Qui Reveren- „ dus Dominus Viccarius lecta, & audita inſtantia præfatæ „ Communitatis Magnificæ, habita fide de commiſſione eis fa- „ cta Reſpondit tunc ea, qua decuit reverentia, non medio- „ criter mirari, quod præfata Magnifica Communitas, quæ „ etiam Doctiſſimorum Virorum Conſilio regitur, & Proba- „ tiſſimorum Civium auctoritate gubernatur, quamquam exa- „ ctiſſimam ſemper Cultricem hujus Sanctæ Sedis Aquilejen- „ ſis cognoſcit, pungentem coram eo libellum, bona ejus- „ dem venia ſit dictum, & in multis a juris tramite devian- „ tem porrexerit: cum ſit moris Præſſidentium eidem Sedi, „ fueritque ſemper non modo huic Magnificæ Communitati, „ quam præ cæteris & colit, & ſuſpicit, verum nec viliſſi- „ mo cuiquam injuriam inferre: Decentius itaque potuerat „ eadem Magnifica Communitas, ſi quid per eumdem Reve- „ rendum Dominum Viccarium ſive contra, ſive præter ſa- „ crarum Legum Inſtituta, & Juſſiones Edictum fuerat, id to- „ tum ad Tribunal Patrierchale deferre, non mordentia in Præſ- „ ſidentis ſpicula parare, ſtante præſertim ejusdem Domini Vic- „ carii oblatione omnibus, quibus cum de hac re ſermonem „ habuit, facta, præcipue tamen Venerandis illis Fratribus S. „ Gervaſii, & probatiſſimis, hornatiſſimisque Civibus Utinen- „ ſibus, per quam ingenue profeſſus eſt, ſe nihil contra ſa-

„ crarum Legum Inſtituta velle attentare: & ſi quid hactenus „ per humanam fragilitatem (quod non credit) propoſuit, „ & attentavit, id totum velle (ita jure dictante) revoca- „ re. Neque enim pudet eum tanquam Hominem fragilem, „ & cui omnia nota eſſe non poſſunt, & caſtigari a Doctori- „ bus, & corrigi a ſapientioribus, honorisque eccleſiaſtici mi- „ nime erudimenta contemnens. Quia & Auguſtinus ſenex „ jam, & Epiſcopus multorum annorum a puero etiam an- „ niculo aſſerit ſe paratum edoceri, juxta Textum in Tit. *ſi* „ *habes* XXIIII. q. III. Nequaquam igitur neceſſaria fuerat ap- „ pellatio a Judice ad Juſticiam promptiſſimo, Quæ tamen, „ etiam admiſſa, ſalva reverentia tantorum Patrum, excom- „ municationem jam latam non ſuſpendiſſet. Hæc dicta ſint „ pro integerimi Tribunalis Aquilejenſis honeſta excuſatione. „ Ad quorum omnium verificationem, & ad tollendam om- „ nibus murmurandi occaſionem, Idem Dominus Viccarius „ offert ſe paratiſſimum ſtare diſpoſitioni juris, & in nihilo „ velle a juris tramite deviare: & quatenus deviaverit, quod „ non credit, offert, ſe id totum, ita jure dictante, & non „ aliter revocaturum, irritaturumque; quod ut clarius, & evi- „ dentius fiat, ex nunc interpellat eosdem Dominos Nuncios „ ſtatuant diem certam, quam velint, quia idem Dominus „ Viccarius paratus eſt convocare Juris peritos hujus ampliſ- „ ſimæ Civitatis tam humanarum, quam Divinarum Inſtitu- „ tionum, coram quibus diſcuſſo præſenti Articulo, & om- „ nium ſententiis plene intellectis, rei veritas dilucidabitur, „ & quod juſtum fuerit approbabitur; ſcriptum eſt enim. In- „ tegrum eſt Juditium, quod plurimorum ſententiis confirma- „ tur. Rogat tamen idem Reverend. Dominus Viccarius, „ & ex nunc interpellat ſub obteſtatione Divini Judicii, ut „ ſicut præfata Magn. Communitas providere intendit, ne per „ præfatum Edictum ejusdem D. Viccarii, in quem nullam „ habet jurisdictionem, animæ rudium Populariùm ſuorum „ illaquentur, eodem modo dignetur pro Juſticia providere, „ ne Fratres prædicti licet & ipſi exempti, & non ſubditi Ple- „ bem Utinenſem variis figmentis, aut falſis documentis de- „ cipiant, & reducant. Et breviter reſpondendo in forma idem „ Dominus Viccarius præfatam aſſertam appellationem non „ admiſit, quia ſi in aliquo gravavit contra juris formam,

„ pa-

„ paratus eſt, ut ſuper expoſuit, retractare: non tamen in-
„ tendit idem Dominus Viccarius per hoc recedere a dicto
„ mandato, niſi quatenus habita ſuper hujuſmodi re diligen-
„ ti tractatu, de quo ſupra abunde dictum fuit, ſibi videbi-
„ tur de jure. Præſentibus Domino Franciſco de Straſſoldo,
„ & f. Alexandro de Filitinis Teſtibus.

„ *Tenor autem Appellationis ſequitur, & eſt talis.*

„ Coram Vobis Rever. Dom. Bucio de Palmulis Decretorum
„ Doctore Clariſſimo Viccario Sede vacante In Patrierchatu
„ Aquilejenſi digniſſimo, ſive coram Præſtantiſſimo ejus Sub-
„ ſtituto: Comparet Magnifica Communitas Utini, ſive ejus
„ legitimi Interceſſores cauſa, & occaſione cujuſdam Edicti,
„ & mandati Juſſu Veſtro in Valvis Eccleſiæ Majoris Utini
„ affixi his ſuperioribus diebus, & in dicta Eccleſia die Do-
„ minico nuper elapſo publicati, In quo inter cætera prohi-
„ bentur Chriſti Fideles hujus Diœceſis Aquilejenſis ſub pœ-
„ na Interdicti in Univerſos, & Excommunicationis in ſin-
„ gulis, ne accedant ad Tumulum bonæ memoriæ quondam
„ Fratris Bonaventuræ Ordinis Servorum in Eccleſia Sancto-
„ rum Jervaſii, & Protaſii tumulati hac hebdomada magna
„ nuper defuncti. Prohibeturque in eo ne ad Tumulum ejus
„ genua flectant, Candellas accendant, vel alia vota offerant
„ Quouſque a Sede Apoſtolica dictus quondam Frater Bona-
„ ventura non fuerit Canonizatus, vel aliud ſuperindictum
„ decretum: Inſuper in eo præcipitur Notariis, ut ſi quam
„ Notam de ejus quondam Fratris Bonaventuræ miraculis fe-
„ cerunt, eam Vobis præſentare, & tradere teneantur ſub ea-
„ dem pœna. Ulterius injungitur in eo, ut ſub eadem Ex-
„ communicationis pœna, ut teneantur omnes, & ſinguli pe-
„ tias, ſeu fruſta Cappæ, vel Camicæ, vel partem pillorum
„ barbæ ejuſdem quondam Fratris Bonaventuræ ſi quam ac-
„ ceperunt, integre conſignare & tradere ſive Vobis, ſive Re-
„ verend. Domino Decano Utinenſi ſine aliqua reſſervatione,
„ Imo ſi qui ſciunt dictas res, vel partem earum eſſe penes
„ aliquem teneantur illum revellare ſub dicta pœna, vel pro
„ ut in mandato, & Edicto, ad quod habeatur relatio Impugna-
„ tive tamen in parte, & partibus dictam Communitatem, &
„ ejus Populum offendentibus: In parte vero, & partibus
„ ejus favorem concernentibus amplexive: Et dicit dicta Com-

„ munitas, ſive ejus Interceſſores Q. V. R. P. gravat diverſimode Populum ſuum in eo Edicto ultra, & præter, Imo etiam contra id quod de jure fieri potuit: ſatis enim fuiſſet prohibere, nequis auderet dictum Fratrem Bonaventuram pro Sancto publice venerari, vel ei tanquam Sancto publicas, & ſolemnes preces porrigere, ſicut ſacra Jura Canonica diſponunt: & non tam anguſte prohibere, & tollere Devotionem Populi ad dictum Virum religioſiſſimum, & Chriſtianiſſimum, qui tamdiu ultra forte annos xx. continuos tam acerbam vitam, & auſteram geſſit ad laudem Chriſti, ſicut notorium eſt, quod vires humanas dicta ſtrictura vitæ exceſſiſſe videbatur. Tandiu præterea, & tam ſtudioſe, & tam aſſidue verſatus eſt in Prædicatione Verbi Dei inſtruendo hunc, & alios Populos ad bene, beateque vivendum verbo pariter, & exemplo, ut de eo non ſit, niſi optime judicandum, & credendum, De quo enim Hominum unquam ſperare (ut ſalvus fiat) debemus? ſi de hoc certitudinaliter tenere nolumus ut ſalvus ſit: De quo profecto Homine multa & in vita, & in morte prædicantur, & a fide dignis atteſtantur Dei Gratia fuiſſe facta miracula; Non itaque debuiſſet V. R. P. ſic ſimpliciter prohibere Chriſtifidelibus acceſſum ad ejus Tumulum, nec genuflexionem, nec accenſionem Candellarum ibi ut religioſo, & Viro Chriſtianiſſimo laudatæ vitæ, de quo ſpes optima ſalutis eſt, cum iſta etiam noſtris mortuis ſæcularibus fieri, & minime prohiberi conſueverunt, licet tanquam Sancto hæc fieri potuiſſetis prohibere: ſic tamen ſimpliciter prohibere minime debuiſtis; Potuiſtis tamen in dicto Veſtro Edicto ipſi Populo, vel profecto longe laudabilius, & majori gratia ſalubritate animarum mediis prædicationibus: Quibus Chriſtianum magis, majori charitate ut decuiſſet optimum, & integerimum Paſtorem declarare, inſtruere Populum quæ licerent, & quæ devia eſſent a Præceptis Eccleſiaſticis intimare, Quod ſecreto, & in occulto cuilibet licebat porrigere ad ipſum Fr. Bonaventuram preces, ſi eum charum, & gratum Deo crediďiſſet: & non ſic pauperculas animas de eo multum credentes in Domino in ancipiti ſtatu derelinquere, ſcilicet inter timorem excommunicationis, & Interdicti, & inter Devotionem hujus integerimi Viri, &

„ mul-

„ multum Deo accepti juxta totius hujus Populi indubitatam
„ credulitatem, & opinionem non immeritam: Profecto opti-
„ mo jure Excommunicatio nulla præcedente cittatione, nul-
„ lo admiſſo peccato mortali, nulla innobedientia non debuit
„ pronunciari: Debent potius eſſe remedia talia Eccleſiaſtica ad
„ ſalutem Fidelium, quam ad perditionem, omnia namque magis
„ proceſſerunt a mentibus devotis defferentibus, & obſervanti-
„ bus memoriam illius Fratris, quem arbitrantur non abs re fuiſ-
„ ſe religioſum multæ gratiæ apud Dominum pro ejus Fide, &
„ Edificatione Populi Chriſtiani tot annuis Vigiliis, Inediis,
„ laboribus inſudavit, multos labores paſſus eſt: Deus enim
„ Clementiſſimus reſpicit corda intendentia honorare bene-
„ meritos, ut rationabiliter exiſtimant de Deo, & Fide chri-
„ ſtiana, & quando non ita ſubtiliter intelligerent, ſicut le-
„ gitur de illo, qui Crucem verberabat ex eo quod Salvato-
„ rem ſubſtinuerat in morte, & tamen Deus permiſit, ut pe-
„ dibus ſiccis per mare curreret absque ſubmerſione, ut com-
„ probaret quantum illi placeat puritas, & ſimplicitas bona-
„ rum mentium: Vota præterea in occulto cordis ei tanquam
„ bono Viro, & Dei amico facta poſt gratiam conſequutam a
„ Domino ejus precibus in Fide credentium, cur ad ejus tu-
„ mulum offerri non debent, cum miracula præcedere debeant
„ neceſſario Canonizationem Sanctorum, quæ fieri non poſſet
„ ſine fide credentium: Quod ſi credere prohibemur in eum, &
„ in alios, quos bonos, & Domino acceptos credimus, nun-
„ quam de novo nova fient miracula: vel ſi fient, nunquam
„ manifeſtabuntur, nunquam acceptorum beneficiorum grati
„ erimus, ſi acceptas gratias palam atteſtari non poterimus:
„ Inſuper quod Notarii notam ipſam, ſi intelligit V. R. P. de
„ Originali eorum hoc non eſt juſtum, quia quod factum eſt
„ ante prohibitionem, non meretur pœnam, nec peccaverunt
„ talia ſcribendo, ex quo eis prohibitum aliquod non fue-
„ rat: Potuerunt utique Notarii ſcribere verba rogantium eos:
„ quantum autem fidem mereantur talia ſcripta clarius eſt de
„ jure. Si tamen R. P. V. volet exemplum hoc negare non
„ intendit ipſa Communitas Utini: petias præterea, & fruſta
„ panni, & pillos barbæ, ſi qui ſunt apud aliquos, cur eos,
„ vel ea tenere non poſſunt in memoriam Viri boni, amici
„ Dei, & gratiſſimi toti huic Populo in ejus memoriam, ut

„ per

„ per eorum retentionem increbreſcat memoria optimæ vitæ
„ tanti Viri ad exemplum aliorum, & diſcant, ſi non tam au-
„ ſtere, ſaltem bene vivere, & in melius eorum vitam refor-
„ mare, cum talia non ſint prohibita a jure, & conceſſa cre-
„ dantur, & multo magis, cum Doctores Eccleſiæ, & Theo-
„ logi id permiſſum plane affirmant: Multo itaque minus vi-
„ dentur teneri aliqui ad accuſandos alios, quos ſciverint ha-
„ bere de his rebus, cum nemo invitus accuſare cogatur &c.
„ O certe quam gravis fuit cenſura hujusmodi, & plurimum
„ devia a diſciplina legali, & Canonica, cum finis juris Ci-
„ vilis ſit ponere pacem inter Homines, Canonici vero po-
„ nere inter Deum, & Homines, quorum neutrum facit ta-
„ lis proviſio ſine cauſa legittima. Non ſane ſit providere ſaluti
„ animarum, non tanta facilitate prorumpendum contra Po-
„ pulum devotum, bene diſpoſitum, ad excommunicationes,
„ & Interdicta, quæ non ab omnibus & incautæ cognitionis
„ concedi valent. Debuit V. R. P. adducere, quod perferens
„ injuſtam, & minus Canonicam Excommunicationem graviſ-
„ ſimas pœnas incurrit. Præterea non ne vidimus Sanctam Se-
„ dem ſolitam eſſe talia admittere de Perſonis exemplaris vi-
„ tæ, quæ in Eccleſiis ſepeliuntur, & ut Beati ſuccedentibus
„ miraculis publice venerantur, Beatus Luccas ſocius S. An-
„ tonii de Padua, Beatus Antonius Peregrinus, Beatus Com-
„ pagnus Jordanus, Beata Ellena: ſunt & in iſta Civitate cor-
„ pora non Sanctorum, ſed pure etiam Laicarum, ad quas
„ habetur devotio pro laudabili vita: fiunt etiam oblatio-
„ nes, ſimilia facta fuerunt Beato Bernardino ante Canoniza-
„ tionem, Beato Simoni de quo non minus eſt dubitationis
„ propter infantiam: Sed quod magis eſt Divis Fratribus inci-
„ duntur Cappæ &c. & tamen numquam compertum eſt fieri per
„ bonos Paſtores deſiderantes ſalutem Animarum ejusmodi Ex-
„ communicationes, & Interdicta. Quapropter dicta Commu-
„ nitas cum ea, quæ decet reverentia tantæ Sedis, quam Vos
„ tenetis, ſentiens ſe, & ejus Populum ex prædictis, & in
„ prædictis & ita, & rationibus prædictis, & aliis ſuis loco,
„ & tempore dicendis, & allaudandis diverſimode gravari, &
„ laqueum eis iniici, & parari, omni humili prece, & in-
„ ſtantia rogat, talem comminationem excommunicationis,
„ & Interdicti, quæ mala informatione, & minus cognita ve-

„ rita-

„ ritate, & integritate mentis Fidelium perſonarum hujus Po-
„ puli devotiſſimi proceſſit agnoſcendo veritatem, & Juſticiam
„ ultronea etiam voluntate revocet, irritet, & annullet ſaltem
„ in prædictis, & circa prædicta. Sunt enim & alia, quæ ſolita
„ ſunt fieri in aliis miraculis tam per Beatum Bernardinum, &
„ alios ſcripta per Notarios diverſarum Urbium ad inſtantiam
„ Religioſorum, quæ fuerunt admiſſa nulla repreſione etiam &
„ cenſura non acceptis originalibus maxime. Aut reſſolvat
„ ſaltem dictum monitorium in unum ſimplicis cittationis,
„ cum jure optimo non ſit incipiendum a præceptis, & mo-
„ nitoriis ejusmodi contra Populum non auditis Juribus ſuis,
„ alias proteſtantur de nullitate omnium. Quod ſi facere re-
„ cuſaverit V. R. P. (quod non expectat hæc Urbs veſtra de-
„ votiſſima) ex nunc, prout ex tunc omni meliori modo,
„ jure, forma, & cauſa, quibus melius, & validius poteſt,
„ ac debet de jure in his ſcriptis a dicto veſtro Mandato, &
„ edicto, ac recuſatione correctionis, ſive & revocationis, & ir-
„ ritationis, aliisque omnibus in prædicto Edicto contentis, &
„ ex actis quomodolibet colligibilibus tam conjunctim, quam
„ diviſim, ex nunc in parte, & partibus maxime prædictis
„ contra dictam Communitatem, & ejus Populum facientibus
„ provocat, & appellat ad Reverendiſs. Dominum Legatum Apo-
„ ſtolicum Venetiis commorantem in quantum hujus appella-
„ tionis ſit Judex competens, nec non ad Sanctam Sedem Apo-
„ ſtolicam ſubmittendo ſe, & ejus jura protectioni dicti Re-
„ verendiſſimi Domini Legati, & Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Pe-
„ tendo Apoſtolos ſemel, bis, & tertio, inſtanter, inſtantius,
„ & inſtantiſſime: Petendoque hanc ſuam appellationem ſibi
„ admitti, & ea pendente nihil innovari &c. proteſtando ſibi
„ fore ſalvum jus unam, & plures alias appellationes, ſi ſibi
„ opus fuerit producendi, & ſalvo jure, ſive & arbitrio adden-
„ di, & corrigendi, & minuendi &c.

In

„ *In Magnifico Majori Conſilio Civitatis Utini.*
„ *Die 13. Junii 1491.*

„ Comparuerunt Ven. & Relig. D. Provincialis Ordinis S. Ma-
„ riæ Servorum, Prior Conventus S. Mariæ in Eccleſia S. Ger-
„ vaſii de Utino & fratres dicti Ordinis, & ſupplicaverunt ipſi
„ conſilio, quod pro cauſa, & ſententia lata per Reverendiſ-
„ ſimum Dominum Epiſcopum Juſtinopolitanum Delegatum
„ Sanctæ Sedis Apoſtolicæ occaſione corporis D. Fr. Bonaven-
„ turæ de Forlivio nominati lo Barbetta, a qua ſententia pro
„ parte religionis appellaverint ad Sedem Apoſtolicam &c.
„ dignetur ſcribere litteras Sereniſſimo D. D. noſtro Venetia-
„ rum, ac etiam Sanctiſſimo Domino Noſtro Papæ comendati-
„ vas, & teſtificantes de bona vita, & doctrina dicti quondam
„ D. Fr. Bonaventuræ &c. Deliberatum fuit, quod ſcribatur
„ Sereniſſimo D. Noſtro Venetiarum & Reverendiſs. D. Cardi-
„ nali protectori ipſius Ordinis S. Mariæ in forma, prout ma-
„ gnificus Dominus Locumtenens, & ſpectab. D. Deputati Ter-
„ ræ ſcribendum ordinavit.

„ Inſuper quare Sp. D. Antonius Savorgnanus retulit in di-
„ cto Conſilio, quod Ven. D. Decanus Utinenſis ſcripſit ſibi,
„ quod vellet alloqui tres vel quattuor Cives nomine Magni-
„ ficæ Communitatis ſuper materia & cauſa dicti quondam D.
„ Fr. Bonaventuræ Barbettæ: Commiſſum fuit per ipſum Con-
„ ſilium Spect. Doctoribus D. D. Franciſco de Maninis, & Si-
„ moni Felitino quod vadant ad ipſum D. Decanum & intel-
„ ligant quid vult dicere & deinde referant ipſi Magnifico D.
„ Locumtenenti & Conſilio.

„ *Exemplum deſumptum ex Authentico valde exeſo exiſten-*
„ *te in Archivo Monaſterii Utinenſis Sanctæ Mariæ*
„ *Gratiarum.*

„ In Chriſti nomine Amen. Anno Nativitatis Dominicæ
„ milleſimo quadringenteſimo nonageſimo primo .... Junii
„ actum Utini in domibus Rev. Patris D. Sylveſtri de Sanctis
„ Cano .... nobilibus viris S. Joanne de Monticulis &
„ S. Angelo de Raynarottis Civibus .... vocatis, & roga-
„ tis, ibique coram prælibato D. Sylveſtro .... propter ab-
„ ſentiam Reverendiſſimi Epiſcopi Juſtinopolitani Commiſſarii

„ Apo-

„ Apoſtolici (*a*). Comparuit Fr. Lucas de Venetiis Prior Con„ ventus Eccleſiæ SS. Gervaſii & Prothaſiii, ſive Sanctæ Ma„ riæ Gratiarum de Utino Ordinis Servorum eju ...... & ſibi „ apoſtolos dari: qui D...... cum inſtrumentum lect... dixit „ & reſpondit eidem non deferre & ſuper ea decernere Apo„ ſtolos refutatorios loco quorum mandavit ſibi dari inſtru„ mentum approbationis & recenſionis ſuæ: tenor autem ap„ probationis ſequitur & eſt talis videlicet.

„ Coram vobis Rev. Viro D. Sylveſtro de Sanctis Canoni„ co Utinenſi tanquam honeſta perſona comparet D. Fr. Lu„ cas Ordinis Servorum at præſens Prior Eccleſiæ SS. Gerva„ ſii & Prothaſii ſive S. Mariæ Gratiarum Utini, & dicit tan„ quam Prior dicti loci quod ſub die undecimo inſtantis men„ ſis Junii 1491. fuit promulgata quædam aſſerta ſententia per „ Reverendiſs. in Chriſto Patrem D. Jacobum Valareſſum Epiſ„ copum Juſtinopolitanum tanquam ſpecialiter, ut aſſeritur, „ deputatum & commiſſarium ad hoc a Sanctiſſimo Domino „ Noſtro Papa Innocentio VIII. contra dictos Fratres circa „ venerationem cadaveris, & tumuli quondam Fr. Bonaven„ turæ de Forlivio Barbettæ nuncupati ad quam habeatur re„ latio: impugnative tamen in parte & partibus contra dictos „ Fratres & Monaſterium faciente & facientibus: in partibus „ vero pro dictis Fratribus & Monaſterio faciente & facienti„ bus amplexive: a qua declaratione tunc nomine dicti Con„ ventus viva voce extitit appellatum ad Sanctam Sedem Apo„ ſtolicam cum reſervatione appellandi in ſcriptis in quantum „ opus fuerit &c. Quo tamen tempore non apparet petitos fuiſ„ ſe Apoſtolos &c. Item dicit dictus Prior quod præfatus Re„ verendiſs. Dominus Epiſcopus receſſit ab hac Civitate quinta„ decima inſtantis menſis in mane; & eadem die quinta deci„ ma inſtantis poſt horam Veſperarum, immo hora comple„ torii (quo tempore procul dubio dictus Dominus Epiſcopus „ erat extra Diœceſim Aquilejenſem) affixum fuit edictum in „ Valluis dictæ Eccleſiæ SS. Gervaſiii & Prothaſii ſub data XIIII.

„ (*a*) Exul a Sede Patriarchali erat Hermolaus Barbarus ad Aquilejenſes in„ ſulas ab Innocentio VIII. evectus, ut pote qui tunc munus Oratoris „ apud Sedem Apoſtolicam tenebat, Jacobus Vallareſſius Sedem Juſtino„ politanam implebat, & ſimul viduatam Sedem Aquilejenſem adminiſtrabat.

„ inſtantis menſis ..... in perſonam præfati Reverendiſs. Do„ mini Epiſcopi, in quo multifariam multisque modis gravan„ tur indebite Fratres dicti loci in quo inter reliqua aſtrin„ guntur ad demoliendum tumulum quondam Fr. Bonaventu„ ræ præfati jacentem in terra ſed aliquantulum eminentem „ ab ea adhærentem tamen muro, & parieti dictæ Eccleſiæ „ ita conſtructum ſolum ex juſtis & rationabilibus cauſis ſuis „ loco, & tempore declarandis ſi opus fuerit per quam ſen„ tentiam dicti ...... undecimi inſtan..... & præfactum edi„ ctum ſubſequens; & aliter diverſimode per præfatum Com„ miſſarium aſſertum reputant ſe præfati Conventus & Fra„ tres Ordinis Servorum enormiter injuſte & ſaltem de facto „ lædi & gravari rationibus & cauſis ſuis loco & tempore di„ cendis & allegandis, & ideo accumulando appellationem „ appellationi a prælatis ſententiæ gravaminibus & edictorum „ oneribus ſequtis dependentibus & connexis in partibus con„ tra eos Fratres facientibus ex nunc prout ex tunc, & e con„ tra in his ſcriptis provocant & appellant ad Sanctam Sedem „ apoſtolicam cujus protectioni ſe & eorum jura ſubmittunt: „ petendo Apoſtolos inſtanter, inſtantius & inſtantiſſime, pro„ ducendoque hanc eorum appellationem coram vobis hone„ ſta perſona propter abſentiam ab hac Dieceſi & loco ſuæ ſoli„ tæ reſidentiæ, & audientiæ in hac Civitate ipſius Reverendiſs. „ Domini Commiſſarii aſſerti: Proteſtanturque quod amotio „ imaginum cereorum & ſcripturarum privatarum per diverſas „ & plurimas perſonas oblatarum ſeu oblatorum, ſeu ſcripta„ rum ob gratias conſequtas ab Omnipotenti Deo per offe„ rentes factas ex ſepulcro dicti quondam Fr. Bonaventuræ per „ dictos Fratres non cedat ad aliquod prejudicium jurium ſuo„ rum; quia ammoverunt ea non ut ſuæ appellationi vellint „ renunciare ſed ut creſcant per meritum parendo ſententiis „ Reverendiſs. Domini Commiſſarii diſſerti: Volentes magis „ timere diſciplinam Eccleſiaſticam quam non parendo vi„ deantur eam velle contemnere: Itidem proteſtando de qui„ buscumque actibus qui per eos Fratres fierent, fient, vel „ facti eſſent per quos viderentur aliquo modo exequi eis in„ juncta per Reverendiſs. Dominum Commiſſarium præfatum „ per ſententiam & edictum, & præſertim hoc proteſtantur

„ de

„ de diruptione tumuli dicti quondam Fr. Bonaventuræ ſeu de
„ adequatione ejusdem tumuli ad terram quoniam obbedien-
„ tiæ (ut præmittitur) & reverentiæ diſciplinæ Eccleſiaſticæ ma-
„ gis gratia quam cauſam eorum appellationi renunciandi fe-
„ cerunt, & faciunt & facient omnia prædicta, & prædicta om-
„ nia & ſingula conjunctim & diviſim copulative & alterna-
„ tive ſingula ſingulis congrue referendo ac omnibus melio-
„ ri modo via jure & forma quibus poſſunt, dicunt, propo-
„ nunt, allegant, & appellant ut ſupra proteſtando de omni-
„ bus damnis, expenſis, & intereſſe de cenſuris Eccleſiaſti-
„ cis tam vigore juris communis quam privilegiorum dicti Or-
„ dinis Servorum contra contradictores & contra quos de ju-
„ re poſſunt.

L. S. „ Ego Bertrandus Rundulus quondam probi viri Cri-
„ ſtophori Runduli de Utino Clericus Aquilejenſis Diæceſis
„ publicus Imperiali auctoritate Notarius & Judex ordinarius
„ ſupraſcriptis appellationi productioni apoſtolorum petitioni
„ & aſſignationi una cum prænominatis teſtibus interfui ea-
„ que omnia ſcripſi & in hanc publicam formam ſigno cum
„ nomine appoſitis conſuetis in fidem & teſtimonium eorum-
„ dem rogatus & requiſitus.

Jam ſuperius innuimus in hac Eccleſia emortualem requiem inveniſſe Andream Georgium Caprulenſem Epiſcopum; in qua pariter quieſcunt Thomas de Caſſinis Venetus Epiſcopus Chiſſamenſis, qui ex ſchedis Archivii Patriarchalis anno 1487. appellatur juriſperitiſſimus, obiit anno 1495. Joannes Baptiſta Valerius Bellunenſis Epiſcopus doctrina & morum probitate ſpectatiſſimus exceſſit e vivis anno 1598. die XXI. Octobris ætatis ſuæ ann. XL. Menſ. XI.

In hac Eccleſia tumulatum quoque fuiſſe Patriarcham, cujus nomen & Sedes ignorantur, ex Diariis Cœnobii ſignificatur, in quibus hæc habentur: *Anno* 1330. *a* 17. *Genaro*. *Item habuimus pro anima Patriarche qui ſepultus fuit in loco noſtro l.* 1. *den.* 2. & infra in fine Decembris: *Item a ſ. Petro Fratre Domini Patriarche de Conſtantinopoli pro Miſſis cantandis l.* XXX. *ſol.* XIII. *den.* IIII.

Andreas Vendramenus Dux Venetiarum LXX. cujus laudabilem pro reformatione Monaſterii zelum ſuperius expreſſimus,

mus, illuſtre mauſoleum in hoc Templo obtinuit, cui inſculpta eſt hæc Epigraphe.

Andreæ Vendrameno Duci. Opum ſplendore claro ſed ex mira in Patriam pietate opum uſu longe Clariſſimo qui Croja Turcarum obſidione liberata eorumdemque irruptione in Carniam rejecta felix inſigni prole impletis omnibus & fortunæ & naturæ & virtutis numeris Principatus brevitatem ſempiterna Cœli gloria compenſat. Vixit annos LXXXV. *Menſes* VIII. *Obiit Pridie Nonas Maii* MCCCCLXXIIX. *Principatus ſui anno Secundo.*

Ex adverſo exurgit Franciſci Donati Venetiarum Ducis LXXVIII. lapidea memoria hoc exhibens elogium.

D. O. M.

Franciſco Donato Principi Optimo ſingulari in Patriam charitate in Rebus adminiſtrandis prudentia integritate eloquentia celeberimo præcipuis legationibus Magiſtratibusque tum urbanis tum provincialibus in difficillimis Reipub. temporibus egregie functo Principatu Salutaribus legibus pacis tranquillitate publicis operibus bonis denique omnibus inſignito Franc. & Dominic. Donato Avo Op. M. P. CC. Obiit anno MDLIII. *ætatis vero* LXXXV. *Principat.* VIII.

Bartholamæus Donato Divi Marci Procurator atque Eccleſiæ & Monaſterii hujus inſignis benefactor jacet in Templi ſolo tumulatus ſub hac inſcriptione.

Clariſſimo V. Bartholamæo Donato Sancti Marci Procuratori ac ejus filio Andreæ Ordinis Equeſtris V. multis Domi Foris ac Diverſorum Dignitatibus Inſigni Poſterisque Omnibus Sepulcrum P.

Ipſum Ephemerides Monaſterii tradunt evectum fuiſſe ad procuratoriam dignitatem die IX. (non XIX. ut aſſerit Sanſovinus) Martii anni 1427. hæc etenim in eis leguntur: 1427. *Martii die* IX. *A. Domino Bartbolomæo Donato pro Miſſa Spiritus Sancti, & eo die effectus fuit Procurator Divi Marci l.* V. Obiit ut ex Diariis ipſis colligitur die VII. Junii 1431.

Toga-

Togatum Joannis Emi ſimulacrum nobili moli impoſitum viſitur cum ſubjecta epigraphe:

Joanni Emo Equiti Aurato Senatori Graviſs. Qui Domi Forisque Ampliſs. Magiſtratibus Summisque In Aſia Et Europa Legationibus Functus Quum Pado Ponte Superato Publica Signa Ferrariam Admoviſſet Non Minore Exercitus Quam Suorum Luctu Interiit Filii Pientiſſimi Poſuere.

Etſi a Sabellico ejus emortualis dies deducatur ad annum 1484. obiit tamen ut ex Diariis Cœnobii die 15. Septembris anno 1483. Hæc de eo 1483. *Item da Madona Iſabeta* (figlia di Giovanni Molino) *dona del quondam M. Giovani Emo per elemoſina del obſequio del ſudetto il quale morite à* 12. *di Septembre Ducati* IIII. *d' oro che ſano l.* 24. *ſol.* 16. Ad marginem appoſita eſt nota diem obitus ejus aſſignans: *Morite adi* 15. *Septembre*. Ob egregia ipſius in Servorum Ordinem merita ex unanimi Patrum conſenſu altaris atque ſepulcri munera accepit ut in ſolemni conceſſionis inſtrumento rogato ad annum 1482. per Hieronymum Bonicardum Notarium fuſius continetur.

Plures etiam tum doctrina tum dignitatibus præſtantes Viri extremam requiem in hoc Templo invenerunt, ex quibus duo tantummodo referendos cenſeo ut pote a Sanſovino in ſuo de Urbe Veneta libro prætermiſſos, qui in Clauſtri monumentis quieſcentes olim his inſcriptionibus inſigniebantur.

Corpus Balduini Delphini Viri Animoſi Et Prudentis Reparatoris Urbis Iadere Pro Sereniſſimo Dominio Cujus Anima In Pace Requieſcat. Fuit Factum Hoc Opus Anno Domini MCCCXXXXIII.

Die XI. *Menſis Auguſti De Anno* MCCCLXIIII. *Tumulatus Fuit Cum Lacrimis Omnium Egregius Vir Dominus Paulus Lauretano Procurator Eccleſiæ Sancti Marci Eximius Venete Reipub. Capitaneus Cujus Anima Sit in Benedictione Eterna.*

Ob loci reverentiam plura ſæcularium virorum ſodalitia huic Templo adhæſerunt. Horum duo Divi Sebaſtiani nempe, & Divi Simonis pueri Tridentini & Martyris lapſu temporis paulatim diſſoluta, ſunt ad nihilum redacta; eorum quæ vigent tria peculiari memoria recolenda ſunt. Primum eſt Divæ Mariæ de Humilitate antiquiſſimum quidem ut pote Xvirali Conſilio permittente erectum anno 1343.

Alte-

Alterum Lucenſium Virorum Confraternitas de qua mox fuſius aliqua dicere non abs re fore arbitror.

Tertium denique eſt Nobilium Mulierum devota Societas quarum pietas in recolendis Virginis Deiparæ doloribus maxime elucet, unde & collatis affluenter eleemoſinis nobiliſſimam Matri mœſtiſſimæ aram ex ſelectis marmoribus extruxerunt anno 1747. Has ut arctius in Mariæ dolorum veneratione ſolidaret Fr. Antonius Maria Caſtelli Ordinis Servorum Prior Generalis dato Romæ diplomate anno 1715. omnibus privilegiis & gratiis cumulavit, quibus omnes aliæ Congregationes ſub auſpiciis Beatiſſimæ Virginis Mariæ titulo Septem Dolorum aſſenſu Priorum Generalium erectæ & apoſtolicis largitionibus ditatæ ſunt (Z).

De Lucenſium ſodalitate modo aliqua exhibere juvat, ut inſtitutionis ejus veritas ab erroribus expurgata eluceſcat.

De Sodalitio Vultus Sancti nuncupato nationis Lucenſis.

Caſtruccius Anteſminellus rerum Lucæ potitus trecentas & amplius familias urbe expulit, quæ Venetias tutum in locum magna ex parte ſe receperunt. Sanſovinus perperam aſſerit id contigiſſe Ann. 1309. cum Nicolaus Tegrimus (*a*) teſtetur nonniſi circa annum 1315. Caſtruccium arma moviſſe cum Uguccione Tregiolano. Hinc merito Vir Cl. Apoſtolus Zeno in vita Pauli Parutæ eximii rerum Venetarum Scriptoris a Sanſovino receſſit & adventum Lucenſium Venetias rejecit in Ann. 1317. Pari modo errat Sanſovinus dum recenſet inter exules illas familias Amadios Rodulphos Arborſanos Sandeos, in quarum locum ſufficere potius debebat Parutas, Manzios, Quartigianos, Accettantes, Saginas, aliosque complures patria extorres, quibus certe Sandei adnumerandi non erant cum potius ex Tegrimi teſtimonio Caſtruccii partibus faverint. Interea Lucenſes advenæ pro ea animi benevolentia, qua Ordinem Servorum Mariæ complectebantur, ex iis complures ſepulchrum ſibi in Templo hoc delegerunt. Hinc nihil mirum quod domeſticæ hujus Cœnobii Ephemerides frequentem Lucenſium mentionem ingerant, quapropter quidquid de iis aſſeritur non meris nititur conjecturis ſed autenticis monumentis firmatur. Quod ſi forte ab authoribus magni nominis alicubi diſſentiam, ex eo fiet quod

(*a*) Rerum Italic. ſcript. tom. XI.

quod ipſi familias exules cum iis confundant quæ aliis temporibus Venetias venerunt lucri & compendii gratia. Quædam enim eodem prorſus tempore domum Venetiis æque ac Lucæ habuerunt, & modo hic degebant modo illic, prout familiæ & rerum conditio exigebat. Quid quod interdum Venetiis in patriam remeabant ut publica Reipublicæ ſuæ munia ad quæ vel abſentes aſſumebantur ſtatuto tempore obirent, & rurſum ſe ſe Venetias conferebant?

Igitur circa annum 1317. ad quem proxime referuntur exordia fundationis Cœnobii hujus, invenitur in ſchedis domeſticis mentio injecta Lucenſium cum ſolemni Dominicæ Reſurrectionis die Paſchalem Agnum una cum religioſis comedebant (*a*) & Feſta tum Corporis Chriſti tum Exaltationis S. Crucis in Templo celebrabant. Hæc Lucenſium arcta inter ſe ſodalitas non arti ulli quæ eſſet eadem omnibus, ut male opinatur Sanſovinus, ſed communi patriæ tribuenda eſt, & per alios atque alios continenter Annos in tantum excrevit, ut de Sodalitio nationali ſtatuendo convenerint An. 1360. Annuit Senatus Venetus, & inter cætera privilegia Lucenſes etiam Civitate donavit. Paulus Paruta author rei hujus fuit, qui Lucenſes nobili & honeſto loco natos & Venetiis agentes in benemoratam Societatem compegit, & Regulas indixit in libro digeſtas quem juxta aliarum Sodalitatum morem confectum vocant *Matriculam*. Huic libro præfigitur expoſitio verſiculi ex Pſ. 44. *Vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis* & ad calcem leguntur hæc verba: *Venite congregamini ad cœnam Dei magnam, ad quam cœnam ideſt gloriam nos perducat Jeſus Chriſtus, qui eſt per infinita ſæcula ſæculorum benedictus Amen.* Initium hujus Matriculæ dabo, ut inde liquido conſtet, quo titulo quibusve auſpiciis orta ſit hæc ſocietas: *Al Nome della Santiſſi-*

(*a*) Conſuetudo comedendi Agnum Paſchalem cum Religioſis in ipſorum Triclinio per ſæculum & ultra viguit, donec ut liberior eſſet omnibus edendi facultas, agnos mittere decreverunt, quos croco conſperſos, & aqua tantummodo abſque ſale coctos, una cum inſulſo pariter pane Fratribus apponebant, ut uſus gentium Lucenſium diebus Paſchalibus ſervaretur. Hæc olim inter Miſſarum ſolemnia benedicebantur ad aram maximam, modo vero ad tollendam populi admirationem privatè benedicuntur. Ex iis pane & agno præter Monaſterii religioſos viros atque ipſius Sodalitii Confratres portiones quoque ex antiqua conſuetudine accipiunt Dux Venetiarum & magnus Reipublicæ Cancellarius.

tiſſima Trinità de Onnipotente Dio Padre Figliuolo & Spirito Santo & della glorioſiſſima Vergene Madona Sancta Maria e del glorioſo Evangeliſta meſer San Marco e de meſere San Martino precioſo Cavalier de Criſto protectori e governatori noſtri & di tutta la vita eterna, e ha onore e riverentia & exaltation de lo devotiſſimo volto ſancto di Criſto Crucifixo poſto e meſſo per divino miracolo in la citade di Luca facto e figurato miracoloſamente per la eternal potentia ſenza alcun artificio ovvero operazion de creatura terrena in del cui nome e ſotto lo titolo del quale cominciata e facta fù queſta beneteta e devota congregazion corrando li anni della ſua natività 1360. *del meſe di Zenaro: e ſimilmente ordinata e cominciata fù queſta noſtra mariegola alla quale noi fradelli che ſiamo congregadi ad oldirla leggere tuti ſaluteremo una fiada la madre de grazia con devozione dicendo Ave Maria &c.*

Nec multo poſt Congregationem hoc pacto efformatam a Religioſis Cœnobii obtinuerunt Lucenſes publicis pluribus inſtrumentis (quorum ultimum Nicolaus quondam Venturæ a Florentia notarius Imperialis rogatus confecit die 18. Octobris 1360) obtinuerunt inquam aream Templo proximam ut ſibi Sacellum extruerent quod in eodem inſtrumento *ampliatio & eſtenſio Templi* appellatur. Ipſi vero Lucenſes in unum cœtum coaleſcentes dicuntur: *Providi & circumſpecti Viri Ser Paulus Paruta de Luca, habitator Venetiarum in contrata Sancti Cantiani, operarius, cæterique ſocii, conſiliarii, & coadjutores Univerſitatis communitatis, & ſcholæ Lucenſium in Venetiarum reſidentium civitate, & reliqui omnes inibi reſidentes de univerſitate, communitate & ſcola prædictis per ducale Dominium approbatis:*

Ibidem decernitur ſolos Lucenſes qui degunt Venetiis eorumque Filios & Nepotes recipi in hoc ſodalitium poſſe, adeo ut iis deficientibus nequeat Sacellum ad alterius Confraternitatis uſum traduci. Excipiuntur tamen in Matricola c. 31. *Religioſi Virginis Servi* in quorum gratiam habentur hæc verba: *Similmente vogliamo che ciaſchedun Frate dell' Ordine di Servi di Madonna Sancta Maria del Convento di Venegia, ovvero di quello della Giudecha, lo qual voleſſe entrare in queſta noſtra Congregazione, poſſa eſſer ricevuto liberamente, e debbia eſſer partecipevole di tutti li beni.*

Aucta

Aucta brevi hac Societate animum appulerunt ad locum ædificandum ubi convenirent, & domos decem extruendas, in quibus reciperentur gratis, qui ex ſua natione propter inopiam juvandi eſſent. Ea de cauſa An. 1398. die 6. Septembris publico inſtrumento quod Laurentius Foſcarenus obſignavit Jacobus Bernardus Congregationis Præſes a Cœnobio Religioſorum fundum opportunum obtinuit ad hæc loca erigenda (in jure tamen Cœnobii manſit anguſta via quæ locum a proximis ædibus ſejungit) & ſuperiori januæ parti ubi aditus ad illa unicus patet inſculpta fuit hæc Epigraphes quam Schraderus in ſuis Italiæ monumentis male affert:

„ Hanc. Lucana. Manus. Sancti. Vultus. Que. Verendi.
„ Divino. Fabricam. Glorioſæ. Virginis. Atque.
„ Cultu. Millenis. Verbi. Currentibus. Annis.
„ Cum. Nonaginta. Tercentum. Exinde. Duobus.
„ Exceptis. Medio: Ceperunt Menſibus. Equis.
„ Octobris. Dandam. Sociis Ac. Semper. Egenis.

Quoniam hanc Sodalitatem opes & nobilitas Confratrum, & jus Venetæ Civitatis ita decorabant, ut inter reliquas emineret; idcirco An. 1538. die 28. Febr. cunctis Conſilii Decem ſuffragiis accedentibus Rectore Benedicto Arburſano Scholis quas vocant majores addita fuit. Decretum eſt hujuſmodi:

Poſitum fuit in Conſilio Decem-Virum per clariſſimos, capita ipſius D. D. Petrum Genum, Petrum Bragadenum, & Nicolaum Mocenicum: quod Schola adorandi Vultus Sancti Domini Noſtri Jeſu Chriſti ad ſupplicationem Rectoris & Sociorum illius modo lectam, aſſumatur ſub protectione hujus Conſilii ſicut quinque Scholæ majores.

Marmorea tabula interiori Sacelli parieti affixa edocet conſecrationis ipſius ſolemnitatem peractam fuiſſe per Joannem de Placentinis Epiſcopum Caſtellanum.

„ In M.CCC.LXXVI. de Setenbrio. Di De S̄ Michiel. Fo Sa-
„ grada Queſta. Cha. Pela. P. Mis. Giovani. De Plaſentini Ve-
„ ſcovo de Venexia. I̅. Lo so Primo Ano & P. Mis. Piero Na-
„ dal Veſcovo de Ieſolo.

Reliquum eſt modo, ut Priorum Series ad complementum operis proferatur.

1316. B. Franciſcus Patritius Senenſis Donati filius Cœnobii & Eccleſiæ Fundator, ac Primus Prior, qui ſubinde per ſe ſuosque alumnos pluribus aliis in Veneta ditione ædificatis locis primus Prior Provincialis anno 1324. conſtitutus, Veronæ in Monaſterio S. Mariæ Schalarum migravit in cœlum anno 1326. die v. Novembris a Scriptoribus Ordinis Beati titulo inſignitus. Hunc Beatum Virum perperam dubitavit Gianius in Annalibus Servorum eumdem eſſe cum Beato Franciſco Patritio Arrighi Filio itidem Senenſi, qui iisdem ferme diebus florebat, quique a Clemente XII. offitio eccleſiaſtico & Miſſa donatus fuit. De Franciſco Veronæ defuncto Vide Ughel. in Epiſcop. Veronen. Tom. V. col. 866. ubi refert eum poſt mortem miraculis claruiſſe.

1325. Jacobus de Civitate Caſtelli.

1326. Martinus Aldellus de Senis.

1327. Simon de Tuderto.

1328. Matthæus Piſtorienſis.

1329. Nicolaus Pierius de Senis. Iterum 1340.

1330. Paulus de Ceſena.

1331. Philippus de Civitate Caſtelli. ter Provincialis.

1333. Gabriel de Venetiis ter Provincialis, Ferrarienſis Cœnobii aliorumque Monaſteriorum fundator. Iterum 1335. 1341. 1345. 1352.

1334. Petrus Curbinolus de Florentia.

1336. Fabianus de Senis.

1338. Thomas Craſſus ab Aſta Pompeja.

1343. Angelus de Caſtro Florentino.

1344. Deſideratus de Verona. Iterum 1360.

1347. Angelus Pierius de Senis.

1348. Nicolaus Balanzanus Venetus, Doctor Sorbonicus, totius Ordinis Prior Generalis XI. Iterum 1357.

1350. Benedictus Piſtorienſis.

1351. Maphæus Turlonus.

1354. Petrus Beſcus de Sancto Felice morum ſanctitate & zelo ſeverioris diſciplinæ ſpectabilis. obiit anno 1402. quem in funere laudavit Fr. Antonius de Sancta Margarita, Offi-

Officiumque in Pontificalibus peregit Fr. Andreas Paraſsù Prior S. Juſtinæ. Hunc autem Andream S. Juſtinæ Venetiarum Priorem ex Familia hujus Conventus aſſumptum fuiſſe, (de cujus gremio erat an. 1390.) affirmant antiquæ monaſterii ephemerides. Iterum 1361. 1364. 1384. 1386.
1355. Laurentius de Tuderto.
1356. Franciſcus de S. Caſſiano.
1359. Georgius Banroldus de Venetiis *qui primus erat in hac Civitate receptus in Ordine Servorum*; ut in monumenti titulo adhuc legitur.
1363. Abraminus de Piſis.
1366. Nicolaus Rubeus.
1368. Petrus de S. Georgio Ariminenſis. Iterum 1376. 1378. 1389.
1370. Jacobus Avantius, Doctor Sorbonicus. Iterum 1377. 1382. 1390.
1372. Thomacellus Stroccius. Iterum 1379. 1383.
1374. B. Joannes Saragotia Bononienſis, Prior Generalis XV.
1375. Angelus Pagninius Pollitianus. Iterum 1381.
1380. Antonius de Bononia, Prior Generalis XVI.
1386. Laurentius Sandæus Franciſci quondam Ducii filius.
1388. Georgius Tipaldus.
1392. Vitalis Rubeus.
1394. Marcus de Verona electus Epiſc. Bertinorenſis a Martino V. cui in Concilio Conſtantienſi egregiam navaverat operam.
1398. Raynaldus de Forolivio.
1400. Anſelmus Sora Tarviſinus. Iterum 1403.
1402. Aloyſius Bollanus perperam a Venetis Scriptoribus Allexius vocatus Vicarius Ordinis; interfuit Conciliis Piſano & Conſtantienſi. Obiit 1430. die XI. Auguſti. Iterum 1411. 1419.
1405. Franciſcus Stenus iterum 1414. 1422. 1427.
1407. Balthaſſar Landus de quo in Eccleſia S. Salvatoris. Obiit an. 1425. die III. Junii.
1409. Lazarinus de Tarviſio.
1410. Anſelmus Dragus.
1412. Lazarus Lazarinus obiit. an. 1413. die 22. Septembris.
1415. Hieronymus Bonaccurſius.
1416. Mathæus Rubeus. Iterum 1439.
1420. Aloyſius Bolani de quo ſupra

Cum jam ab anno Mccccxxv. die iv. Maii Sodalitium Magnum divi Marci Evangeliſtæ ad meritorum totius Servorum Ordinis communionem ſingulari Prioris Generalis Petri Tudertini privilegio receptum fuiſſet; prout patentes litteræ in ejusdem Sodalitii Archivo aſſervatæ teſtantur, anno deinde Mccccxx. die i. Septemb. Stephanus a Burgo Prior Generalis, de graviorum Patrum ibidem adſtantium conſenſu decrevit, ut eidem Sodalitio Eccleſiam in feſtiva Deiparæ Annuntiatione inviſere volenti pro majoris charitatis argumento quinque panes & bini piſces donarentur, queis memoria prodigii a Salvatore in ſolitudine patrati renovaretur. Re ad Sodalitii rectores (Guardiano) ejusque ſocios per ſuperius laudatum Fratrem Marcum de Letis oblata, confeſtim omnes dictis ſine variatione ſententiis oblatione libenti animo exceperunt.

Ex eo itaque anno cœpit Divi Marci Sodalitium, ſolemni pompa ad S. Mariæ Servorum Templum accedere, oblatisque ad Divinum cultum cereis luminaribus viciſſim a ſacerdotibus quinque panes & geminos piſces ex ſubacta farina confectos recipiebat, deauratos quidem, & variis picturis parvisque vexillis ornatos, queis Deiparæ Virginis, & Divi Evangeliſtæ effigies exhibebantur, cujus piæ inſtitutionis obſervantia ad annum usque perduravit.

Hæc omnia ex Monaſterii Diariis innoteſcunt; in quibus hæc leguntur:

Mccccxx. *Adi primo Settembre. Noto, che in queſto dì in la mia cella: ſtando preſente el P. G. e Fra Franceſco Steno da Venexia compagno del P. G. e Maiſtro Alvixe Bollani Prior del Convento, Maiſtro Franceſco dal Borgo, Maiſtro Mathio da Veniexia, Maiſtro Baldaſar Lando da Venexia, Frà Marcho dai Letti fò determinado che la ſchuola del Vangeliſta Miſ. San Marcho per una honoranza del noſtro convento a petition del dicto Frà Marcho dai Letti la dicta ſchuola doveſſe vegnir lo di de Madonna Sancta Maria di Servi à tuor cum grande humiltà e devotion e luminaria* v. *pani e do peſci*, i qual *el noſtro Signor Jeſu Chriſto ſatio 6000. homeni* -- 1439. *April. die* i. *Dedi Magiſtro Rigo Piſtori, qui fecit panes & piſces pro Batudis ſcole Sancti Marci. Item Magiſtro Thome pictori qui pinxit bandarola dictorum piſcium & panis* -- 1441. *Martio menſe in fine: Dedi Magiſtro Fornario S. Luce pro quinque panibus & duobus piſci-*

piſcibus paſte. Item Magiſtro Thome Pictori pro ſeptem bandarolis cum imaginibus Domine Noſtre e S. Marci dictis panibus & piſcibus ſuperimponendis.

Eccleſiaſticæ preces quibus panes ipſi piſcesque Menſæ Altaris ſuperpoſiti pecculiari ritu benedicebantur hæ ſunt:

Domine Deus Omnipotens Jeſu Chriſte lux vera qui ex quinque panibus & duobus piſcibus quinque milia hominum ſatiaſti, qui una cum Patre & Spiritu Sancto omnia in uſu hominum in eſſe prodire juſſiſti, patresque in deſerto exiſtentes Manna ſatiaſti multiplica ſuper nos famulos tuos tue benignitatis clementiam quemadmodum cum patribus noſtris in tua miſericordia ſperantibus feciſti & bene ✠ dicere, & ſancti ✠ ficare digneris hanc creaturam panis, quam in ſubſtantiam Servorum tuorum fidelium tribuiſti & quicunque ex ea guſtaverit opulentia tuæ divine benedictionis repleatur & ex ea accipientibus cum actione gratiarum ſanctificetur in viſceribus eorum per te Chriſte Salvator Mundi, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivis & regnas per omnia ſecula Seculorum.

Hæc ex pervetuſto Miſſali pergameno mſ. deprompta ſunt, quod ad uſum ſuperius laudati Fr. Marci de Lectis exaratum fuiſſe edocet tetraſticon ad calcem ipſius Miſſalis appoſitum.

Iſtud opus Miſſis elegans tantique decoris.
Ille Probus Venetus qui Frater Marcus à Lectis
Fertur, & eſt Fratrum Servorum Virginis almo.
Cujus honore Yhesu ſtatuit fierique ſuique.

1421. Franciſcus a Burgo S. Sepulcri, Doctor Sorbonicus.

1421. Andreas Triviſanus quem ſine agnomine a Sanſovino enuntiatum a familia Zane progenitum falſo aſſerit Gianius, Doctor Patavinus Tubingæ primum in Suevia Metaphyſicam, mox Romæ Theologiam ſumma cum laude publice docuit. Anno 1437. in Comitiis Generalibus Florentiæ convocatis Procurator Ordinis Generalis eligitur, quod Gianius ignoravit, ſiquidem & ipſam Comitiorum convocationem prætermiſit, & Andreæ obitum ad annum 1433. aſſignat. Rei veritatem plene enuntiant Veneti Cœnobii Ephemerides, ubi hæc habentur: 1437. 21. *Maii dedi pro taxa Reverendiſſ. P. Generalis in Capitulo Generali celebrato Florentiæ ducatos vigin-*

viginti aureos. Item pro expenſis factis pro R. P. P. Definitoribus Capituli Generalis & Provincialis eundo, & redeundo ad Capitulum uſque Florentiam. Item pro expenſis uſque Florentiam pro R. P. P. Magiſtro Conſtantio &c. Item expendidi pro *foreſteria Magiſtri Andreæ de Venetiis Procuratoris Ordinis*, quo pariter titulo pluries notatur. Familiari uſus eſt conſuetudine trium Clariſſimorum Præſulum Laurentii nempe Juſtiniani Epiſcopi Caſtellani, Petri Donati Epiſcopi Patavini, & Guidonis Memmii Epiſcopi Veronenſis, a quibus ſummo in pretio habitus multis cumulatus eſt muneribus quæ & in Veneti Cœnobii beneficium redundarunt. Eos inter Guido amorem ſuum extrema voluntate teſtatus eſt dum deficientibus aliquando ex gente ſua, qui ſtudia litterarum colerent, Monaſterium Servorum ſtatuto legati beneficio gaudere mandavit. Hæc ſunt teſtamenti verba per Joannem Marinum S. Joannis de Rivoalto Plebanum & Notarium rogati anno 1429. die 27. Octobris. *Item dimitto, & mando dari uni de domo, ſive Prole de Cha Memo volenti ſtudere in ſacra pagina vel in jure canonico prode ducatorum de impreſtitis meis videlicet ducatorum duorum millium; & dum ſtuduerit, gaudeat beneficio talis legati: Et ſi non reperietur aliquis ſtudere volens ut ſupra volo quod illud prode impreſtitorum illo tempore videlicet quod medietas illius prode detur Fratribus Servrum de Venetiis, ubi corpora meorum defunctorum jacent. Alia vero medietas in duas partes dividi debeat, una quarum duarum partium dividatur inter pauperes S. S. Hermacoræ & Fortunati de Venetiis. Alia vero medietas detur carceratis tunc exiſtentibus in carceribus Veronæ pro anima mea.*

Notandum hic quaſi ex incidentia venit, Præſulem hunc non in hoc tantummodo ceteroquin fide digniſſimo documento, ſed alibi etiam Guidum nomine nuncupari, anno enim 1385. die 16. Martii quo tempore Eccleſiam Polenſem adminiſtrabat de eo hæc habent æconomica Conventus Diaria. *Item recepi a D. Guido Epiſcopo Pole, & a D. Petro Memo Commiſſariis Franciſchini Memi.* Easpropter cum Italiæ Sacræ Tom. V. ad Epiſcopos

pos Polenſes optime ab eruditiſſimo Viro Nicolao Coletti aſſignata fuit electio Guidi ad annum 1383. tamen commutatio nominis dum Vicentium pro Guido reponit, omnino eſt rejicienda, præſertim cum liber Archivi Veneti *Piloſus* nuncupatus res ultra annum 1299. actas non attingat; ceteroquin error in Ughello ex poſitione anni deprehenſus gravius augeretur.

Conſtantienſi Baſileenſi ac Florentino Conciliis Theologus tum pro Veneta Republica tum pro Servorum Ordine ſumma cum laude interfuit.

Conciliis pro tempore celebratis Theologos ex Ordine Servorum ac præcipue ex Veneto Cœnobio ſemper interfuiſſe ne quis forſitan in dubium révocet, quod eorum nomina in Conciliorum faſtis deſcripta non legantur, proindeque ſuſpectæ fidei Gianii teſtimonium putent, religioſe fatemur, non hujusmodi prerogativa ornatos eos tantum exhibuiſſe, quos in Diariis Cœnobii (quorum quamplurima forte fortuna in Archivo aſſervantur) deprehendimus ad loca Conciliorum migraſſe, & inde rediiſſe, ut de ſupralaudato Andrea nobis occurrit. Legitur enim (ut ſpecimen aliquod præbeamus, & quidem luculentiſſimum) in Diario expenſarum anni 1418. ad diem 16. Maii: *Pro foreſtaria Fratris Andree Bachalarii de Venetiis quum venit huc de Conſtantia:* Anno 1433. 22. Julii. *Dedi Rev. Magiſtro Andree de Venetiis Vicario Ordinis in Baſileam:* & infra die 23. *Dedi Sandro qui duxit Rev. Magiſtrum Andream tanquam Vicarium Ordinis uſque Meſtre cum ivit Baſileam ad Concilium:* Anno tandem 1438. Januarii die 15. *Dedi Rev. Patri Provinciali Magiſtro Gaſparino cum ivit Ferrariam ad Concilium cum Magiſtro Andrea de precepto Ordinis.* Electus iterum Prior anno 1431. Obiit anno 1459.

1429. Gaſparinus Rumbolus Cardinali Beſſariono acceptiſſimus quo cum Concilio Florentino interfuit. Obiit Tarviſii anno 1466. die XXVIII. Maii. Iterum 1448.

1433. Stephanus Birellus, qui cum interfuiſſet Baſileenſi & Florentino Conciliis Sedem Dyrrachienſem aſſequtus ibidem an. 1460. mortalitatem explevit in ipſo ſui Pontifi-

tificatus initio: in quodam enim inſtrumento tranſa-
ctionis Monaſterii Venetiarum diei primæ Februarii 1459.
nominatur Reverendiſs. Sacræ Theologiæ Profeſſor Ma-
giſter Stephanus de Venetiis Archiepiſcopus Dyrrachien-
ſis electus. Iterum 1437.

1435. Conſtantius Normanninus Petri filius ſuæ ætatis Philoſophorum facile Princeps, cujus virtus in Concilio Conſtantienſi enituit obiit die IX. Junii 1437.

1441. Felix de Venetiis.

1444. Nicolaus Inverſus, Reipublicæ Venetiarum Conſultor, renuntiatur Epiſcopus Clodienſis an. 1463. & in Eccleſia Servorum conſecratur Venetiis die XV. Martii, ut Monaſterii ephemerides exhibent. Corrigenda itaque in Ughello Chronica nota, quæ Nicolaum ad Clodienſem Sedem evectum refert an. 1465. Iterum 1450.

1446. Bartholamæus Rubeus, Doctor Patavinus, Concilio Florentino interfuit.

1452. Ægidius Panpanus.

1454. Petrus Contarenus, Lucæ filius, Patavini Collegii Doctor clariſſimus.

1456. Marcus Georgius, Nicolai filius, Doctor Patavinus, obiit 6. Septembris 1483. In Cœnobio Meſtrenſi S. Hieronymi ſepultus. Iterum 1459. 1466.

1457. Paulus Cretenſis morum ſanctitate clarus. Iterum 1464.

1463. Andreas Scodrenſis. Iterum 1472.

1468. Paulus Albertinus, Bononienſis Collegii doctor & Socius, ibidemque philoſophiæ publicus profeſſor:

Supereſt adhuc in Eccleſia ejus ſepulcrum cui inſculpta viſitur ejus imago, ac ſequens elogium:

„ Quis pugil occubrit fidei, quis vixerit alter
„ Pauper & in noſtra religione ſacer?
„ Hic laqueos, Chryſippe, tuos & dogmata novit
„ Chriſticolum, & tenuit ſidera cuncta polo.
„ Judaicam & latinam Paulus Grajamque Minervam
„ Doctus & explicuit (*a*) Nobile *Dantis* opus

„ Nunc

(*a*) Perperam a nonnullis Scriptoribus Dominico ſcilicet Gandulpho & Mario Creſcimbenio hoc opus & alia hujus auctoris ſcripta Paulo Nicoletto Auguſtiniano tribuunt.

» Nunc capiti .... endere coronam
» Et linquit noſtros, Chriſte benigne choros.

M. CCCC. LXXV.

1470. Georgius mox laudati Marci Frater Doctor Patavinus.
1474. Gregorius Polus.
1476. Bartholamæus Novellus, Doctor Patavinus.
Joannes Baptiſta Pellatus a Caſtellaccio Prior electus a Congregatione Obſervantium.
1478. Baptiſta a Platea Cremonenſis bis Congregationis Generalis Vicarius.
1479. Beatus Paulus Bigonius de Clario Vicarius Generalis, cujus vitam typis datam ſcripſit Leonardus Cozzandus.
1480. Chriſtophorus de Gambara Generalis Vicarius.
1482. Marcus de Trezano.
1483. Gaudioſius de Arimino.
1484. Honorius de Bergamo bis Vicarius Generalis.
1485. Hieronymus Franciſcius, Petri filius, Fundator Monaſterii Utinenſis & quartum Vicarius Generalis ab Alexandro Sexto ad Coronenſem Sedem evectus an. 1497. obiit Utini XI. Auguſti 1513. Iterum 1490. 1495.
1488. Gaſparinus Borus Venetus, ut ſuperius in documentis viſum eſt, non autem Mediolanenſis, ut perperam Argellatus; Ferrarienſis Collegii Doctor ibidemque ac Peruſiis Dialecticæ publicus Profeſſor, Caſſandræ Fidelis Virginis Venetæ litteris clariſſimæ inſtitutor, pietate non minus, quam doctrina præſtantiſſimus. Iterum 1494.
1492. Philippus Cavaccia, Franciſci filius, ter Vicarius Generalis. iterum 1499.
1496. Auguſtinus Piſaurus, Hieronymi quond. Lucæ Divi Marci Procuratoris filius. Iterum 1508. 1513. 1520.
1497. Benedictus Marianus, Joannis filius, Vicarius Generalis.
1501. Cyprianus Storlatus.
1502. Anſelmus Gradonicus, Gabrielis quondam Petri filius, Vicarius Generalis. Iterum 1512.
1503. Johannes Petrus Leonus Dominici filius Vicarius Generalis.

1504. Aloyſius Scaramellus, bis Vicarius Generalis, iterum 1507.
1505. Joannes Jacobus Dulcius. Iterum 1511. 1525.
1506. Marinus Baldus bis Vicarius Generalis.
1509. Aloyſius Seraphinus, Doctor Sorbonicus. obiit anno 1514.
1514. Nicolaus Contarenus.
1515. Raymundus Floretus. Iterum 1529.
1517. Thaddeus Valentius, Vicarius Generalis obiit 1536. Iterum 1522.
1518. Joannes Cipolla. Iterum 1527.
1524. Marcus Bricca.
1531. Joannes Maria Avantius. Iterum 1536.
1532. Andreas Marinus. Iterum 1542.
1534. Marcus Cerventius.
1535. Raphael Donatus. Iterum 1540.
1537. Valerianus Michaelius, Nicolai filius.
1539. Gaſparinus Gradonicus.
1541. Stephanus Burianellus.
1544. Noè Blanchus, qui Paleſtinam inviſit, ac itinerarium ſcripſit typis editum.
1546. Joannes Pompejus Veronenſis. Iterum 1549. 1553.
1548. Hieronymus Martellus. Iterum 1556. 1572.
1550. Jacobus Delphinus.
1552. Gregorius Rubeus.
1555. Joannes Jacobus Millus, Æconomicam Monaſterii Hiſtoriam ſcripſit. Iterum 1580. 1594.
1560. Marinus Peſentius. Iterum 1570.
1562. Auguſtinus Ferrius.
1565. Hieremias Bevilaquius. Iterum 1587.
1571. Laurentius de Rohato.
1574. Laurus Saliſius. Iterum 1589.
1577. Daniel Maſcharinus.
1578. Sebaſtianus Malaguccius.
1582. Gabriel Dardanus a Judaica, qui & Calliſſonius legitur cognominatus, Sac. Theol. Mag. Prior Provincialis, deinde Vicarius Generalis Apoſtolicus, ac poſtmodum totius Ordinis XLII. Prior Generalis electus anno 1603.

1583.

1583. Julius de Bergamo.
1584. Benedictus Saja de Cocalio.
1585. Leo Campanea de Verona.
1590. Octavianus de Natalibus de Vicentia.
1592. Guillielmus Bertarellus.
1595. Jo: Franciſcus de Securitate. iterum 1605. 1609.
1597. Jo: Hieronymus Falgherius, Servæ Dei Sororis Mariæ Benedictæ de Rubeis, Burianenſis Monaſterii fundatricis a Confeſſionibus, præclaris animi dotibus ornatus, ac ſanctitatis opinione celebris.
1598. Benedictus Ferrius.
1599. Deſiderius Zarottus de Vicentia.
1600. Gregorius Priolus.
1601. Geminianus Stabilius.
1603. Sanctus Cucina.
1605. Jo: Franciſcus a Securitate. iterum 1609.
1606. Valentinus Frerius.
1611. Ludovicus Pilatus.
1613. Ludovicus Piſanus.
1615. Joſephus Teſtonus. iterum 1635.
1617. Sebaſtianus Radius.
1621. Amans Bonvicinius Brixianus.
1623. Joannes Lazarinus. iterum 1631. 1642.
1625. Petrus Boſſius.
1628. Marcus Fanzanus.
1634. Petrus Balanzanus. iterum 1648.
1637. Ambroſius Muſellus.
1640. Dominicus Pedralius. iterum 1656.
1644. Delphinus Lombardus.
1646. Fulgentius Baldus Nicolai quondam Pompeii filius. iterum 1659. 1666.
1650. Stephanus Barbolanus ab Utino.
1651. Marinus Fidelius Rogerii filius. iterum 1679.
1653. Jo: Jacobus Puppinatus. iterum 1657.
1654. Dominicus Micantius. iterum 1676.
1660. Joannes Maria Pedralius.
1662. Jo: Baptiſta Noriſius, Jo: Mariæ filius.
1664. Jo: Baptiſta Adornus.
1668. Paulus Baldus, Nicolai filius.

1670. Sylveſter Baldinus.
1672. Franciſcus a Platea. iterum 1681.
1674. Hieronymus Syrenus Hieronymi filius. iterum 1688.
1675. Chriſtophorus Sternus.
1683. Amans Bonvicinius, Joannis Franciſci filius.
1684. Jo: Baptiſta Amigonius.
1685. Raymundus Barenghus, Rochi filius.
1689. Jo: Baptiſta Chiappius. iterum 1703.
1691. Jo: Petrus Viritus ab Utino.
1693. Bernardinus Bonſignorius.
1695. Bernardus Fantius ab Utino Philoſophus inſignis, qui ſeverioris diſciplinæ ſectandæ cupidus in Senarium Montem prope Florentiam ſeceſſit, ibique in cinere & cilicio ad cœleſtia migravit.
1697. Georgius Amigonus.
1699. Angelus Hommius.
1701. Marinus Archa, Joannis filius.
1705. Joſephus Maria Gallus, Joſephi filius.
1706. Joſephus Maria Sclantarellus Jo: Baptiſtæ filius. Iterum 1717.
1709. Philippus Maria Raynerius, Alberti filius. iterum 1738. 1742.
1711. Hieronymus Cellotus. iterum 1724.
1713. Antonius Maria Galante Brixienſis Franciſci filius. iterum 1718. 1736.
1715. Hieronymus Nanius, Petri filius. iterum 1720. 1728.
1722. Joſephus Hyacinthus Maria Bergantenus, Dominici filius, de cujus laude ſuperius dictum eſt.
1726. Angelus Maria Zanettus, Doctor Patavinus. iterum 1732.
1730. Franciſcus Gignammius, Jacobi filius.
1734. Joannes Petrus Artellus de Verona. iterum 1745.
1740. Petrus Maria Stephanius Brixienſis.
1743. Joannes Grattarolus Joannis filius a Bergomo.
1747. Philippus Maria Percottus, Varientis filius, Utinenſis.
1749. Antonius Maria Bettinellus, Franciſci filius.

De

De Collegio Sororum Tertii Ordinis Servorum B. M. V.

HAUD procul a Servorum Mariæ ædibus ex adverſo Monaſterii Aſceterium Sanctimonialium S. Hieronymi poſitum eſt a piis Virginibus excultum quæ Tertium Ordinem Servorum B. M. V. religioſe profitentes a forma habitus *Mantellatæ* dicuntur, vernaculo autem Civitatis vocabulo *Pizzochere dei Servi* nuncupantur. Antiquiſſima inſtituti hujus origo eſt, ut pote quod Sanctam Julianam Falconeriam parentem, & Fundatricem agnoſcit, quæ ad cœleſtes nuptias migravit anno 1341. Venetias Florentia talis diſciplinæ ratio translata eſt ab initio ſæculi XIV. non eo tamen modo, ut una domo congregatæ regularem vitam agerent, ſed conſtitutiones Ordinis ſeparatim adimplentes in propriis ædibus morarentur, unde & factum eſt, ut quamplurimi etiam matrimonii vinculo adſtricti pietatis ergo Ordini nomen darent Converſi & Converſæ propterea eo temporis appellati; ut fuſe diſſerunt Ordinis Annales Tom. 1. pag. 107. Nec in Servorum Religione tantummodo uſus hic invaluerat, ſed & apud reliquos mendicantium Ordines late vigebat. Aliquod rei argumentum afferunt Monaſterii S. Mariæ Servorum Epehmerides:

1329. Maii in fine: *Expendidit Prior pro Mulieribus quæ venerunt ad Senſionem ſol. 3. den. x.* 1349. 23. *Auguſti. In duabus guarnellis pro Converſo & Converſa noſtra de Fano.* (in Agro Fanenſi nonnulla prædia Monaſterium Venetum S. Mariæ poſſidebat) Die 28. ejusdem Menſis. *In Piſcibus pro forenſibus qui venerunt de Bononia ſcilicet unus Frater cum uxore ſua den. ſex.* 1408. Julii. *Dedi Dominæ Blaxiæ eo quia facit offitium unius famuli pro uno pari ſubtellariorum ſol. x.* 1412. Octobr. x. *Pro ſubſidio infirmitatis Dominæ Luciæ Servicialis infirmorum noſtrorum.* Cujus tenoris aliæ quamplurimæ in œconomicis Diariis inveniuntur adnotationes.

Probatam magis regularis vitæ diſciplinam Sorores Mantellatæ ex eo tempore ſuceperunt, quo Martinus Papa V. ipſarum conſtitutiones Apoſtolica authoritate confirmavit anno Pontificatus ſui ſeptimo; Venetiis tamen in propriis ædibus perſtiterunt ad annum uſque 1528. Cum enim Matthæus Nicolai Lucenſis filius anno 1525. die 20. Aprilis ædem ex Teſtamento legaſſet, quam Sorores Tertii Ordinis ſe ad collegii formam

mam redigere exoptantes excolerent. Eam opportunitatem nactæ quam plures fœminæ quæ hac illac diſperſæ Ordinis ipſius conſtitutiones profitebantur, in ipſam quamvis anguſtam domum Domino perpetuo famulaturæ anno 1528. convenientes commigrarunt. Exinde religionis Servorum habitus iis tantummodo conceſſus fuit, quas arctæ ædes continerent. Iis itaque receptæ ex manuum ſuarum laboribus parce victitantes in eam præcipue curam incumbebant, ut teneras ſibi commiſſas Virgines pietatis exercitiis, atque imbecillioris ſexus operibus laudabili ſtudio exercerent, quibus præclaris officiis egregium religionis, & diligentiæ ſpecimen univerſæ Urbi ad hæc uſque tempora præbuerunt. Ex inopi hoc Collegio natalia ut ita dicam agnoſcunt quattuor præclariſſima Sanctimonialium Monaſteria, quæ Servorum Ordo ſub auſteriori regulæ obſervantia ſe poſſidere gloriatur. De Veneto S. Mariæ a Planctu, deque Burianenſi S. Mariæ Gratiarum alibi ſermo erit, ubi & aliqua de Clariſſima Virgine Benedicta Maria de Rubeis ipſorum fundatrice dicenda erunt, cujus vita præclaris morum virtutibus & rerum prodigiis mirum in modum effulgens Tom. III. Annal. Ord. ad ann. 1648. fuſe deſcribitur.

De Monaſteriis vero, quorum alterum in Agro Arcenſi Leopoldus Primus Imperator, alterum Monachii in Bavaria Thereſa Cunegunda Maſſimiliani Emanuelis S. R. I. Electoris ac Bavariæ Ducis Uxor ad recipiendas Sanctimoniales Reformatas Ordinis Servorum pro inſita pietate excitarunt; fuſe diſſerunt Annales Tom. III. pag. 348. & 628. ubi illuſtria Virginum geſta referuntur, quarum opera, & virtutibus Sanctiſſima Aſceteria ædificata, & in regulari diſciplina fundata fuerunt.

Accurſius Jacobi electi Epiſcopi Caſtellani Vicarius facultatem concedit Fr. Franciſco ejuſque ſociis Ordinis Servorum conſtruendi Oratorium, & Divina Officia celebrandi in Diœceſi Caſtellana.

A.

1316. 16. Junii.

Ex Autographo in Monaſterio Servorum B. M. V. de Venetiis.

IN Chriſti Nomine Amen. Die Mercurii ſextodecimo menſis Junii Venetiis. In Epiſcopali palacio Caſtellano. Præſentibus D.D. Præsb. Dominico Bielo Eccleſiæ S. Mariæ Formoſæ de Venetiis Caſtellanæ Diœceſis, & Boneto Tucii de prato teſtibus rogatis & aliis. Rev. Vir D. Accurſius Præpoſitus Piſtorienſis Vicarius in ſpiritualibus & temporalibus generalis Ven. Patris D. Jacobi Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Caſtellani electi, audita & intellecta peritione, & ſupplicatione eidem D. Vicario facta per Fratrem Franciſcum Fratrum Servorum S. Mariæ Ordinis S. Auguſtini Sindicum ſeu procuratorem religioſi viri Fr. Petri de Tuderto generalis Prioris totius Ordinis ſupradicti, ut de ſyndicatu & procuratorio conſtat publico inſtrumento anno Domini 1316. Indictione XIV. die vigeſimoprimo menſis Madii manu Andreæ, qui vocatur Buſſus notarius olim f. Sucii Notarii de Senis, inde confecto à me notario infraſcripto viſo & lecto, viſo etiam quodam exemplo quarumdam litterarum papalium fel. record. D. Benedicti olim Pp. XI. quodam ſigillo cere rubeæ pendenti munito exemplato, & tranſcripto per Petrum q. Paganucii Erbalocti de Fiorencia Imperiali auctoritate Judex ordinarius publicuſque Notarius cum ſubſcriptione Benedicti magiſtri Martini Imperiali auctoritate judex atque Notarius Florentiæ, tunc Ven. Patris D. Antonii Dei gratia Epiſcopi Florentini (a) Not. & Antonii Magiſtri Martini, Imperiali auctoritate judex atque Notarius Florentiæ Notariorum dicto exemplo cum ſolitis ſignis eorum in teſtes ſubſcriptorum aſcultato cum originali ipſius exempli bullato vera, integra & ſolita bulla plumbea pendenti cum filis ſericis applicatis fel. record. D. Benedicti olim Pp. XI. in præſentia Ven. Patris D. Antonii Dei gratia Epiſcopi Florentini ſub anno ab Incarnatione Domini MCCCXIV. Indictione XII. die Kal. Julii, ut in ſubſcriptione dictorum Notariorum plenius continetur. Inter cetera quamdam confirmationem factam per dictum q. D. Benedictum olim Pp. XI. Generalib. & univerſis Prioribus, & Fratribus Servorum S. Mariæ, Ordinis S. Auguſtini de regula & inſtitutionibus regulæ dicti Ordinis S. Auguſtini continente à me notario infraſcripto ſimiliter viſo & lecto dedit & conceſſit licentiam poteſtatem & bayliam Fr. Franciſco Syndico & Procuratori præfato recipienti nomine & vice dicti Fr. Petri de Tuderto Prioris generalis dicti Ordinis & ſucceſſorum ejus, ac etiam pro ipſa ordinem qui idem Fr. Franciſcus ſeu alii de dicto ordine, & nomine dicti ordinis in civitate & Diœceſi Caſtellana, ubicumque voluerit dictus Fr. Franciſcus, ſeu alii Fratres dicti ordinis in locis propriis poſſit erigere & hædificare, erectum & hædificatum habere publicum Oratorium, & in ipſo oratorio altaria conſtruere & conſtructa habere, & tenere ibique prædicare divina officia palam & publice

(a) Antonius Urſus ad Epiſcopatum Florentinum ex Eccleſia Fæſulana translatus obiit anno 1321. Ugh. in Epiſc. Florent.

blice celebrare, & etiam campanam ſeu campanas in loco patenti ponere, habere, & tenere, & ipſam, ſeu ipſas pulſare & ad eorum libitum pulſari facere, tum propter ipſas cauſas, quam etiam propter convocandas perſonas ad audiendum publice divina officia, & verbum Dei horis & temporibus, quibus videbitur ipſis fratribus, ac ipſas perſonas admittere & recipere ad ipſa officia. Et omnia alia & ſingula facere & exercere in ipſo oratorio & occaſione ipſius oratorii, quæ Deo & Beatæ Mariæ Virgini placibilia ſint, & conveniant ſtatui & ordini ipſorum Prioris & Fratrum. Et prædicta omnia & ſingula dedit, & conceſſit dictus D. Vicarius viſo & inſpecto dicto exemplo, & intuitu pietatis omnibus jure & modo, quibus melius & efficacius potuit. Salvo omni jure Parochialis Eccleſiæ, & ſine præjudicio juris alieni. In quorum omnium teſtimonium dictus D. Vicarius mandavit hoc publicum inſtrumentum fieri & ſigillo Vicariatus Caſtellani pendenti munimine communiri.

Anno Domini 1316. Indictione 14.

Ego Bonifacius de Mercato novo Imperiali auctoritate Notarius, & Epiſcopalis curiæ Caſtellanæ Scriba prædictis omnibus interſui, & ea de mandato dicti D. Vicarii ac rogatus a dicto Fr. Franciſco Syndico & procuratore præfato ſcripſi, & in publicam formam redegi, & quod ſuperius eſt interlineatum S. cujus ſculptura bene videre non potui nec habere legi, propria manu ſcripſi.

Frater Franciſcus Senenſis Syndicus Fratrum Ordinis B. M. V. in Oratorio Publico noviter erecto in Civitate Venetiarum primum Sacrificium offert.

B.

1316. 26. Novembris.

Ex Autographo in Archivo Monaſterii S. Mariæ Servorum.

IN Dei Nomine Amen ſub annis Domini a Nativitate ejuſdem 1316. Indictione 15. die Veneris 26. Menſis Novembris. Cunctis hanc inſtrumenti ſeriem inſpecturis clareat manifeſte, quod exiſtentibus dicta die Veneris de mane in Civitate Venetiarum in quodam novo oratorio Prioris Fratrum aut Ordinis Servorum S. Mariæ ſito in contrata S. Marciliani de Venetiis, quod oratorium ſic dicitur confinari a primo via, a ſecundo D. Franciſcæ uxor olim Petri de Venetiis, a tertio Jacomelli q. Johannis Ingengniere, a quarto canale ſeu rivus, vel ſi qui alii ſeu plures ſunt vel reperirentur dicto oratorio veriores confines me Benedicto Nuccii Notario infraſcripto ſ. Gratiadeo q. Boni de contrata S. Foſchæ, Marco ſ. Naſcimbenis Roſſi de contrata S. Mariæ Madalenæ de Venetiis, Buono Philippi, Bonacorſo q. ſ. Bernardi ſ. Tedaldi, Roſſo qu. dicti Salvi omnes de Florentia, qui moram trahunt ad præſens in Civitate Venetiarum teſtibus ad hæc vocatis & rogatis ſpecialiter. Quidam Fr. Franciſcus Præsb. & dicti Ordinis Fratrum Servorum, qui profeſſionem expreſſam aſſerit ſe feciſſe de obſervantia dicti ordinis in Civitate Senarum; jam ſunt decem anni & ultra, ac etiam Syndicus & procurator dicti Ordinis conſtitutus per generalem Priorem Fratrum conventuum dicti ordinis, & ejus ſocios vice & nomine totius dicti ordinis ad emendum & acquirendum poſſeſſiones tam ruſticas, quam urbanas, & ad ordinandum & imponendum Eccleſiam ſive locum vice & nomine dicti ordinis ſeu Prioris ipſius in Civitate & diſtrictu Venetiarum, prout de ipſius Syndicatu procuratorio publice conſtare vidi

Ego Benedictus Notarius infraſcriptus manu ſ. Andreæ Vocati Roſſo filius olim ſ. Tuccii Notariis de Senis quodam ammicto, camiſcio, planeta, ſtola, & manipulo albis indutus & paratus ad modum Præsbyteri miſſam celebrare volentis, præſentibus aſtantibus & juvantibus eumdem Fr. Franciſcum in miſſa celebranda fratribus Ylario Deperima, Angelo Peri, & Andrea Sozzii de Senis, qui etiam profeſſionem expreſſam ſe aſſerunt feciſſe de obſervantia dicti ordinis Servorum jam ſunt quattuor anni, & ultra in dicta Civitate Senarum facta, ac aſperſione aquæ Benedictæ ſuper prædictos aſtantes & alios, & per dictum oratorium dicendo: *Aſperges me Domine yſopo & mundabor lavabis me & ſuper nivem dealbabor*, & ſubſequenter *Miſerere mei Deus &c.* Super quodam Altari viatico erecto in dicto oratorio in præſentia mei Benedicti Notarii, & teſtium & Fratrum prædictotum & aliorum & multarum mulierum faciendo prius quamdam parvam campanam pulſari miſſam de S. Maria ſubmiſſa voce devote & ſolempniter candelis accenſis aqua & vino ſuper dicto altari apoſitis celebravit. Incipiendo bis dicere hanc antiphonam ſeu introitum flexis genibus. *Salve ſancta parens &c.* & ſex vicibus *Kirieleiſon* & ter vicibus *Chriſteleiſon* & *Gloria in excelſis Deo*, & poſtea tres orationes prima quarum fuit *Concede nos famulos tuos* & alia de Beato Petro Alexandrino, & alia de Cruce; poſtea Fr. Angelus Peri prædictus de Senis in celebratione dictæ Miſſæ dixit epiſtolam, quam ſic incepit *Lectio libri Sapientiæ. Ab initio & ante ſæcula creata ſum &c.* & ſubſequenter dictus Fr. Franciſcus dixit Evangelium quod incepit *Sequentia ſancti Evangelii ſecundum Lucam*: *Loquente Jeſu ad turbas &c.* & oblationem hoſtiæ & vini Deo fecit, præfatium dixit, & conſecrata hoſtia ſuper dicto Altari Chriſti Corpus Calicem manibus propriis in altum levavit, & poſtea dixit *Pater noſter* pacemque annuntiavit omnibus maribus & feminis aſtantibus & de Chriſti corpore communionem fecit, & *Agnus Dei* per dictos alios Fratres cantatis tres orationes dixit, ipſiſque completis Item *miſſa eſt* dixit, & prædictos omnes & quamplures alios aſtantes tunc manu deſtra in nomine Patris & Filii ſignavit.

Ego Benedictus Vocatus Bertus filius Nuccii de Florentia Imperiali auctoritate judex ordinarius publicuſque Notarius celebrationi dictæ Miſſæ una cum ſupraſcriptis teſtibus & aliis interfui in dicto oratorio Ideoque rogatus à dicto Fratre Franciſco prædicta omnia ſcripſi & publicavi, & me hic cum ſolito ſigno ſubſcripſi & quod ſuper in quarta linea abraſum apparet inter partes illas oratorio Prioris, & quod in XXXIII. linea interlineatum eſt dixit propria manu feci.

Jacobus Epiſcopus Caſtellanus concedit, ut Fratres Servorum B. M. V. pro edificatione Monaſterii recipere valeant uſque ad centum florenorum ſummam de male ablatis, quorum ignoretur Dominus.

C.

1317. 26. Februarii.

Ex Autographo in Monaſterio Servorum B. M. V.

JAcobus Dei gratia Caſtellanus Epiſcopus. Dilectis in Chriſto Priori, & Fratribus Conventus Venetiarum Fratrum Servorum Sanctæ Mariæ Ordinis Sancti Auguſtini ſalutem in domino, & dignos fructus agere pœnitentiæ ſaluta-

lutaris. Veſtræ devotionis præcibus benignum impertientes aſſenſum, ut pro hedificatione loci veſtri de Venetiis uſque ad ſummam centum florenorum auri de male ablatis incertis, dummodo quibus ipſorum reſtitutio fieri debeat, penitus ignoretur, recipere valeatis per civitatem, & diœceſim noſtram, & ea vobis tradentibus, qualibet tamen tranſactione, vel compoſitione omnino excluſa remittere auctoritate præſentium indulgemus. Quam utique ſolutionem, & receptionem, ut nil in fraudem attemptari penitus valeat in Vicarii noſtri præſentia fieri volumus, & mandamus, remiſſione veſtra hujuſmodi non aliter valitura. Cupientes etiam dictæ veſtræ Eccleſiæ fabricam noſtris proſperari temporibus, & ad ſui devotionem populum allicere Chriſtianum omnibus vere penitentibus, & confeſſis, qui ad dictum opus manus ſuas porrexerint adiutrices de iniuncta ſibi penitentia quadraginta dies in Domino miſericorditer relaxamus: In cujus rei teſtimonium præſentes fecimus noſtri ſigilli appenſi munimine roborari.

Datum Malauſane (*a*) Vaſionenſis diœceſis. Anno Domini Milleſimo Trecenteſimo ſeptimodecimo. Die vigeſimoſexto Februarii: Pontificatus Domini Johannis Pape XXII. anno primo.

(a) Malauſana Oppidum non longe ab Urbe Vaſionenſi in Gallia a Joanne Blaeu Tom. VII. reponitur in Delphinatu & Maluſſane nuncupatur. Clariſſimi Sanmartani Tom. I. pag. 932. Galliæ Chriſtianæ vocant Malaucena: *Bernardonum de Serris Toparcham Malaucene Guillelmus Epiſc. in protectorem Eccleſiæ Vaſionenſis ſuſcepit anno* 1410. Nulla de hoc loco mentio ingeritur a Gallicis Scriptoribus La Martiniere & Moreri in ipſorum Dictionariis. Eo loci morabatur tunc temporis Jacobus Caſtell. Epiſc. ut pote qui Ludovici Bavari partibus adhæſerat contra Pontificem: Attamen ex inſtrumento ſequenti colligitur Venetias ante ann. 1318. rediiſſe.

Jacobus Caſtellanus Epiſcopus licentiam conſtruendi Oratorium, & Cœmeterium per Accurſium Vicarium ſuum datam confirmat, atque inſuper concedit, ut per Epiſcopum Scarpantenſem ponatur primus lapis pro ædificanda Eccleſia.

D.

1318. 23. Martii.

Ex Autographo in Monaſterio S. Mariæ Servorum.

IN Chriſti Nomine Amen. Die 23. menſis Martii Veneciis in Epiſcopali palacio Caſtellano. Præſentibus Salvi Clerico cápono de Trevis & Ugolino de Petrino Domicellis, & familiaribus Ven. Patris D. Jacobi Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Caſtellani Epiſcopi teſtibus rogatis & aliis. Coram Ven. Patre D. Jacobo Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Caſtellano Epiſcopo conſtitutus Fr. Franciſcus Prior Fratrum Capituli & Conventus loci Servorum S. Mariæ ordinis & regulæ S. Auguſtini de Venetiis Caſtellanæ Diœceſis nomine ſuo, capituli, conventus & Fratrum dicti ordinis oretenus & in ſcriptis humiliter ſupplicavit in hunc modum. Coram vobis Domino D. Jacobo Dei gratia Caſtellano Epiſcopo ſupplicant humiliter & devote Prior, & Fratres, Capitulum, & Conventus Servorum S. Mariæ ordinis & regulæ S. Auguſtini de Venetiis Caſtellanæ Diœceſis quibus data fuit licentia conſtruendi, hædificandi oratorium & cimiterium in honorem & reverentiam dicti Nominis

& ſub vocabulo B. M. V. glorioſæ per Rev. Virum D. Bonacurſium Vicarium generalem, quatenus eis ex certa ſcientia ipſam licentiam, & contenta in ea confirmare & aprobare, & ratificare miſericorditer vellitis, liteque coram noſtro Vicario pendente non obſtante, ſupplentes nihilominus quod Eccleſia in ipſo loco poſſint conſtruere & cimiterium habere Crucem & primarium lapidem apponentes ſine juris parochjalis præjuditio alieni. In vita & in morte fructum per hæc quæ non periit omnium bonorum conſequimini quæ ibidem perpetuis fieret temporibus & ad ea nos noſtroſque ſucceſſores reddunt & participes eſſe volunt. Qua ſupplicatione per dictum patrem tam oretenus quam in ſcriptis facta & per dictum D. Epiſcopum audita & intellecta. Viſo etiam quodam conſilio ſapientis Viri D. Johannis Andreæ decretorum Doctoris. Volens ipſis Fratribus ob reverentiam Dei & Beatæ Virginis in quantum poterat complacere, dictam licentiam per dictum D. Vicarium dictis Priori & Fratribus datam & contentam in ea ex certa ſcientia confirmavit & aprobavit & miſericorditer ratificavit, lite prædicta non obſtante, de pleniori gratia concedendo eiſdem quod Eccleſia in ipſo loco poſſint conſtruere, & cimiterium habere crucem & primarium lapidem ſine juris parochialis præjudicio alieni per Ven. Patrem D. Fr. Nicolaum Dei gratia Scarpantenſem Epiſcopum, (a) cui in hac parte commiſit vices ſuas apponere & cimiterium benedicere, & conſecrare ſi & quando ipſi D. Scarpantenſi Epiſcopo & dictis Priori & Fratribus placuerit, & eas videbitur expedire. Feſtum cujus celebrari mandavit in Annunciatione ipſius glorioſæ Virginis Mariæ.

Anno Domini milleſimo trecenteſimo decimo octavo Indictione prima Ego Bonifacius de Mercato novo Imperiali auctoritate Notarius & Epiſcopalis Curiæ Caſtellanæ ſcriba prædictis omnibus interſui, & ea de mandato dicti D. Caſtellani Epiſcopi ac rogatus a dicto Priore ſcripſi & in hanc publicam formam redegi.

(a) Nicolaum Scarpatenſem Epiſcopum ex Ordine Heremitarum aſſumptum fuiſſe colligitur ex carta Conſecrationis Eccleſiæ Prioralis S. Martini apud Opitergium ſitæ, quæ unita fuit Monaſterio S. Michaelis prope Murianum Ord. Camald. in cujus Archivio extat: Sic autem incipit Fr. Nicolaus Fratrum Heremitarum S. Auguſtini Dei & Apoſtolica gratia Epiſc. Scarpaten. Idipſum confirmatur ex diario expenſarum Monaſterii S. Mariæ Servorum ad Menſem Martium anni 1318., ubi hæc habentur *Speſe fatte in Candelle, che forono preſentate al Veſcovo de' Frati Romitani, che conſacrò il Cimiterio*. Carpathius ſeu Corpathius Inſula eſt in Mari Ægeo inter Cretam & Rhodum poſita antiquitus Pallenia & Tetrapolis nonnumquam etiam Heptapolis nuncupata.

Nicolaus Epiſcopus Scarpantenſis Epiſcopi Caſtellani delegatus primum lapidem benedicit pro conſtruenda Eccleſia S. Mariæ V. pro Fratribus Ordinis Servorum.

1318. 24. Martii.

Ex Autographo In Monaſterio Servorum B. M. V. de Venetiis.

IN Chriſti nomine Amen Die Veneris vigeſimoquarto menſis Marcii Veneciis in contrata S. Marcialis de Veneciis Caſtellanæ Diœceſis in loco ſeu domo & oratorio Fratrum Servorum Sanctæ Mariæ. Præſentibus D. Cecho de Prato, Ugolino de Petrino, & Franceſcheto de Spoleti domicellis Vener.

Patris D. Jacobi Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Caſtellani Epiſcopi, Johanne de Vanzago, Marco Donato, Gratiadeo Bono, Marino Triviſano de confinio S. Fuſcæ, Petro Bono de confinio S. Hermacoræ, Johanne Coſti, Rubeo de Peruciis, & Bonacurſio Bernardi de Florentia teſtibus rogatis & aliis. Coram Ven. Patre D. Fr. Nicolao Dei gratia Scarpantenſi Epiſcopo Ven. Patris D. Jacobi Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Caſtellani Epiſcopi ad infraſcripta ſpecialiter delegato, Fr. Franciſcus Prior Fratrum loci & capituli Servorum S. Mariæ Ordinis & regulæ S. Auguſtini de Venetiis Caſtellanæ Diœceſis nomine ſui & Fratrum ſuorum humiliter & inſtanter ſupplicavit eidem D. Epiſcopo delegato præfato, quatenus in dicto loco & Eccleſia hædificanda benedicere ponere & locare dignaretur primarium lapidem & Crucem in quo hædificare volebat Eccleſiam ad honorem Dei & Beatæ ac glorioſæ Mariæ Virginis Matris ejus: dicens, & proteſtans quod ipſam Eccleſiam hædificare volebat ſine præjuditio juris alieni & maxime ſine præjuditio juris Eccleſiæ S. Marcialis in cujus parochia hædificanda eſt Eccleſia ſupradicta. Ad hæc dictus D. Epiſcopus Scarpantenſis delegatus præfatus ob remedium animæ ſuæ præcibus ipſius Prioris annuens, auctoritate ſibi à dicto D. Caſtellano Epiſcopo in hac parte tradita primarium lapidem benedixit & Crucem poſuit & locavit ibidem Eccleſiam ad honorem Dei & Beatæ Mariæ glorioſæ Matris ejus conſtruendam deſignavit. Feſtum cujus celebrari mandavit in Annunciatione ipſius glorioſæ Virginis Mariæ.

Anno Domini milleſimo trecenteſimo decimo octavo Indictione prima. Ego Bonifacius de Mercato novo Imperiali auctoritate Notarius & Epiſcopalis Curiæ Caſtellanæ Scriba prædictis omnibus interfui & ea de mandato dicti D. Scarpantenſis Epiſcopi ac rogatus à dicto Priore ſcripſi, & in hanc publicam formam redegi.

Nicolaus Scarpantenſis Epiſcopus de licentia Epiſcopi Caſtellani conſecrat Cœmeterium Fratrum Ordinis Servorum B. M. V.

1318. 25. Martii.

Ex Autographo in Monaſterio S. Mariæ Servorum.

IN Chriſti Nomine Amen. Die vigeſimo quinto menſis Martii, in quo die celebratur Feſtum Annunciationis Beatæ Virginis Mariæ Venetiis in Contrata S. Martialis in loco Fratrum Servorum Sanctæ Mariæ Præſentibus Dominis Cecho D. Cheli de Prato Franceſcho Symoneti de Spoleto & Ugolino de Petroio Domicellis Ven. Patris D. Jacobi Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Caſtellani Epiſcopi, Marino Triviſano, Johanne de Vanzago, Graciadeo bono de confinio S. Fuſcæ, Petro bono de confinio S. Hermacoræ, Rubeo de Perucciis, & Bonacurſio Bernardi de Florentia teſtibus rogatis & aliis Ven. Pater D. Fr. Nicolaus Dei gratia Scarpantenſis Epiſcopus Ven. Patris D. Jacobi Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Caſtellani Epiſcopi ad infraſcripta ſpecialiter delegatus ad peticionem requiſitionem, ſupplicationem, & requiſitionem Dominorum Fr. Franciſci Prioris Fratrum & Conventus Servorum S. Mariæ Ordinis & regulæ S. Auguſtini de Venetiis Caſtellanæ Diœceſis in ipſo loco cimiterium cum pſalmis, letaniis, & orationibus & miſſarum celebratione, & aliis in talibus conſuetis juxta formam Eccleſiæ in talibus conſuetam benedixit & conſecravit.

Anno Domini milleſimo trecenteſimo deci-

decimoctavo Indictione prima. Ego Bonifacius de Mercato novo Imperiali auctoritate Notarius, & Epiſcopalis Curiæ Caſtellanæ Scriba prædictis omnibus interſui, & ea de mandato dicti D. Scarpantenſis Epiſcopi, ac rogatus à dicto Priore ſcripſi, & in hanc publicam formam redegi.

B. Bertrandus (a) Patriarcha Aquilegienſis concedit quadraginta dies de indulgentia viſitantibus Eccleſiam S. Mariæ Servorum de Venetiis in nonnullis anni ſolemnitatibus.

E.

1344. 17. Maii.

Ex Autographo in Archivo Monaſterii S. Mariæ Servorum.

UNiverſis Chriſti fidelibus ad quos præſentes pervenerint Sanctæ Sedis Aquilegenſis Dei gratia Patriarcha Bertrandus Salutem in Domino ſempiternam. Serena Virgo Mater plena deliciis dulcis Dei genetrix Salvatoris à Chriſtifidelibus digne meruit venerari, quæ ſolem juſtitiæ Jeſum Chriſtum Dominum Noſtrum mundo edidit Salvatorem, de cujus uberum dulcedine, ægris medicina, languentibus ſalus, reis culpæ remiſſio, cunctiſque ipſius implorantibus patrocinium miſericordiæ rivulus noſcitur emanare. Cupientes igitur, ut Eccleſia S. Mariæ Majoris de Venetiis Ordinis Servorum S. Mariæ Caſtellanæ Diœceſis congruis honoribus frequentetur, & a dictis fidelibus jugiter veneretur omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui in feſtivitatibus Nativitatis Domini Circumciſionis Epiphaniæ Reſurrectionis & Aſcenſionis ejuſdem, ac in feſtivitatibus Pentecoſtes & Corporis Chriſti, & in ſolemnitatibus Beatæ Mariæ Virginis glorioſæ, & in die conſecrationis ejuſdem Eccleſiæ ad ipſam cauſa devotionis acceſſerint, & qui quandocumque per fratres Servos prædictos in præmiſſa Eccleſia prædicabitur verbum Dei ipſis prædicationibus devote intererint, eaſque audierint reverenter, & qui quandocumque fraternitas Beatæ Mariæ in Eccleſia congregabitur antedicta ibi intererint quadraginta dies de injunctis eis pœnitentiis miſericorditer in Domino relaxamus. Dummodo Diœceſani conſenſus ad id accedat pariter & aſſenſus, in cujus rei teſtimonium præſentes fieri juſſimus, noſtrique ſigilli appenſione muniri. Datum Venetiis apud Monaſterium S. Georgii Majoris dictæ Caſtellanæ Diœceſis die decimo ſeptimo menſis Maii Anno Dominicæ Nativitatis milleſimo trecenteſimo quadrageſimo quarto Indictione Duodecima.

(a) Celebre eſt Nomen B. Bertrandi Patriarchæ Aquilejenſis & Mart. apud Rerum Aquilejenſium Scriptores. De eo Ughel. in Patriarchis Aquilejenſibus, P. Bernardus Maria de Rubeis in Monumentis Eccleſiæ Aquilejenſis; & alii.

Dominium Venetiarum facultatem concedit Fratribus Ordinis Servorum B. M. V. conſtruendi pontem ad latus Monaſterii.

F.

1353. 9. Decembris.

Ex Libris Magiſtratus Proviſorum Communis.

THomas Mocenico Dei Gratia Dux Venet. (*a*) &c. Univerſis & ſingulis ſibi Dilectis preſentes Litter. inſpecturis notum facimus, & manifeſtum, quod in noſtris Conſiliis minori de 40. & majori 1353. Ind. VII. (*b*) die IX. Menſis Decembris. Capta fuit gratia infraſcripti tenoris, videlicet Cum Prior & Fratres Serv. S. Mariæ ſupplicaverint quod eis de gratia concedatur licentia faciendi, & ædificandi unum pontem in proprio territorio ex una parte, quem pontem vellent conſtruere, & conſtructum tenere & in pedibus, & medio, quando opportunum fuerit, reficere ſuis ſumptibus, & expenſis; & de proprio territorio demittere una viam liberam, & expeditam in latitudine decem pedum, qui pons conſtructus ſuper Rivo S. Martialis. Vadit pars, audita reſponſione officialium publicor. in hoc concordantium, qui convocaverunt, & audiverunt convicinos, quod fiat ſupraſcriptis Priori, & Fratribus gratia ſupraſcripta cum conditionibus antedictis: In evidentiam autem prædictæ gratiæ conceſſæ in reverentiam Dei, & glorioſiſſimæ Virginis Mariæ Conventui ſupraſcripto pro cultu ipſius has noſtras Litteras fieri fecim. & Bulla Noſtra Blumbea pendente muniri. Data in Noſtro Ducali Palatio die ultimo Menſis Septembris Ind. Nona 1415.

(a) Thomas Mocenico Dux LXIII. Michaeli Steno Duci ſucceſſit ann. 1413. obiit ann. 1423.
(b) Cum ad ann. 1353. in menſe Decembri appoſita ſit Indict. VII. & ad ann. 1415. ad Menſ. Septembris Indictio IX. manifeſte patet indictiones ipſas a Kalendis Septembris initium habuiſſe.

Nobiles Danduli concedunt Epiſcopo Archadienſi Monaſterium S. Pauli in Inſula Creta, cum conditione ut ſi ſtatuto tempore adveniant Fratres Ordinis Servorum illud teneatur aſſignare dictis Fratribus.

G.

1470. 26. Martii.

Ex Archivo S. Mariæ Servorum de Venetiis.

IN Chriſti Nomine Amen. Anno Nativitatis ejuſdem 1470. Indictione iij. die vero 26. Menſis Martii in camera infraſcripti D. Nicolai Domorum V. In quibus habitat præſenti aliter Candidæ Inſula Cretæ Præſentibus Ven. Viris DD. Præsbyteris Franciſco Mauro & Præsb. Gabriele Faletro teſtibus ad hæc vocatis. Ibique Viri Nobiles D. Paulus Dandulo q. D. Nicolai, D. Nicolaus, & D. Lucas Dandulo fratres q. D. Johannis coram Rev. in Chriſto Patre

tre D. Hermolao Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopo Kiſſimenſi (*a*) Reverend. in Chriſto Patris & Domini D. Hieronymi permiſſione Divina Cretenſi Archiepiſcopi Vicario Generali auctoritate juris Patronatus quam habent in Monaſterio infraſcripto dederunt contulerunt & conceſſerunt & preſenti charta confirmarunt Rev. in Chriſto Patri D. Marco Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopo Archadienſi (*b*) Monaſterium S. Pauli Burgirandæ. & introitus ac proventus ſpectantes & pertinentes eidem Monaſterio ab hodie in antea uſque ad totum tempus vitæ ipſius D. Epiſcopi hac tamen conditione appoſita quod idem D. Epiſcopus teneatur habere in ipſo Monaſterio capellanos duos cum ſalario debito ipſis ſolvendo annuatim a præfato D. Epiſcopo de introitibus antedictis hoc etiam declarato quod ſi a modo uſque per totum menſem Auguſti proximum 1470. Fratres Servorum venerint præfatus D. Epiſcopus teneatur & debeat redere & conſentire illud Monaſterium Fratribus antedictis ſin autem elapſo dicto ſpatio temporis, & ipſis Fratribus non venientibus tunc & ex nunc præſens inſtrumentum & emaneat validum & in ſuo vigore juxta ejus continentiam, quem quidem D. Epiſcopum & nobiles præſentaverunt D. Vicario prælibato qui eumdem D. Epiſcopum cum plenitudine juris admiſit, & laudavit, & approbavit & confirmavit comendationem prædictam, de quibus omnibus & ſingulis partes prædictæ rogaverunt me notarium ut publicum faciam inſtrumentum.

(a) *Khiſimenſis* corrupto Sermone vocatur Epiſc. Cyſamenſis; Cyſamus enim Urbs eſt in Cretæ Regno Italice *Chiſſamo*, *Chiſamo*, e *Chiſamopoli*.
(b) Cyparicæ italice Archadia Urbs eſt in Peloponeſi Regno inter Pylum & Patras poſita.

Frater Antonius Alabantus Generalis Ordinis Servorum recipit in participationem omnium bonorum ſpiritualium Ordinis Nicolaum Dandulum Patritium Venetum, qui Ordini Cœnobium S. Pauli in Cretæ Regno donaverat.

H.

1490. 9. Auguſti.

Ex Archivo S. Mariæ Servorum de Venetiis.

FR. Antonius Alabantus de Bononia Sacræ Theologiæ humilis profeſſor Fratrum Servorum Beatæ Mariæ Virginis Ordinis S. Auguſtini Prior Generalis licet indignus: Magnifico ac Nobili Viro D. Nicholao Dandulo Patricio Veneto benefactori noſtro, ſalutem & pacem in Domino ſempiternam. Viros quidem religioſos in Dei contemplatione tanto ardentiores eſſe oportet, quanto illi, qui in ſæculo vivunt, in rebus caducis occupati circa Divina ſunt minus intenti: Quare, teſte Gregorio, tanto quiſque a Divino amore disjungitur, quanto inferius delectatur; & qui donorum Dei ejuſque gratiæ locupletiores ſunt, alios etiam ſuorum meritorum, ex intimo charitatis affectu participes fieri deſiderant: ac pro illis Deo fideliter ſervientes frequentius & ſine intermiſſione Deum exorant: Quo fit, ut & nos de ſpiritualibus donis, quibus religio noſtra eſt copioſiſſima, Jeſu Chriſti Redemptoris noſtri gratia abundans, & refulgens in benefactores & amicos ac devotos ſuos eodem modo participes fieri conſueverit: Nos itaque dilectionis, devotionis, & affectionis

veſtræ,

veſtræ, quam erga religionem noſtram geritis non ignari, de ampliſſima Chriſti gratia, ac ejuſdem Genitricis Mariæ meritis confiſi, ſub cujus glorioſo titulo inter omnes ordines ſolus ordo noſter a primæva ſui fundatione regitur & gubernatur. Ut igitur felicius Cœlorum Regna conſequi valeatis, auctoritate officii noſtri Dei & Sedis Apoſtolicæ gratia nobis conceſſa, tenore præſentium dilectionem veſtram omnium Obedientiarum, obſervationum regularium, votorum, miſſarum, officiorum, ſtudiorum, orationum, Prædicationum, jejuniorum, laborum, itinerum, indulgentiarum, ſanctarumque meditationum, ac omnium bonorum, & meritorum quæ ad Dei laudem, ejuſque genitricis Mariæ præcipuæ Patronæ noſtræ in toto ordine noſtro ubilibet fiunt & impoſterum fient, Participem & conſortem facimus ſpetialiter quidem præcipiendo noſtris fratribus conventus noſtri S. Pauli in Creta, ut pro ſalute veſtra tam animæ quam Corporis, ac pacifico & tranquillo ſtatu ejuſdem Deum orare non ſolum in vita, ſed etiam poſt mortem debitas exequias, quæ pro uno quoque fratre noſtro Sacerdote fieri conſueverunt pro vobis & tamquam præcipuo benefactore noſtro Celebrare ſtudeant debeantque: In quorum omnium fidem has præſentes ſcribi fecimus, & ſigilli officii noſtri juſſimus impreſſione muniri. Datum Bononiæ in noſtro Conventu ſtrattæ Majoris Die 9. Auguſti MCCCCXC. Cum ſubſcriptione de noſtra propria manu: V. a Domino factum eſt iſtud.

Joannes Caravagial Cardinalis legatus concedit centum dies indulgentiarum viſitantibus & adjuvantibus Eccleſiam S. Mariæ Servorum de Venetiis.

I.

1453. 11. Auguſti.

Ex Autographo Archivi Monaſterii S. Mariæ Servorum.

JOhannes Miſeratione Divina Sancti Angeli Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconus Cardinalis, (*a*) ad nonnullas Italiæ partes Apoſtolicæ Sedis de latere legatus, Univerſis & ſingulis Chriſti fidelibus noſtras præſentes litteras inſpecturis Salutem in Domino ſempiternam. Splendor paternæ gloriæ, qui ſua mundum illuminat ineffabili claritate pia vota fidelium de ipſius clementiſſima majeſtate ſperantium tum præcipue benigno favore proſequimur, cum devota ipſorum humilitas Sanctorum meritis & præcibus adjuvatur, juſtis igitur ſupplicationibus inclinati, atque ut Eccleſia Monaſterii Fratrum Servorum S. Mariæ de Venetiis ordinis S. Auguſtini. Quæ ob reverentiam & honorem ipſius glorioſæ Virginis Dei Genitricis Mariæ a Chriſtifidelibus jugiter veneretur. Omnibus & ſingulis vere pœnitentibus, & confeſſis, qui ad dictam Eccleſiam Monaſterii præfati Servorum ſingulis in Dominica infra Octavam Aſſumptionis Beatæ

(a) Johannes Caravagial Cardinalis titulo S. Angeli deinde S. Crucis in Hieruſalem mox Epiſc. Sabinenſis ac poſtremo Epiſc. Portuenſis Romæ obiit VIII. Id. Decemb. ann. 1465. in Baſilica S. Marcelli cum hoc emortuali elogio tumulatus: *Johanni Caravagiali genere Ibero Pontifici Portuenſi S. R. E. Card. Patrum ſplendori, virtutum decori de religione atque omni re benemerito, qui vixit ann. 70. Beſſario Cardin. Nicænus Collega pientiſſimo.*

Beatæ Mariæ cauſa devotionis vel orationis acceſſerint, & qui pro conſervatione ornamentorum, ac fabricæ ejuſdem Eccleſiæ manus porrexerint adjutrices. Aut qui alias eidem Eccleſiæ quicquam ſuarum facultatum errogaverint, ſeu legaverint, quotienſcumque præmiſſa, vel aliquod præmiſſorum fecerint de Omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, Centum dies indulgentiarum de injunctis eis pœnitentiis miſericorditer in Domino relaxamus, remittimus & impertimur, præſentibus in perpetuum duraturis. In quorum fidem & teſtimonium has præſentes litteras confici mandavimus, Noſtrique ſigilli juſſimus appenſione communiri. Datum Venetiis anno à Nativitate Domini milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo tertio die undecima menſis Auguſti. Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini Noſtri D. Nicolai Divina providentia Pp. V. anno Septimo.

Petrus Cardinalis Riarius Legatus Apoſtolicus Prioratum S. Catharinæ de Inſula Juſtinopolitanæ Diœceſis Monaſterio S. Mariæ Servorum de Venetiis perpetuo unit & adnectit.

K.

1473. 7. Octobris.

Ex Autographo in Archivo Monaſterii S. Mariæ Servorum.

PEtrus miſeratione Divina titulo S. Sixti Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Præsb. Cardinalis Patriarcha Conſtantinopolitanus; (a) Nec non Peruſii, Tuſciæ, Lombardiæ, Venetiarum &c. Sedis Apoſtolicæ legatus dilecto nobis in Chriſto Fr. Marco Georgi Provinciali ordinis Servorum S. Mariæ ac Fratribus Venetiarum ejuſdem ordinis Salutem & ſinceram in Domino charitatem. Piis ſupplicum votis gratum nos decet præſtare aſſenſum, & ut ea quæ Divini cultus propagationem reſpiciunt optatum ſorciantur effectum libenter interponimus ſollicitudinis noſtræ partes. Cum itaque dilectus noſter in Chriſto Dominicus Pavanellus de Padua juris Doctor, Commendatarius Eccleſiæ ſive Prioratus S. Catharinæ de Inſula Juſtinopolitanæ Diœceſis Ordinis S. Benedicti, & qui dudum Monialibus conferebatur comendæ dudum ſibi de ipſo Prioratu facte ſponte & libere in manibus noſtris ceſſerit & renuntiaverit, Noſque ceſſionem ipſam duxerimus admittendam, ac Prioratus ipſe, adhuc co quo dum eidem Dominico commendatus exiſtit, modo vacare noſcatur. Nos verum & ultimum modum vacationis dicti Prioratus, etiam ſi ex illo generalis reſignatio reſultaret, præſentibus pro expreſſis habentes, ac eidem ordini veſtro de religionis zelo, ſtudio ſcientiarum, fidei orthodoxæ ſinceritate aliiſque virtutum meritis apud nos multipliciter commendato de alicujus ſubventionis auxilio providere volens, prædictum Prioratum, qui ſine cura eſt, ejuſque fructus redditus & proventus viginti Florenorum auri de Camera ſecundum communem exiſtimationem valorem annuum non excedunt, ſive præmiſſo ſive alias quovis modo aut per conſimilem dicti Dominici, ſive alte-

(a) Petrus Cardinalis Riarius Saonenſis ex Ordine Minorum Sixti IV. Nepos de quo Ughel. in Archiepiſc. Florentinis & Ciaconius fuſius loquuntur. Hoc anno Venetias acceſſiſſe teſtatur ſuprarelatum Diploma.

rius cujuſcumque de eo extra Romanam Curiam, etiam coram Notario publico & teſtibus ſponte factam reſignationem, ſive ceſſionem vacet aut tanto tempore vacaverit quod ejus colatio juxta Lateranenſis ſtatuta Conſilii ad Sedem Apoſtolicam legitime devolutam, ſive inter aliquos extra eandem Curiam litigioſus litis ſtatus præſentibus pro expreſſis habere volumus exiſtat cum omnibus ſuis fructibus redditibus, juribuſque & obventionibus univerſis, præfato veſtro ordini Servorum utique quo ad hoc ex privilegio capaci auctoritate Apoſtolica, cujus legationis fungimur officio, harum ſerie incorporamus, unimus perpetuo, & annectimus, ac membrum dicti ordinis conſtituimus, ita quod liceat vobis ipſius Eccleſiæ & loci poſſeſſionem propria auctoritate apprehendere, & de ipſius fructibus redditibus, proventibus, juribus, & obventionibus univerſis diſponere, ſicut Priores, qui pro tempore fuerunt, diſponere potuerunt alienatione tamen quorumcumque bonorum immobilium & præcioſorum mobilium ipſius Prioratus vobis penitus interdicta. Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis nequaquam obſtantibus. In quorum fidem has noſtras litteras fieri fecimus & ſigilli noſtri juſſimus appenſione muniri. Datum Venetiis Anno a Nativitate Domini milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo tertio Indictione ſexta die vero ſeptima menſis Octobris Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini Noſtri D. Sixti divina providentia Papæ Quarti Anno Tertio.

F. Salviatus

Mapheus Girardo Patriarcha Venetiarum Litteras Sixti IV. promulgat, quibus ipſe Pontifex remiſſionem peccatorum indulget Eccleſiam S. Mariæ Servorum de Venetiis viſitantibus & eleemoſinas ad ejus ædificationem erogantibus.

L.

1474. 3. Octobris conceſſæ.

1476. 9. Januarii promulgatæ.

Ex Autographo in Archivo Monaſterii S. Mariæ Servorum.

IN Chriſti Nomine Amen. Noverint univerſi & ſinguli has noſtras ſive præſens tranſumptum & publicum inſtrumentum inſpecturi, lecturi & audituri Quod Nos Mapheus Girardo miſeratione Divina Patriarcha Venetiarum Dalmatiæque Primas die datæ præſentium vidimus, legimus, palpavimus, in manibus noſtris tenuimus, ac in notarii publici teſtiumque infraſcriptorum ad hoc ſpecialiter vocatorum & rogatorum præſentia diligenter inſpeximus quaſdam litteras Apoſtolicas Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini D. Sixti divina providentia Papæ Quarti in ſe indultum & plenariam remiſſionem peccatorum continentes viſitantibus & manus adjutrices porrigentibus Eccleſiæ S. Mariæ Servorum Venetiarum eidem D. Sixti Papæ vera & nota bulla plumbea cum filis ſerici rubei croceique coloris more Romanæ Curiæ impendenti bullatas, ſanas, integras, & illeſas, non abraſas, non cancellatas, non vitiatas, neque in aliqua ſui parte ſuſpectas, ſed omni prorſus vitio, & ſuſpitione carentes nobis præſentatas per Vener. & religioſos viros ſacræ Theologiæ profeſſo-

ſeſſores D. Magiſtrum Marcum Georgio Provincialem Ordinis Servorum & D. Magiſtrum Gregorium de Venetiis Priorem Conventus S. Mariæ Servorum Venetiarum. Quarum tenor ſequitur & eſt talis.

Sixtus Epiſcopus ſervus Servorum Dei univerſis & ſingulis Chriſtifidelibus præſentes litteras inſpecturis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Dum intra noſtræ mentis recenſemus archana. Quod Sanctiſſima Dei genitrix Virgo Maria Templum Domini, Sacrarium Spiritus Sancti, Regina Cœlorum militantis Eccleſiæ & totius ſæculi advocata apud Deum quem genuit Redemptorem noſtrum pro univerſis Chriſtifidelibus intercedit majoreque inter cunctas mulieres benedictione incomparabiliter inſignita exiſtit dignum quando potius debitum reputamus ut Venerabiles Eccleſias & alia pia loca ſub ipſius vocabulo dedicata illa præſertim, quæ in eorum edificiis ſuffragiis fidelium magnopere indigere cognoſcimus, remiſſionum proſequamur impendiis & indulgentiarum decoremus muneribus apud Deum profecto meritorium eſſe ſcientes Eccleſiarum fabricis manus adjutrices porrigere, & earum neceſſitatibus ſubvenire, unde reparatione & inſtauratione indigentibus Dei templis, ut fideles auxilium opportunum impendant noſtris exhortamur litteris & pro terrenis temporalibuſque ſuffragiis cœleſtia & æterna, quæ prorſus excellunt vid. remiſſiones & indulgentias eis miſericorditer elargimur; cum itaque, ſicut accepimus, capellæ majores Eccleſiæ B. Mariæ Ordinis Servorum Venetiarum, quæ inter alias Eccleſias dictæ Civitatis magnifice fabricata atque erecta eſt jam fundatæ atque elevatæ ſint & nondum perfectæ. Ac ad illas perficiendas atque ornandas fidelium ſuffragiis plurimum indigere noſcantur. Nos igitur cupientes ut dictæ Capellæ, quarum fabricæ curam dilectus filius Nobilis vir Antonius Donato Dominii Venetiarum orator ad nos deſtinatus ad præſens & ſui anteceſſores de eadem familia retroactis temporibus ſemper habuerunt quamtotius in ſuis ſtructuris & ædificiis hujuſmodi perficiantur. Nec non fideles ipſi eo libentius devotionis cauſa confluant ad eamdem Eccleſiam, & ad hujuſmodi capellarum & ædificiorum perfectionem, conſervationem, & reſtaurationem manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cœleſtis gratiæ uberius conſpexerint ſe refectos de Omnipotentis Dei miſericordia & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi. Omnibus vere pœnitentibus utriuſque ſexus fidelibus & confeſſis; qui eccleſiam ipſam, poſt annum jubilei proximi immediate ſequentem, a primis veſperis Vigiliæ Feſtivitatis Annunciationis ejusdem B. Mariæ Virginis uſque ad ſecundas veſperas immediate ſequentes devote viſitaverint annuatim, & ad capellarum prædictarum edificiorum fabricam, perfectionem, conſervationem, & reſtaurationem manus porrexerint adjutrices, plenariam omnium peccatorum ſuorum remiſſionem & indulgentiam auctoritate Apoſtolica tenore præſentium elargimur. Et nihilominus ut ipſi fideles ad ipſam confluentes conſcientiæ pacem & animarum ſalutem Deo propitio conſequantur. Nec non indulgentiæ hujuſmodi facilius eſſe participes valeant benignius agere volentes, Ven. Fr. Patriarchæ Venetiarum & dilectis filiis Provinciali ac Priori domus prædictæ Eccleſiæ pro tempore exiſtentibus præsbyteros idoneos prædicti ordinis profeſſores tot quot eis videbitur, qui eorumdem fidelium Eccleſiam prædictam cauſa indulgentiæ hujuſmodi conſequendæ, ut præmittitur, viſitantium per octo dies ante & totidem poſt confeſſiones audire, eiſque diligenter auditis pro commiſſis per eos criminibus delictis & peccatis omnibus etiam in ſingulis caſibus Apoſtolicæ Sedi reſervatis debitam abſolutionem eadem auctoritate in forma Eccleſiæ conſueta impendere, & pœnitentiam ſalutarem injungere. Vota quoque ultramarino liminum, S. Jacobi in Compoſtella, Apoſtolorum, & religionis dumtaxat exceptis, in alia pietatis opera commuta-

L 2

mutare valeant deputandi plenariam & liberam concedimus auctoritate præſentium facultatem. Et ſimiliter omnibus & ſingulis fidelibus, qui præ nimia ſenectute impotentes, aut infirmitate detenti, vel alias impedimento legitimo impediti eamdem Eccleſiam in ipſis diebus viſitare nequiverint, dum tamen ſecundum eorum facultates, & prout ipſorum devotio dictaverit, nec non expenſas, quas in eundo, ſtando, & redeundo veriſimiliter facturi eſſent ultra prædicta erogaverint, ſimiles indulgentias eadem auctoritate concedimus, præſentibus poſt quadriennium minimè valituris. Volumus atque elapſo quadriennio hujuſmodi ſtatim ab his litteris plumbum amoveatur. Quodque ſi quiſquam quadriennio hujuſmodi finito eas aut ipſam indulgentiam publicare, aut publicari facere, ſive illis ulterius uti præſumpſerit, ſententiam excommunicationis incurrat, à qua ab alio, quam à nobis vel ſucceſſoribus noſtris abſolvi nequeat præterquam in mortis articulo conſtitutus. Non obſtantibus quibuscumque indulgentiarum ſuſpenſionibus per nos vel prædeceſſores noſtros hactenus factis ac noſtris cæteriſque conſtitutiónibus & ordinationibus Apoſtolicis contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXIV. V. Nonas Octobris Pontificatus Noſtri Anno quarto. L. Griffus. Poſt quarum quidem litterarum Apoſtolicarum humili ac debita cum reverentia receptionem, viſionem, & diligentem inſpectionem nos ad præfactorum Provincialis & Prioris inſtantiam & requiſitionem prædictas litteras Apoſtolicas tranſummi & exemplari, ac debite collationari fecimus ſubſcribi, & publicari mandavimus præſens tranſumptum ſeu exemplum publicum in præſentia noſtra collationatum ut præfertur. Quod in omnibus & per omnia cum dictis originalibus litteris concordare & in nullo penitus diſcrepare reperimus. Quibus omnibus & ſingulis ſupraſcriptis tanquam rite & legitime celebratis coram nobis Patriarchalem auctoritatem noſtram interponimus pariter & decretum. Volentes & auctoritate noſtra decernentes, quod huic tranſumpto ſive exemplo adhibeatur de cetero tanta fides, quanta ipſis litteris originalibus coram nobis, ut præfertur, exhibitis & prod' ctis ſuperius de verbo ad verbum deſcriptis data fuit & exhibita, ac datur & exhibetur. In quorum fidem præſentes fieri juſſimus, & noſtri ſoliti Pontificaliſque ſigilli appellatione muniri collationari, & ſubſcribi per notarios infraſcriptos. Actum & datum Venetiis in Patriarchali Palatio Anno Dominicæ Nativitatis MCCCCLXXVI. Indictione IX. die nono Januarii Præſentibus Jacobo Aſilienſi & Johanne Franciſco Urſo teſtibus vocatis & rogatis.

Ego Jacobus Venetus Domini q. Antonii pub. Imperiali ac Venet. auctoritatibus Not. præfatiq. Reverend. D. Patriarchæ Canc. quia ſupraſcriptum exemplum ſive tranſumptum ex ſupraſcriptis litteris Apoſtolicis autenticis originalibus ſumptum & exemplatum per egregium virum D. Philippum Ariminen. Canc. Not. pub. & coram præfato Reverendiſs. D. Patriarcha inſinuatum & collationatum per me & cæteros Not. Pub. infraſcriptos, & quia illud cum eiſdem originalibus litteris concordare inveni, de ipſius Reverendiſſimi D. Patriarchæ mandato ad ipſius exempli fidem plenariam & teſtimonium me ſubſcripſi, ſignumque mei tabelloniatus offitii appoſui conſuetum.

Ego Ludovicus Venet. qu. Barth. de Canali pub. Imper. auct. Not. ac Cur. Patr. Venet. coadiutor, quia ſupraſcriptum exemplum ſive tranſumptum ex ſupraſcriptis litteris Apoſtolicis autenticis originalibus ſumptum & exemplatum per egregium virum D. Philippum Canc. & coram eodem Reverendiſſimo D. Patriarcha inſinuatum & collationatum per me & cæteros Not. pub. & quia illud cum autenticis litteris Apoſtolicis ex originalibus concordare inveni: ideo de ipſius Rev. D. Patriarchæ mandato ad fidei teſtimonium me ſubſcripſi, ſignumque mei tabellionatus offitii appoſui conſuetum.

Ego Philippus Ariminenſis q. Federici pub. Imperiali auctoritate Not. nec non Canc. præfati Reverendiſſimi D. Patriarchæ

chæ ſupraſcriptum exemplum ſive tranſumptum ex ſupraſcriptis litteris auctenticis originalibus Apoſtolicis fideliter ſumpſi & exemplavi & coram præfato Reverendiſſimo D. Patriarcha pariter cum ſupraſcriptis egregio Viro D. Jacobo & Ludovico Notariis publicis diligenter cum ipſis auctenticis litteris & originalibus auſcultavi & quia illud cum originalibus prædictis concordare inveni de ipſius Reverendiſſimi D. Patriarchæ mandato ad ejuſdem exempli fidem plenariam & teſtimonium me ſubſcripſi, ſignumque meum appoſui conſuetum.

Petrus Mocenigo Dux Venetiarum publicari mandat indulgentias Eccleſiæ S. Mariæ Servorum de Venetiis conceſſas.

M.

1745. 27. Januarii.

Ex Autographo in Archivo Monaſterii S. Mariæ Servorum.

PEtrus Mocenigo dei Gratia Dux Venetiarum &c. Univerſis & ſingulis Nobilibus & Sapientibus Viris de ſuo mandato Poteſtatibus, Capitaneis, cæteriſque rectoribus & officialibus noſtris quarumcumque Civitatum terrarum & locorum noſtrorum ubilibet conſtitutis, ad quos præſentes advenerint, fidelibus dilectis Salutem & dilectionis affectum. Summus Pontifex ſuis patentibus Apoſtolicis litteris conceſſit de menſe Octobris anno 1474. omnibus & ſingulis utriuſque ſexus confeſſis, & contritis viſitantibus Eccleſiam S. Mariæ Servorum hujus noſtræ Urbis, in die feſti Annunciationis ejuſdem Beatæ Mariæ, quod erit de menſe Martii anni MCCCCLXXVI. immediate futuri, omnium eorum peccatorum plenariam indulgentiam, ſicut per copiam bullarum prædictarum, quam vobis præſentabunt præſentium oſtenſores nuntii Vener. Fratrum Monaſterii & Eccleſiæ ejuſdem Beatæ Mariæ Virginis. Quare volumus & vobis ac veſtrum cuilibet mandamus ut bullas ipſas ſeu earum copiam publicari facere debeatis, & ſuper valvis Eccleſiarum quarumcumque affigi in locis regimini utriuſque veſtrum ſubiectis Ita ut populis ipſorum nota ſint, quo gaudere & frui poſſint hac largitate & munificentia ſpirituali. In qua re quanto diligentiores fueritis, tanto nobis gratius erit. Datæ in noſtro Ducali Palatio Die XXVI. menſis Januarii Indictione IX. MCCCCLXXV.

Andreas Vendramenus Dux Venetiarum Indulgentias conceſſas Eccleſiæ S. Mariæ Servorum de Venetiis promulgari committit.

1477. 12. Maii.

Ex Autographo in Archivo Monaſterii S. Mariæ Servorum.

ANdreas Vendramenus Dei gratia Dux Venetiarum &c. Univerſis & ſingulis Nobilibus & Sapientibus viris de ſuo mandato Poteſtatibus, Capitaneis, cæteriſque Rectoribus & officialibus quarumcumque Civitatum terrarum & locorum noſtrorum ubilibet conſtitutis, ad quos præſentes advenerint fidelibus dilectis ſalutem & dilectionis affectum. Summus Pontifex ſuis patentibus Apoſtolicis bullis conceſſit de menſe Octobris anni MCCCCLXXIV. omnibus & ſingulis utriuſque ſexus confeſſis & contritis viſitantibus Eccleſiam S. Mariæ

Ser-

Servorum hujus noſtræ Urbis in die feſto Annunciationis ejuſdem Beatæ Mariæ, quod erit die vigeſimo quinto menſis inſtantis immediate futuri, omnium eorum peccatorum plenariam indulgentiam, ſicut per copiam Bullarum prædictarum, quas vobis præſentabunt præſentium oſtenſores Nuncii Vener. Fratrum Monaſterii & Eccleſiæ ejuſdem Beatæ Mariæ Virginis. Quare volumus & vobis ac veſtrum cuilibet mandamus, ut bullas ipſas, ſeu eorum copiam, publicari facere debeatis, & ſuper valvis Eccleſiarum quarumcumque affigi in locis regimini utriuſque veſtrum ſubjectis, ita ut Populis ipſarum notæ ſint quo gaudere & frui poſſint hac largitate & munificentia ſpirituali, in qua re quanto vos diligentius habebitis tanto gratius nobis erit. Datum in noſtro Ducali Palatio Die XII. Martii Indictione decima MCCCCLXXVII.

Mapheus Girardo Monaſterium Servorum B. M. V. de Venetiis de mandato Sixti Pp. IV. remotis vel reformatis conventualibus ad obſervantiam ejuſdem Ordinis reducit.

N.

1476. 17. Auguſti. (a)

Ex Autographo in Archivo Monaſterii S. Mariæ Servorum.

IN Chriſti Nomine Amen. Nos Mapheus Girardo Miſeratione Divina Patriarcha Venetiarum Dalmatiæque Primas, & Johannes Dei gratia Archiepiſcopus Spalatenſis Commiſſarii & Executores Apoſtolici ad infraſcripta ſpecialiter deputati. Univerſis & ſingulis, ad quos præſens negotium ſpectat & ſpectare poterit quomodolibet in futurum, Salutem in Domino ſempiternam, & noſtris hujuſmodi, imo verius Apoſtolicis, firmiter obedire mandatis. Litteras Apoſtolicas in forma brevis ſub annulo Piſcatoris obſignatas more Romanæ Curiæ ſanas quidem & integras non cancellatas, non abraſas, non vitiatas, nec in aliqua ſui parte ſuſpectas, ſed omni prorſus vitio & ſuſpitione carentes nobis præſentatas, Nos ea, qua decet, reverentia recepiſſe noveritis, quarum tenor ſequitur, & eſt talis. Ab extra: Ven. Fratribus M. Patriarchæ Venetiarum, & Jo: Archiepiſcopo Spalatenſi & cuilibet eorum. Ab intus: Sixtus Pp. IV. Ven. Fratres, Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Ex fide digno relatu accepimus Fratres Conventus B. Mariæ Servorum de Venetiis minus religioſam vitam ducere, & quod indecens eſt varia inter ipſos ſcandala quotidie ſuſcitare non abſque malo aliorum exemplo Dei offenſa & ordinis vilipendio populique Veneti perturbatione. Cui rei pro miniſterio Paſtoralis officii occurrere volentes Cenſuimus pro illius loci bono in futurum regimine per regularem obſervantiæ normam providendum eſſe. Quo circa Fraternitati Veſtræ, de quorum probitate in Domino confidimus tenore præſentium committimus & mandamus, ut quotienſcumque a Dilecto filio Nobili Viro Andrea Vendramino Duce Venetiarum requiſiti fueritis auctoritate noſtra locum ipſum Servorum, qui Conventualis eſt, in regularem erigatis & obſervantiæ, & ibi vitam intromittatis Vicariumque Congregationis obſervantiæ dicti ordinis provinciæ Tarviſinæ nomine ejuſdem Congregationis in poſſeſſionem ipſius con-

(a) Sæculo XV. in omnibus ferme religionibus regularis diſciplina laxata erat ob funeſtas præſertim longi ſchiſmatis turbationes, ad quam propterea reſtituendam Romani Pontifices plurimum laborarunt.

conventus, & loci ac jurium & pertinentiarum ipſius introducatis & imponatis, introductumque eadem auctoritate defendatis & manuteneatis, contradictores & rebelles per cenſuram eccleſiaſticam, & alia opportuna juris remedia compeſcendo, ſuper quibus omnibus & cuilibet veſtrum plenam tenore & auctoritate prædictis concedimus facultatem pariter & poteſtatem, non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, dictique ordinis & loci cæteriſque contrariis quibuſcumque. Si quis autem ex ipſis Fratribus nunc in præfato conventu degentibus regularem diſciplinam ſubire voluerit placet, & volumus, ut una cum aliis introducendis bene tractentur & manere promittantur. Datum Ameriæ (*b*) ſub annulo Piſcatoris die X. Julii MCCCCLXXVI. Pontificatus Noſtri anno quinto. L. Griſus. Poſt quarum quidem litterarum præſentationem & receptionem nobis & per nos, ut ſupra, factas. Nos præfati reformatores & executores Apoſtolici in executione ſupraſcriptarum litterarum Apoſtolicarum perſonaliter acceſſimus ad præfatum Illuſtriſſimum Principem Venetiarum, & illic intellecta intentione Serenitatis ſuæ, quæ fuit, ut dicta mandata Apoſtolica per nos debite executioni mandarentur ad ejuſdem Sereniſſimi Principis requiſitionem nos ambo præfati reformatores & executores Apoſtolici perſonaliter acceſſimus ad Conventum prædictum S. Mariæ Servorum Venetiarum & illic fecimus convocari totum Capitulum dictorum Fratrum in Sacrario ipſius Eccleſiæ, quibus omnibus ſic capitulariter congregatis legi fecimus prædictas litteras Apoſtolicas, quibus lectis, auditis & intellectis per eos, ſtatim per nos ſinguli ipſorum interrogati fuerunt, an velent vitam ducere obſervantiæ & remanere in Monaſterio prædicto in obſervantia Vicarii ordinis & regulæ obſervantinæ ſecundum tenorem prædictarum litterarum an non, qui omnes & ſinguli inferius annotati ſunt, quorum pars pœnitus denegavit talem vitam obſervantiæ velle obſervare, quorum nomina inferius deleta ſunt, pars vero requiſivit à nobis terminum ad conſultandum ſuper re ſua; quibus ex auctoritate Apoſtolica nobis in hac parte commiſſa & conceſſa dedimus licentiam, & ſtatuimus terminum ſi quis voluerit exire infra terminum unius anni libere exire poſſit cum rebus, dummodo non ſit cum ſcandalo vel pro aliquo furto. Nomina vero Fratrum prædictorum ſunt iſta vid. Magiſter Marcus Georgii, Magiſter Petrus Contareno, Magiſter Simeon de Cummo, Magiſter Dionifius de Caſtella, Fr. Andreas de Scutaro, Fr. Ignatius de Venetiis, Fr. Georgius Sacriſta, Fr. Bonagratia de Mantua, Fr. Euſebius de Venetiis, Fr. Daniel de Venetiis, Fr. Georgius Sclavonus, Fr. Petrus de Juſtinopoli, Fr. Paulus de Bergomo, Fr. Lucas Sclavono, Fr. Albertinus Aragoneus, Fr. Johannes Nicolaus de Venetiis, Fr. Aloyſius de Venetiis, Fr. Johannes Petrus de Venetiis, Fr. Marinus de Venetiis, Fr. Matheus Converſus. Actum & datum Venetiis in Sacrario Eccleſiæ prædictæ S. Mariæ Servorum per ſupraſcriptos D.D. Reformatores & Exequtores Apoſtolicos die Jovis XVIII. Julii MCCCCLXXVI. Præſentibus Rev. in Chriſto Patre & D. Antonio Saraco Epiſcopo Milopotonenſi (*c*) nec non Vicario in ſpiritualibus præfati Reverendiſſimi D. Patriarchæ Venetiarum, & Ven. Viris D.D. Alouiſio de Medicis, Johanne Rubeo, & Johanne Zacharià Canonicis Venetiarum teſtibus ad præmiſſa vocatis & rogatis: Die Veneris XIX. Julii MCCCCLXXVI. in loco prædicto

(*b*) Sixtus IV. ut peſtilentialis morbi furorem declinaret ad diverſas Italiæ urbes acceſſit, unde primum diploma Ameriæ datum eſt, alterum vero Narniæ.

(*c*) Antonius Saracco Epiſcopus primum Milopotenſis, ſeu melius Milopolitanus deductus inde fuit ad Archiepiſcopalem titulum Eccleſiæ Corinthienſis. Venetiis degens ſub Mapheo Girardo Patriarcha Vicarii Generalis munere fungebatur. Zephyra ſeu Melos Inſula eſt in mari Ægeo ex qua titulus Epiſcopi Milopolitani.

dicto præfati Reverendiſſimi D. Reformatores & executores Apoſtolici auctoritate prædicta poſuerunt in tenutam & corporalem poſſeſſionem Rev. Presb. D. Vicarium regulæ obſervantiæ vigore ſupraſcriptarum litterarum Apoſtolicarum, & ſecundum formam & tenorem ipſarum dicti Conventus B. Mariæ Servorum cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis aſſignando ei claves omnes dicti Conventus, & inſuper mandando omnibus & ſingulis Fratribus, qui volunt remanere in obſervantia, quod ſub pœna excommunicationis debeant præfato D. Vicario parere & obedire: A tergo: Ven. Fr. Mapheo Patriarchæ Venetiarum. Ab intus: Sixtus Pp. IV. Ven. Fr. Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Intelleximus non abſque animi moleſtia eſſe quoſdam fratres in Conventu Ordinis Servorum Venetiarum, qui ſalubri reformationi Conventus ipſius auctoritate noſtra factæ acquieſcere nolunt, quietem & pacem conventus ipſius temere perturbantes contra regularia inſtituta, & in malum exemplum ac ſcandalum plurimorum: quocirca pernicioſam audatiam horum compeſcendam exiſtimantes, cupienteſque ipſe nuper ſalubriter reformatus ſalutaribus proficiat incrementis, & in mentium quiete regatur Fraternitati tuæ per præſentes committimus & mandamus; Quatenus diligenti informatione præhabita omnes & ſingulos præmiſſorum reformationem hujuſmodi perturbantes ab omni moleſtia & impedimento per cenſuras eccleſiaſticas, & alia juris opportuna remedia, etiam appellatione poſtpoſita, deſiſtere cogas atque compellas invocato ad hoc ſi opus fuerit auxilio brachii ſecularis, ſuper quo plenam & liberam tibi harum ſerie concedimus facultatem, conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis privilegiis & ſtatutis ordinis antedicti, cæteriſque in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque. Datum Narniæ ſub annulo piſcatoris die XXX. Julii 1476. Pontificatus noſtri anno quinto L. Griffus die XVII. Auguſti MCCCCLXXVI. in Sacrario Monaſterii S. Mariæ Servorum præſentibus Ven. Viris D.D. Alouiſio de Medicis, Johanne Rubeo, & Johanne Zacharia Canonicis Venetiarum teſtibus vocatis & rogatis. De mandato præfati Reverendiſſimi D. Patriarchæ &c. Lecto brevi Apoſtolico ſupraſcripto cunctis ibi D.D. Fratribus aſſiſtentibus per præfatum Reverendiſſimum D. Patriarcham poſtea interrogati fuerunt, ſi volebant parere continentia dicti brevis Apoſtolici, & vivere ſub obſervantia regulari, ac in manibus eorum prioris nunc omnia eorum bona deponere; Reſponderunt ut infra. D. Magiſter Petrus Contareno, qui vult parere, D. Magiſter Gregorius reſpondit, quod vult ſtare ſub obedientia ejus Patris Generalis, D. Fr. Andreas de Scutaro dixit, quod non vult ſtare ſub obedientia & obſervantia regulari. D. Fr. Georgius de Venetiis dixit, quod vult parere mandatis. D. Fr. Ignatius dixit, quod vult parere mandatis Apoſtolicis & ſupraſcriptis. D. Fr. Petrus de Juſtinopoli dixit, quod vult ſtare mandatis dicti D. Prioris. D. Fr. Euſebius dixit ſe velle ſtare ſub obſervantia regulari. D. Fr. Georgius Sclavonus dixit, quod nunc non vult deponere ejus bona in manibus dicti D. Prioris, D. Paulus de Bergamo dixit, quod vult ſtare ſub obedientia dicti D. Prioris, D. Fr. Johannes Nicolaus dixit, quod vult ſtare ſub obedientia dicti D. Prioris, D. Fr. Marinus de Venetiis dixit, ſe velle ſtare ſub obedientia dicti D. Prioris, D. Fr. Nicolaus de Raguſio dixit, quod non vult ſe ſubjicere dicto D. Priori, D. Magiſter Marcus de Venetiis dixit, quod non vult deponere res ſuas in manibus D. Prioris, vid. D. Vicarii ſui. A tergo: Ven. Fr. M. Patriarchæ Venetiarum. Ab intus: Sixtus Pp. IV. Ven. Fr. Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Intelleximus, quod in conventu S. Mariæ Servorum quem nuper mandavimus reformari nonnulli Fratres Conventuales relicti ſunt, & nonnulli alii ab extra venerint, qui cum nec obſervantiam regularem ſubiverint, nec obedientiæ Vicarii ſe ſubmiſerint, pacem dicti conventus perturbant, reformationemque ipſam temerario auſu oppugnant in grave animarum ſuarum periculum, diminutionem divini cultus, malum exem-

exemplum, ac ſcandalum plurimorum, & contra noſtram mentem & voluntatem: noſtræ enim intentionis fuit & eſt, quod ii qui in dicto volunt remanere conventu in obſervantia vivant, & vicario ipſi ſine cunctatione aut intervallo temporis ſe ſubjiciant, quo circa Fraternitati tuæ per præſentes committimus & mandamus, quatenus omnes & ſingulos, qui id nunc facere diſtulerint vel negaverint extra dictum conventum noſtra auctoritate expellas, nulloque modo in eodem conventu permanere ſinas, & ut ab omnibus hujusmodi moleſtiis penitus ceſſent, per cenſuras Eccleſiaſticas & alia opportuna remedia cogas atque compellas, Invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis, in contrarium facientibus non obſtantibus quibuscumque Datum Narniæ ſub annulo Piſcatoris die III. Auguſti 1476. Pontificatus Noſtri anno quinto. L. Griffus. Die XVII. Auguſti MCCCCLXXVI. Reverendiſſimus D. Patriarcha Venetiarum commiſſarius & executor Apoſtolicus volens executioni mandare contentum in ultraſcripto brevi Apoſtolico mandavit ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ D.D. Fratribus infraſcriptis Vid. D.D. Fratribus Petro Contareno, Georgio de Venetiis, Ignatio, Petro de Juſtinopoli, Euſebio, Paulo de Bergamo, Johanne, Nicolao, Marino de Venetiis omnibus prædictis ſtare volentibus ſub regulari obſervantia quatenus infra terminum trium dierum proximè futurorum debeant conſignaſſe cum effectu omnia eorum bona in manibus Prioris ſui, & ſi quæ habent extra Conventum debeant ſub dicto termino ea curare & facere, ut habeant & ſimiliter depoſitent, & ſi quis de dictis bonis fecerit ullam donationem aliis perſonis, qui talia bona etiam ſimiliter debeant præſentare infra eundem terminum, decernendo quod tales donationes nullius ſint roboris, vel momenti cum in fraudem & dolum ſactæ ſint. Reliquis vero fratribus prædicta facere recuſantibus Vid. Magiſtro Marco de Venetiis, Magiſtro Gregorio, Fratribus Andreæ de Scutaro, Georgio Sclavono, & Nicolao de Raguſio mandavit ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, quod infra terminum trium dierum debeant exiſſe de dicto Monaſterio, nec amplius ad habitandum illic redire, nec audeant per ſe, vel per alios dictum Monaſterium moleſtare. Alias prædictis in ſua pertinacia exiſtentibus præfatus Reverendiſſimus D. Patriarcha procedet ad graviora, uti ſibi de jure videbitur. Actum & datum Venetiis in ſacrario præfatæ Eccleſiæ & Monaſterii præſentibus ſupraſcriptis D.D. Fratribus audientibus & intelligentibus die & milleſimo ſupraſcriptis. Præſentibus Ven. Viris D.D. Ludovico de Medicis Canonico Venetiarum, Victore, & Andrea ambobus etiam Canonicis Venetiarum, teſtibus ad prædicta vocatis & rogatis & aliis.

L. S. Ego Philippus q. Federici Pub. Imperiali auctoritate Notarius, nec non Cancellarius Præfati Reverendiſſimi D. Patriarchæ ſupraſcriptis omnibus & ſingulis interfui & rogatus cum infraſcripto Notario fui, qui ſupraſcriptum præſentem proceſſum ſcripſit, & in fidem me ſubſcripſi & roboravi, ſignumque mei tabellionatus appoſui conſuetum.

L. S. Ego Franciſcus D. Philippi de Morandis publicus Imperiali auctoritate notarius, nec non ſupraſcripti Cancellarii Reverendiſſimi D. Patriarchæ Venetiarum coadiutor, ſupraſcriptis omnibus & ſingulis interfui, & rogatus cum ſupraſcripto D. Philippo Cancellario fui, & in hanc auctenticam & publicam formam ſupraſcripti proceſſus de mandato Reverendiſſimi D. Patriarchæ præfati redegi, & in fidem præmiſſorum me ſubſcripſi, ſignumque meum appoſui conſuetum.

Sixtus IV. Vicario obſervantiæ Ordinis Servorum B. M. V. committit ut Monaſterium Venetiarum ſub ſua obedientia recipiat.

O.

10. Julii 1476.

Ex Archivo Monaſterii S. Mariæ Servorum.

Dilecto Filio Vicario Congregationis obſervantiæ Ordinis Servorum Provinciæ Tarviſinæ.

SIxtus Pp. IV. dilecte Fili Sal. & Apoſt. Benedictionem. Cupientes in Conventu Beatæ Mariæ Servorum de Venetiis regularem vitam duci, & in locum illum obſervantiæ ducari, commiſſimus Venerabilibus Fratribus M. Patriarchæ Venetiarum & Joan. Archiepiſcopo Spalatenſi, ut ibidem obſervantiam hujuſmodi introducant Apoſtolica auctoritate, tibi autem ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna mandamus, ut quando ab eis requiſitus fueris locum ipſum recipias, & curam illius ſummas, omnia agendo, quæ ſecundum Deum & regularia inſtituta ordinis ad illius bonum & ſalutare regimen videris expedire. Datum Ameriæ ſub annulo Piſcatoris die X. Julii MCCCCLXXVI. Pontificatus noſtri Anno Quinto.

L. Griſus.

Sixtus IV. amotionem Fratrum Conventualium a Monaſterio S. Mariæ Servorum factam per Patriarcham Venetiarum auctoritate Apoſtolica confirmat & Monaſterium ipſum Vicario obſervantiæ ſubdit, ipſumque Vicarium & Fratres de Obſervantia Patriarchæ & S. Barnabæ atque S. Moyſis Plebanis Venetiarum commendat.

P.

1746. 28. Settembris.

Ex Archivo S. Mariæ Servorum de Venetiis.

SIxtus Epiſcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Decorem domus Dei, quam decet ſanctitudo intenſis deſideriis affectantes, ad illa prout ex offitii paſtoralis debito nobis incumbit, diligenter attendimus, per quæ ex religioſis locis & Eccleſiis Deo dicatis, tanquam ex agro inculto extirpatis vepribus, domus & loca per novorum cultorum diligentiam & vice ſanctimoniam multiplicibus valeant florere virtutibus aliiſque à norma regularis profeſſionis aberrantibus ſeveritas diſciplinæ cedat in exemplum. Dudum ſiquidem fide digna relatione per nos accepta, quod fratres conventuales domus S. Mariæ Servorum Venetiarum Dei timore poſtpoſito, & ſuæ profeſſionis immemores vitam ducebant minus honeſtam & religioſam, ac jurgia & diſſenſſiones & partialitates inter ſe exercebant, & nonnulla alia moliebantur, quæ in obprobrium regularis diſciplinæ pernitioſum exemplum & ſcandalum plurimorum redundare dinoſcebantur. Nos conſiderantes, quod de hiis, & aliis ſimilibus eorumdem fratrum murmurationes & clamores ad aures noſtras pervenerant, & exinde per eorum ſuperiores & alias factæ monitiones nihil profuerant, eorumque protervia per tolerantiam noſtram facta erat penitus incorigibilis, ac nolentes tantam inſolentiam ulterius conniventibus oculis præterire. Vener. Fratribus noſtris Mapheo Patriarchæ Venetiarum, & Johanni Archiepiſcopo Spalatenſi tunc in civita-

vita-

vitate Venetiarum commoranti, per alias litteras noſtras in forma brevis inter alia dedimus in mandatis, ut ſi ſuper hoc per dilectum filium Nobilem virum Andream Vendraminum Ducem Venetiarum requiſiti forent ad ipſius Ducis inſtantiam dictos fratres conventuales à præfata domo totaliter amoverent, & fratres dicti ordinis de obſervantia in domum præfatam introducerent, ipſamque domum eumdem fratribus de obſervantia per eos tenendam & habitandam cum Eccleſia ortis & ortaliciis & aliis neceſſariis officinis auctoritate noſtra concederent. Ita tamen quod ſi aliqui ex dictis fratribus Conventualibus bono zelo inducti, una cum dictis de obſervantia ſub eorum regularibus inſtitutis & in obſervantia regulari degere & cum eis remanere vellent, hoc eis facere liceret, dummodo aliis de novo introducendis ſcandalo non eſſent. Cum autem ſicut nuper accepimus, poſtquam Patriarcha & Archiepiſcopus præfati a præfato Duce deſuper requiſiti ad executionem litterarum hujuſmodi procedentes fratres de obſervantia hujuſmodi in dictam domum introduxerunt, nonnulli fratres Conventuales, qui prius in dicta domo remanſerunt, ad vomitum, ut dicitur, revertentes nova ſcandala ſuſcitare ſatagentes, nonnullas appellationes a præmiſſis per Patriarcham & Archiepiſcopum præfatos auctoritate noſtra geſtis interpoſuerunt, & aliis exquiſitis viis dictos fratres de obſervantia moleſtare conantur. Nos volentes audatiam inordinatam, ea qua decet ſeveritate, compeſcere, ac eiſdem fratribus de obſervantia, ut in dicta domo pacifice vivere valeant, & ſua in humilitatis ſpiritu Altiſſimo vota perſolvere, motu proprio, non ad ipſorum Fratrum de obſervantia, vel aliorum pro eis nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra certa ſcientia & mera voluntate, amotionem dictorum Fratrum Conventualium & introductionem obſervantinorum per Patriarcham & Archiepiſcopum factas hujuſmodi ac omnia alia in præmiſſis, & circa ea geſta, acta, & ordinata auctoritate Apoſtolica tenore præſentium ex certa ſcientia confirmamus & approbamus, ſupplentes omnes & ſingulos defectus tam juris, quam facti, ſi qui forſan interfuerint in eiſdem, & nihilominus pro potiori præmiſſorum cautela domum prædictam cum Eccleſia, ac paramentis & ornamentis Eccleſiaſticis, nec non ortis ortaliciis & aliis neceſſariis officinis, ac juribus, & pertinentiis ſuis eiſdem fratribus de obſervantia per eos ſub obedientia Vicarii Generalis dictæ obſervantiæ, & alia juxta eorum ritum & conſuetudines tenendam, & inhabitandam motu, ſcientia, & auctoritate prædictis de novo concedimus & aſſignamus. Mandamus nihilominus tam moderno, quam qui fuerit pro tempore Patriarchæ Venetiarum, & dilectis filiis S. Barnabæ, & S. Moyſi Eccleſiarum Venetiarum Plebanis, quatenus ipſi vel duo, aut unus ipſorum per ſe, vel alium ſeu alios eiſdem fratribus de obſervantia efficacis defenſionis auxilio aſſiſtentes non permittant eos per dictos Fratres Conventuales, ſeu alios quoſcumque contra tenorem præſentium etiam in una quarumcumque litterarum Apoſtolicarum ſuper pacifica poſſeſſione dictæ domus, juriumque & pertinentiarum ejuſdem quomodolibet moleſtari ſeu perturbari, moleſtatores, perturbantes, & contradictores quoslibet per cenſuram Eccleſiaſticam, & alia juris remedia appellatione poſtpoſita compeſcendo, invocato ad hoc ſi opus fuerit auxilio brachii ſæcularis. Non obſtantibus quibuſvis appellationibus per dictos fratres Conventuales, ſeu pro parte ipſorum, aut alicujus eorumdem forſan interpoſitis, & de cætero interponendis, quas cum omnibus inde ſecutis pro frivolis & inanibus haberi volumus & mandamus, nec non conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis cæteriſque contrariis quibuscumque, aut ſi fratribus Conventualibus aut quibuſvis aliis ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Nos enim ex nunc irritum decernimus, & innane quidquid contra tenorem præſentium, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter at-

M 2 tem-

temptatum forſan eſt hactenus vel impoſterum contingerit attemptari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis, approbationis, ſupplectionis, conceſſionis, aſſignationis mandati, voluntatis, & conſtitutionis infringere, vel auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei & B.B. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Fulginei (*a*) Anno Incarnationis Domini milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo ſexto Quarto Kal. Octobris Pontificatus noſtri anno ſexto.

L. Griſus.

(a) De Italiæ Urbibus à Sixto IV. perluſtratis graſſante peſtilentia dictum eſt in annotationibus documenti Patriarchalis ſuperius relati.

Sixtus IV. Remiſſionem peccatorum indulget Eccleſiam B. Mariæ Servorum de Venetiis inviſentibus in die Annunciationis Deiparæ, atque ad conſtructionem Majoris Sacelli manus adjutrices porrigentibus.

Q.

1481. 18. Januarii.

Ex Autographo In Tabulario S. Mariæ Servorum de Venetiis.

SIxtus Epiſcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Paſtoris æterni qui pro ovibus ſuis animam ponens pio ſanguine cunctorum peccata deterſit, vices licet immeriti gerentes in terris, ac ſollicita conſideratione advertentes Vener. Eccleſias & alia pia loca præſertim in ſacratiſſimo nomine glorioſæ Virginis Dei Genitricis Mariæ inſtituta in ſuis ædificiis ſumptuoſo opere inceptas pro eorum complemento, conſervatione & manutentione ſuffragiis fidelium magnopere indigere, ut facilius perficiantur, meliuſque conſerventur & inſtaurentur Chriſtifidelium donis & muneribus temporalibus, ac indulgentiis & remiſſionibus multum poſſe adjuvari fideles ipſos, ut ad præmiſſa uberiora ſubſidia conferant, quo exinde ſuorum remiſſionem peccatorum, & æternæ viriditatis paſcua ſortiri poſſe cognoverint plenariis libenter indulgentiis & remiſſionibus invitemus, ac ea quæ ſemel à nobis propterea provide proceſſiſſe comperimus favorabiliter prorogamus, extendimus, & innovamus. Dudum ſiquidem per nos accepto, quod Capellæ majoris Eccleſiæ Beatæ Mariæ Ordinis Servorum Venetiarum, quæ inter alias dictæ Civitatis Eccleſias magnifice fabricata, atque erecta eſt jam fundatæ, atque elevatæ erant ſed nondum perfectæ, ac ad illas perficiendas atque ornandas fidelium ſuffragia plurimum fore noſcebantur opportuna, nos tunc cupientes, ut dictæ Capellæ quantocius in ſuis ſtructuris & ædificiis hujuſmodi perficerentur, nec non fideles ipſi eo libentius devotionis cauſa ad Eccleſiam ipſam confluerent, ac ad hujuſmodi Capellarum & ædificiorum perfectionem conſervationem & inſtaurationem manus porrigerent adjutrices, quo exinde cœleſtis dono gratiæ uberius conſpicerent ſe refectos, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui Eccleſiam ipſam poſt annum Jubilæi proxime decurſi immediate ſequentem à primis Veſperis Vigiliæ Feſtivitatis Annunciationis ejuſdem Beatæ Mariæ Virginis uſque ad ſecundas Veſperas immediatè ſequentes devote viſitarent annuatim, & ad Capellarum prædictarum ædificiorum fabricam, perfectionem, conſervationem, & inſtaurationem manus porrigerent adjutrices plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam & remiſſionem per alias noſtras litteras elargiti fuimus. Et nihilominus, ut fideles ipſi ad Eccleſiam prædictam confluentes conſcientiæ pacem

cem

cem & animarum ſalutem Deo propitio conſequerentur, nec non indulgentiæ memoratæ facilius participes eſſe valerent, Vener. Fr. noſtro Patriarchæ Venetiarum & dilectis filiis provinciali ac Priori domus Eccleſiæ prædictæ pro tempore exiſtentibus Præsbyteros ydoneos prædicti ordinis profeſſores tot quot eis videretur, qui eorumdem fidelium Eccleſiam prædictam cauſa indulgentiæ hujuſmodi conſequendæ, ut præmittitur viſitantium per octo dies ante & totidem poſt confeſſiones audire eiſque diligenter auditis pro commiſſis per eos criminibus delictis & peccatis omnibus etiam in ſingulis caſibus Apoſtolicæ Sedi reſervatis debitam abſolutionem auctoritate Apoſtolica in forma Eccleſiæ conſueta impendere & pœnitentiam ſalutarem injungere, vota quoque ultramarina liminum eorumdem Sanctorum Petri & Pauli, ac Jacobi, in Compoſtella Apoſtolorum, & religionis dumtaxat exceptis in alia pietatis opera commutare valerent deputandi plenam & liberam conceſſimus facultatem omnibus & ſingulis fidelibus, qui præ nimia ſenectute impotentes, aut infirmitate, vel alias impedimento legitimo detenti eandem Eccleſiam in ipſis diebus viſitare nequirent, dum tamen ſecundum eorum facultates, & prout ipſorum dictaret devotio, nec non expenſas, quas in eundo, ſtando, & redeundo veriſimiliter facturi eſſent, ultra prædicta erogarent, ſimiles indulgentias dicta auctoritate concedentes, volenteſque quod lapſo quadriennio, per quod litteras ipſas duntaxat valere volumus, ſtatim à litteris ipſis plumbum amoveretur, quodque ſi quiſquam indulgentiam ipſam quadriennio finito prædicto publicare, aut publicari facere, ſeu illa ulterius uti præſumeret, ſententiam excommunicationis incurreret, prout in eiſdem litteris, quarum tenores ac ſi de verbo ad verbum præſentibus inſereretur haberi volumus pro ſufficienter expreſſis plenius continetur. Cum autem, ſicut nuper ex relatione dilecti filii Franciſci Diedi Patritii Veneti legum Doctoris dilectorum filiorum Nobilium virorum Ducis & Dominii Venetorum ad præſens apud nos Oratoris, qui ad Eccleſiam ipſam ſingularem gerit devotionis affectum, percepimus licet ædificia Capellarum hujuſmodi magna in parte perfecta exiſtant, tamen Eccleſia ipſa & domus ſeu dormitorium illius in ſuis ædificiis ac officinis adhuc reparatione & augmento indigere noſcantur, ſintque ad hoc Chriſtifidelium eorumdem ſuffragia etiam plurimum neceſſaria, & ſi indulgentia hujuſmodi jam tranſacta innovaretur, & ad aliud tempus prorogaretur & extenderetur ſeu de novo concederetur veriſimiliter ſperandum eſſet, quod Capellæ ipſæ in totum ac alia ædificia domus ſeu dormitorii & Eccleſiæ hujuſmodi ex elemoſinis & aliis fidelium ſuffragiis, quæ ipſi fideles ibidem ut hujuſmodi indulgentiæ participes reddi poſſent erogarent, in ſuis ſtructuris & ædificiis magnum ſuſciperent incrementum, ſeu forſan totaliter perficerentur. Nos cupientes Animas Deo lucrifacere, ipſoſque Dominici gregis oves ad ovile beatitudinis reducere, ac Capellas & alia domus, dormitorii, & Eccleſiæ ædificia prædicta in ſuis ſtructuris & ædificiis longe melius reparari, inſtaurari, & perfici, motu proprio, non ad alicujus nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera liberalitate, & ex certa ſcientia, auctoritate præfata, tenore præſentium plenariam indulgentiam hujusmodi, ac quo ad hoc litteras prædictas cum omnibus & ſingulis in eis contentis clauſulis & conceſſionibus, & facultatibus, quas tamen quo ad facultates Confeſſores deputandi & abſolvendi ad eos accedentes, & alios impeditos Civitatis & Diœceſis prædictarum in caſibus non tamen dictæ Sedi reſervatis ſe extendere decernimus ad diem tertiæ Dominicæ Quadrageſimæ, & ab illius primis Veſperis uſque ad Secundas Veſperas hujuſmodi transferentes & commutantes illam, ac litteras prædictas ad Triennium a data præſentium eorumdem computandum in dicto die Tertiæ Dominicæ Quadrageſimæ prorogamus & extendimus, ac penitus & omnino innovamus ſeu innovando in omnibus & per omnia cum decreto tamen hujuſmodi per præſentes eaſdem concedimus, ac tam priores quam præſentes litteras, ac extenſionem & prorogationem prædictas ſub quibusvis

buſvis revocationibus, ſuſpenſionibus, ac limitationibus ſimilium, vel diſſimilium indulgentiarum commiſſionum, & facultatum ſub quibuſvis verborum formis & quacumque cauſa, vel rationem etiam defenſionis fidei contra Chriſtiani nominis hoſtes à nobis, vel Sede prædicta emanatis, vel emanandis non comprehendi, ſed ſemper excepta intelligi debere eiſdem motu, ſcientia, auctoritate, & tenore decernimus pariter & declaramus. Non obſtantibus præmiſſis ac aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus & ordinationibus nec non omnibus illis quæ in litteris prioribus prædictis volumus non obſtare cæteriſque contrariis quibuſcumque. Et inſuper quia difficile foret, præſentes litteras ad ſingula quæque loca ubi expediens foret deferre, volumus, quod earum tranſumpto ſigillo Patriarchæ, vel Provincialis, aut Prioris prædictorum munito, ac manu publici Notarii ſubſcripto, ea prorſus fides indubia adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ, quas poſt Triennium hujuſmodi non valere ſignificamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ prorogationis extenſionis innovationis conceſſionis decreti declarationis voluntatis & ſignificationis infringere vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo octuageſimo primo. Quintodecimo Kalendas Februarii Pontificatus Noſtri Anno undecimo.

L. Griſus.

Innocentius VIII. Indulgentias Plenarias, atque alia plurima Indulta concedit viſitantibus Eccleſiam S. Mariæ Servorum de Venetiis, eamque pio ære adjuvantibus.

R.

1492. 5. Aprilis.

Ex Autographo in Archivo Monaſterii S. Mariæ Servorum.

INnocentius Epiſcopus Servus Servorum Dei Univerſis Chriſti fidelibus præſentes litteras inſpecturis Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Religioſorum locorum quorumlibet fabricis & reparationibus manus porrigere adjutrices pium & apud Deum meritorium reputantes nonnumquam Chriſtifideles ad impendendum talibus opportuna ſuffragia indulgentiis videlicet & peccatorum remiſſionibus exhortamur ut per temporalia auxilia quæ contulerint ſpiritualia munera conſequantur. Cum itaque ſicut accepimus ſtructuræ & ædificia Domus Sanctæ Mariæ Venetiarum Fratrum Servorum ejuſdem Sanctæ Mariæ Ordinis S. Auguſtini & præſertim ipſius Eccleſia magna indigeant reparatione ad quam faciendam ac Prioris & Fr. in eadem Domo pro tempore degentium ſuſtentationem & alia ejuſdem domus onera perferendum illius redditus & quæ ex incerta mendicitate eis ſubveniunt habunde non ſufficiunt ſed ſunt ad id Chriſtifidelium ſuffragia plurimum opportuna. Nos cupientes ut Eccleſia prædicta in qua ut pie creditur quamplures Sanctorum reliquiæ honorifice conſervantur & ad quam tam Nobiles quam alii Cives & incolæ Venetiarum & præſertim dilectus filius Jeronymus Donatus juris utriuſque Doctor Nobilis Venetus ac Dilectorum filiorum Nobilis Viri Auguſtini Barbadico Ducis & Dominii Venetiarum apud nos & Sedem Apoſtolicam Orator deſtinatus ſpetialem gerunt devotionis affectum & libenter confluunt in numero copioſo congruis frequentetur honoribus ac illius & reliquæ dictæ Domus ſtructuræ debitæ reparentur & conſerventur & ut fideles ipſi eo libentius devotionis cauſa confluant ad eandem Eccleſiam & ad illius ac aliarum ſtructurarum dictæ Domus manus promptius porrigant adjutrices

ces

ces quo ibidem ex hoc dono cœleſtis gratiæ uberius conſpexerint ſe refectos de Omnipotentis Dei miſericordia & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi omnibus utriuſque ſexus Chriſtifidelibus vere pœnitentibus & confeſſis qui Eccleſiam prædictam ultima die majoris Ebdomadæ præſentis Quadrageſimæ Sanctæ nuncupatæ ab ortu uſque ad occaſum Solis & ſequentibus annis in feſto Annunciationis ejuſdem Virginis Mariæ à Primis Veſperis uſque ad occaſum Solis dierum immediate ſequentium annis ſingulis devote viſitaverint & ad reparationem & conſervationem ædificiorum hujuſmodi de bonis a Deo eis collatis quantum eorum pia devotio eis dictaverit pie erogaverint plenariam indulgentiam & peccatorum remiſſionem elargimur ac omnibus & ſingulis Confratribus Confraternitatum Laicorum & Clericorum qui conjunctim vel Collegialiter Eccleſiam ipſam in dictis diebus devote viſitaverint & ad præmiſſa manus porrexerint adjutrices præter præmiſſam plenariam in diebus feſtivitatum ſuarum Eccleſiarum Septem annos & totidem quadragenas de injunctis eis pœnitentiis in Domino relaxamus. Et inſuper ut confluentes inibi pro hujuſmodi indulgentia conſequenda conſcientiæ pacem & Animæ ſuæ ſalutem Deo propitio uberius conſequi valeant Priori dictæ Domus pro tempore exiſtenti & per eum deputandis Confeſſoribus ydoneis dicti ordinis profeſſoribus cuilibet eorumdem confluentium ejus confeſſione diligenter audita pro commiſſis per eum exceſſibus & peccatis quibuslibet in ſingulis etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis caſibus præter quam offenſæ Eccleſiaſticæ libertatis criminum hereſis rebellionis aut conſpirationis in perſonam vel ſtatum Romani Pontificis ſeu Sedem Apoſtolicam falſitatis litterarum Apoſtolicarum ſupplicationum & commiſſionum invaſionis deprædationis vel occupationis aut devaſtationis Terrarum & maris Romanæ Eccleſiæ mediate vel immediate ſubjectarum offenſæ perſonalis in Epiſcopum vel alium Prelatum devolutionis cauſarum ad dictam Curiam delationis armorum & aliorum prohibitorum ad partes infidelium dicta die Sabbati præſentis Anni & aliis ſequentibus annis die dicti feſti Annunciationis & tribus diebus diem ipſam Sabbati & feſtum Annunciationis immediate præcedentibus debitam abſolutionem impendendi & pœnitentiam ſalutarem injungendi quodque Confeſſor ydoneus quem quilibet eorumdem Confratrum pro ſe duxerit eligendum ejus confeſſione diligenter audita pro commiſſis per ipſum eligentem exceſſibus & peccatis quibuslibet etiam in ſingulis dictæ Sedi reſervatis caſibus præter quam ſupra exceptis ſemel in vita & in aliis non reſervatis totiens quotiens opus fuerit eidem eligenti ex Confratribus duntaxat debitam abſolutionem impendere & pœnitentiam ſalutarem injungere ac emiſſa per eoſdem Confratres vota quæcumque Ultramarino liminum Apoſtolorum S. Jacobi in Compoſtella & caſtitatis & religionis votis duntaxat exceptis in alia pietatis opera commutare & omnium peccatorum de quibus confratres ipſi eligentes corde contriti & ore confeſſi fuerint etiam ſemel in mortis articulo plenariam remiſſionem eiſdem eligentibus Confratribus in ſinceritate fidei unitate S. Romanæ Eccleſiæ & obedientia ac devotione noſtra vel ſucceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium perſiſtentibus auctoritate Apoſtolica concedere valeat ſic tamen quod idem Confeſſor de hiis de quibus fuerit alteri ſatisfactio impendenda eam eiſdem eligentibus Confratribus per eos ſi ſupervixerint vel per alios ſi forte tranſierint faciendam injungat quam iidem Confratres eligentes vel illi facere teneantur ut præfertur & ne quod abſit præter hujuſmodi gratiam vel conceſſionem redantur iidem confratres procliviores ad illicita impoſterum commitenda volumus quod ſi à ſinceritate fidei unitate Romanæ Eccleſiæ ac obedientia & devotione noſtra vel ſucceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium deſiſtent aut ex confidentia ejuſdem conceſſionis vel remiſſionis aliqua forſan committerent conceſſio remiſſio, ac præſentes litteræ eiſdem eligentibus nullatenus ſuffragentur auctoritate Apoſtolica præſentium tenore concedimus pariter & indulgemus Præſentibus poſt quadriennium minime valituris. Volumus

lumus

lumus autem quod ſi viſitantibus dictam Eccleſiam & ad illius reparationem manus porrigentibus adjutrices aut alias aliqua alia indulgentia inibi in perpetuum vel ad tempus nondum elapſum duratura per nos conceſſa fuerit præſentes litteræ nullius exiſtant roboris vel momenti quodque ille in revocatione & ſuſpenſione plenariarum & aliarum indulgentiarum quas per nos & Sedem Apoſtolicam fieri contigerit ex quavis cauſa etiam defenſionis Chriſidelium & recuperatione locorum per illos occupatorum nullatenus includantur ſed illis non obſtantibus in ſuis robore & efficacia permaneant niſi dum & quotiens conceſſam viſitantibus Eccleſiam S. Marci etiam Venetiarum per Sedem prædictam plenariam indulgentiam revocari vel ſuſpendi contigerit. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo nonageſimo ſecundo. Nonis Aprilis Pontificatus Noſtri Anno Octavo.

Jo: Lilius.

Proviſores Communis puteum ædificant in Clauſtris S. Mariæ Servorum cum conditione ut ad uſum inſerviat publicum tam Fratrum quam aliorum.

S.

1492. 18. Julii.

Ex Archivo Monaſterii.

IN Chriſti Nomine Amen. Ann. Nativ. ejuſdem 1492. Ind. X. die vero XVIII. Men. Julii Convocato, & ſolemniter congregato Ven. Capitulo Conventus & Monaſterii S. Mariæ Servorum de Venetiis Contratæ S. Martialis ad ſomnum Campanellæ in Sacrario Eccleſiæ prædictæ, ut moris eſt. In quo quidem Capitulo interfuerunt Reverendus D. Frater Philippus Cavazza Prior dicti Conventus & Monaſterii. Fr. Laurentius de Venetiis Vicar. Fr. Marinus de Venetiis Baccalarius, Fr. Marcus de Brixia, Fr. Sebaſtianus de Martinengho, Fr. Benedictus de Brixia, Fr. Illarion de Cluſono, Fr. Vitus Teothonicus, Fr. Philippus de Placentia, Fr. Nicolaus de Verona, Fr. Raymundus de Venetiis, Fr. Lucas de Verona, F. Mathias de Juſtinopolis, Fr. Franciſcus de Cremona, Fr. Valerius de Calepio, Fr. Auguſtinus de Mediolano, Fr. Alexander de Venetiis, Fr. Auguſtinus de Vercelli, Fr. Thadeus de Venetiis, Fr. Philippus de Ferraria, Fr. Joachimus de Venetiis, Fr. Paſqualis de Venetiis, Fr. Cyprianus de Venetiis, Fr. Valerianus de Venetiis, Fr. Hieronymus de Civitate Belluni, Fr. Honorius de Padua, Fr. Bernardus de Mantua, Fr. Heliſeus de Cremona, Fr. Jacobus de Caſtroleono, & Fr. Eliſeus de Terviſio omnes prædicti profeſſi majorem partem dicti ſui Capituli repræſentantes unanimes & concordes, nemine eorum diſcrepante ex una parte, & ſpectabilis & generoſus D. Benedictus Longo q: Magnifici D. Laurentii proviſor Communis Venetiarum Deputatus ad capſam agens vice & nomine officii ſui parte ex altera, dictæ partes conſiderantes, quantum beneficii, & proficui erit tam ipſis DD. Fratribus, quam communi populo & habitatoribus confinium cohærentium dicto Monaſterio, decreverunt Domino inſpirante facere & fabricare unum puteum aquæ in Inclauſtro, vel Campo ipſius Inclauſtri Monaſterii prædicti. Ideo, ad hæc compoſitiones, & conventiones pariter & pacta devenerunt in hunc modum & formam videlicet, quod Præfatus D. Benedictus Proviſor nomine dicti ſui officii poſſit, & valeat in inclauſtro, vel campo inclauſtri ipſius Monaſterii fieri facere puteum prædictum cum ſuis banchis ſicuti, quemadmodum, & prout ipſis videbitur pro bono communi. Hac tamen lege & conditione, quod dictus puteus ſit & eſſe debeat communis tam ipſis Fratribus, quam populo, & omnibus & ſingulis, qui haurire voluerint aquam ex ipſo puteo, & quod præfati Fratres, & ſucceſſores ſui obligati ſint tenere portas ipſius inclauſtri, ut omnes populi volentes aquam poſſint venire, & remeare ad dictum puteum

tum ad omne eorum beneplacitum, & hoc intelligatur juxta conventiones, & conſuetudines aliorum Monaſteriorum videlicet SS. Joann. & Pauli, S. Franciſci Fratrum Minorum & S. Stephani, qui ſunt eademmet conditione facti, quas quidem compoſitiones præfati contrahentes dictis nominibus promiſerunt attendere & obſervare, & non contrafacere per ſe vel alios aliqua ratione, vel cauſa, de jure vel de facto ſub pœna, & obligatione omnium expenſarum &c. quibus ſolutis vel non, nihilominus omnia, & ſingula in præſenti inſtrumento, & charta contenta ſuam ſemper obtineat roboris firmitatem, Rogantes me Notarium, ut de premiſſis publicum conficerem inſtrumentum. Actum in Venetiis in Sacrario ejuſdem Eccleſiæ præſentibus D. Petro Gonella q. Domini Victoris, & Ser Gaſparino Marci famulo ad offitium meſſetariæ de confinio SS. Hermagoræ, & Fortunati Teſtibus ad præmiſſa habitis, vocatis, & rogatis.

L. S. Ego Joannes Franciſcus a Puteo qu: Ser Victoris Venetus Publicus Imperiali Auctoritate Not. præmiſſa rogatus ſcripſi & publicavi ſigno meo appoſito conſueto.

Hieronymus de Avantio Eccleſiam S. Mariæ de Miſericordia Villæ Aggeris Bandellorum à ſe ædificatam tanquam procurator & Sindicus ejuſdem Villæ aſſignat & donat Fratribus Ordinis Servorum B. M. V. de Venetiis.

T.

1495. 3. Februarii.

Ex Autographo in Archivo Monaſterii S. Mariæ Servorum.

IN Chriſti Nomine Amen. Anno Nativitatis Ejuſdem milleſimo quadringenteſimo nonageſimo quinto Indictione tertiadecima die martis tertio menſis Februarii in Villa Aggeris Bandellorum (*a*) in Eccleſia infraſcripta noviter constructa & præſentibus &c.

Ibique cum ſit, quod alias prudens & circumſpectus Vir D. Hieronymus de Avantio filius q. Sp. D. Zeni Civis Venet. & ibidem habitator in contrata S. Hieremiæ motu proprio, & ex ſua pura & mera voluntate & devotione dederit, conceſſerit & donaverit Communi & hominibus Villæ Aggeris Bandellorum prædictæ terrenum ſuum proprium pro fabricanda & conſtruenda Eccleſia in ipſa villa cum cimiterio, prout idem D. Hieronymus ſponte confeſſus fuit, & affirmavit præſentibus infraſcriptis hominibus dicti Communis, & affirmantibus, & ſuper ipſo terreno cœpta & inchoata fuerit, & ſit una Eccleſia intitulata S. Hieronymi, & quia ex tunc erat ita inter ipſum D. Hieronymum & homines prædictos tractatum de fabricanda dicta Eccleſia ſolum pro celebrari faciendo miſſas in feſtivis diebus, & non continue & poſtmodum propoſitum mutaverint & deliberaverint ipſam Eccleſiam intitulatam S. Mariæ Miſericordiæ, ipſamque Eccleſiam cum terreno dare concedere & donare Congregationi Vener. DD. Fratrum Obſervantiæ S. Mariæ Servorum. Ea propter prædictus ſpectabilis D. Hieronymus de Avantio nomine ſuo Heredumque & ſucceſſorum ſuorum, & tanquam procurator & ſindicus prædicti Communis & hominum ut patet inſtrumento procuræ manu mei Notarii die una cum infraſcriptis maſſariis ipſius Eccleſiæ & hominibus dictæ villæ facta prius eorum convicinia ſono campanæ præmiſſo more repræſentantis ipſum commune ſponte per ſe heredes ac ſucceſſores ſuos ac dicti Communis hominumque, nomine jure & titulo ſimplicis & irrevocabilis donationis, quæ dicitur inter vivos, quæ revocari non poſſit aliqua ingratitudine vel offenſa magna vel parva, vel ob hoc, quod eſſet in menſa, & aliis legitimis non viſis, ut à Ven. D. Fr. Anſelmo Gradonico Priori electo dicti loci præſenti, ac vice & nomine antedictæ Con-

(a) Agger Bandellorum rus eſt agri Patavini in Comitatu Saccenſi, ſeu Sacci, aliquando (ut in ſequenti documento) appellatur de Ribaldellis, Italice Arzerello.

Congregationis S. Mariæ Servorum de obſervantia, & ſucceſſorum ſuorum ſtipulanti, recipienti, & acceptanti, habenti mandatum à Ven. D. Fr. Hieronymo de Franciſcis Vicario Generali Ordinis prædicti, ut conſtat litteris ſuis patentibus datis ſub die 16. Novembris 1494. à me Notario viſis & lectis prædictam Eccleſiam noviter inceptam intitulatam S. Mariæ Miſericordiæ cum terreno prædicto poſitam in Villa prædicta, quod terrenum eſt longitudinis pedum quinquaginta, & latitudinis uſque ſuper viam publicam, cui terreno coheret a mane dictus D. Hieronymus, a meridie via communis, a ſero & a monte D. Bernardus de Avantio, & forte aliæ & plures ſunt coherentiæ veriores, ad habendum, tenendum & uſufructuandum, & in dicta Eccleſia continue celebrandum, prout conveniens & honeſtum eſt, & alia divina offitia, & cerimonias miniſtrandum, ut decet pro ſalute animarum. Ponentes ipſum Ven. D. Fr. Anſelmum, nomine quo ſupra, in actualem & corporalem poſſeſſionem ipſius Eccleſiæ & terreni, dando ſibi claves ipſius Eccleſiæ, eamque propriis manibus claudendo, & apperiendo, & per eam ac in eam incedendo, & deambulando, ac ipſum terrenum pedibus calcando & de herbis & terra in manibus ei dando. Promittenteſque per ſe & hæredes ac ſucceſſores ſuos & dicti Communis nomine per ſtipulationem ſolemnem litem, queſtionem, aut controverſiam aliquam dicto Ven. Fr. Anſelmo, nomine quo ſupra, de dicta Eccleſia cum terreno ullo unquam tempore non inferre, nec inferenti conſentire, imo ſe opponere, ſemperque & legitime defendere authorizare & disbrigare ab omni homine & perſona, parte, communi, collegio, & univerſitate, omnemque litem motam, ſeu movendam, in ſe & ſuper ſe aſſumere, & fine debito terminari facere omnibus ipſorum donatorum, ſucceſſorumque ſuorum ſumptibus, periculis & laboribus, ipſoſque D. Fratres & Congregationem manutenere, & conſervare, non tamen per hanc donationem ſint, nec eſſe intelligantur dicti homines & commune ab obligationibus & conventionibus perprius inter eos factis, imo obligati remaneant ad omnes dadias & ratas poſitas, & ponendas & ad reliqua omnia, prout erant ante præſentem donationem, quæ omnia &c. pro quibus &c. renunciantes &c.

D. Hieronymus de Avantio procurator & ſindicus nomine dicti Communis & hominum.

Ego Angelus de Tubicinis Notarius Patavinus in fidem me ſubſcripſi.

Capitulum S. Mariæ Servorum de Venetiis locum & Eccleſiam S. Mariæ Aggeris de Ribaldellis concedit Sorori Marcellæ Minio pro conſtruendo Monaſterio certis ſtatutis conditionibus,

V.

1543. 3. Septembris.

Ex Archivo Monaſterii S. Mariæ Servorum de Venetiis.

IN Chriſti nomine Amen. Anno a Nativitate ejusdem milleſimo quingenteſimo quadrageſimo tertio Indictione prima die vero Lunæ tertio menſis Septembris. Congregato & ſolemniter convocato ad ſonum campanellæ juxta ritum capitulo S. Mariæ Servorum Venetiarum in Sacriſtia Eccleſiæ ejus, in quo interfuerunt primo Rev. D. Viſitator Fr. Johannes Pompejus Venetus, Rev. Pater Prior D. Fr. Andreas Marino, & Ven. Pater Regens D. Fr. Gaſparius Venetus, Magiſter Fr. Gaſpar Venetus, D. Fr. Abraam Brixienſis, D. Fr. Gratiadei de Mantua, D. Fr. Marcus Antonius de Venetiis, D. Fr. Bonaventura Venetus, D. Fr. Archangelus de Rovado, D. Fr. Julius de Soranea, D. Fr. Pius Placentinus, D. Fr. Joannes Paulus Venetus, D. Fr. Joannes Venetus, D. Fr. Mathias de Mantua, D. Fr. Matheus de Sablona-

ta, D. Fr. Noe Mantuani, omnes habentes vocem in dicto Capitulo & repræſentantes majorem partem ipſius capituli, ſponte & libere nomine ſuo & dicti Monaſterii, ac per ſe & ſucceſſores ſuos in infraſcriptum locum jure ſimplicis locationis ad tempus tamen duraturæ & incepturæ à die præſenti locant & ad affictum concedunt Ven. Moniali D. Marcellæ Minio Ordinis S. Auguſtini de Mathemauco, ibidem præſenti, & pro ſe & ſuccetricibus ſuis in dictum locum ſtipulanti, conducenti, & ad affictum acceptanti locum quendam ipſorum dictorum Fratrum nuncupatum S. Mariæ Aggeris de Ribaldellis poſitum & jacentem ſub dictione & poteſtaria Plebis Sacci intra ſua confinia in quo eſt Eccleſia cum quibusdam ædificiis & horto cum campo uno terræ in circa, uti de membro & præminentiis præfati Monaſterii S. Mariæ Servorum Venetiarum ad habendum cum omnibus habentiis pertinentiis, ac univerſis adjacentiis ſuis in integrum, omnique jure, actione, uſu, ſeu requiſitione ſibi DD. Fratribus & Monaſterio prædictis ex ipſo, ſeu pro ipſo loco quoquomodo ſpectantibus, & pertinentibus, & quæ ſpectant & pertinere poſſent tenendi, gaudendi, poſſidendi, & fruendi, meliorandi potius quam deteriorandi, & omne commodum ſuum de ipſo & in ipſo loco faciendi cum auctoritate eidem D. Marcellæ ex nunc impartita in eo, & ſuper eo quaſcunque fabricas, habitationes, & loca pro uſu & commoditate ſua, ſuarumque Sororum, ſive Monialium in ipſum locum ingredientium, & ingreſſurarum faciendi, conſtruendi, & erigendi promittentes ipſi Rev. D.D. Fratres ſuo & ſucceſſorum, ac dicti Monaſterii nomine præſentem locationem firmam, & ratam habere & tenere, attendere & obſervare, nec in aliquo per ſe vel alium contra facere ſeu venire, nec contrafacienti aſſentiri, quin potius prædictam rem locatam defendere, ac varentare durante præſenti locatione, & prædicto loco, vel ejus occaſione nullam dationem, donationem, obligationem, vel contractum facere, cujus prætextu præſens locatio infringatur, ſeu dictæ D. Marcellæ prout ſupra ſtipulanti damnum vel præjuditium aliquod inferatur, ſive quominus ipſa Domina condutrix dicto loco prout ſupra dictum eſt, uti, frui, & gaudere valeat: Et hoc ideo fecerunt, & faciunt præfacti Rev. D.D. Fratres, quia e converſo prænominata D. Marcella Minio cum ſuis ſucceſſoribus ſive ſuccetricibus jam dictum locum S. Mariæ Aggeris de Ribaldellis bene honeſte religioſeque habitare, tenere, & cuſtodire, & conſervare promiſit, & promittit illum tam in bonificatione corporalis uſus, quam in augmentatione ſpiritualis devotionis tenendo, & cum bono exemplo populi ſemper augendo, pro ut bonos decet religioſos & religioſas, & ulterius dare & ipſis Rev. D.D. Fratribus ac ſucceſſoribus ſuis ſolvere de annuali penſione & affictu ducatos duos auri in ratione librarum ſex, & ſoldorum quatuor pro ducato, ſolvendos unoquoque anno ad feſtum Paſchatis Reſurrectionis Domini Noſtri Jeſu Chriſti incipiendo facere ſolutionem primi anni ad feſtum Paſchæ proximè venturi MDXLIIII., & ſucceſſive de anno in annum pactis tamen adhibitis, & inter ipſas partes ſolemni ſtipulatione vallatis, quæ dicta D. Marcella, & ſucceſſores ſive ſuccetrices ſuæ in dictum locum nullo nunquam tempore à dicto loco, neque a poſſeſſione ejus expelli, nec licentiari poſſint aliquo pacto vel ingenio ſolvendo annualem affictum promiſſum, atque vivendo religioſe, tam ab ipſis Rev. D.D. Fratribus quam ab aliquo Rev. D. Priore, vel ſucceſſoribus ſuis per acorſſionem dictum locum pro ſe ipſis DD. Fratribus, vel alter uſufructuandi vel tenendi, niſi caſu quo D. Marcella & Sorores ac Succetrices ſuæ pro ſuis prave geſtis darent malum exemplum, & odorem de ſe, adeo quod mala relatio fieret ipſis Rev. D.D. Fratribus & monaſterio eorum, cui vero male relationi, & odori ſimpliciter credi non debeat, ſed ſuper iis ad agnoſcendum veritatem per ſuperiores Monaſterii ipſorum Dominorum Fratrum proceſſus ſervatis ſervandis debite formari debeat, & inquiri, atque veritas enucleari, & poſt formatum proceſſum caſus devolvi debeat in capitula ipſius conventus, & ad buſſullos & ballotas diſcuti, & caſu quo per duos tertios ballotarum dicti capituli digno cernentur reiciendæ, poſſint reici, expelli, & à dicto loco & poſſeſſu ejus licentiari, & non ali-

ter, nec alio modo, hoc etiam addito, quod de ipſo loco expelli non poſſint, niſi prius ſibi ſatisfactis omnibus melioramentis per eos ſuper illo factis, prout juri & honeſtati convenit ſed in eventum, quod ipſæ D.D. Moniales ex proprio arbitrio earum vellent relinquere locum illum non teneantur ipſi D.D. Fratres ad ſolutionem, atque ſatisfactionem, ſeu alicujus melioramenti ſuper eo factorum, declarantes inſuper, quod omnia bona uſque modo demiſſa quovis modo & via, dicto loco S. Mariæ Aggeris de Ribaldellis ſint & eſſe debeant hujus præſentis Monaſterii Servorum Venetiarum, ea vero quæ in futurum demitterentur eidem loco S. Mariæ de Ribaldelis, ſint & eſſe debeant ad uſum ipſarum D.D. Monialium in perpetuum, etiam ſi ibidem non degerent, ſed ſi forte contingeret, quod ipſæ D.D. Moniales penitus extinguerentur, nullo ordine poſt ſe relicto, cuncta bona prædicta quomodocumque perveniant & pleno jure pervenire debeant in ſuprascriptum Rev. Monaſterium D.D. Fratrum S. Mariæ Servorum Venetiarum. Pro quibus omnibus & ſingulis firmiter attendendis, & inviolabiliter obſervandis ab utraque partium ipſæ ſupradictæ partes, quibus ſupra nominibus, obligarunt ſe & ſucceſſores ſuos, & omnia ſua bona mobilia, ſtabilia, præſentia & futura. Rogantes ſuper hiis omnibus unum vel plura, vel publicum vel publica confici inſtrumentum vel inſtrumenta.

Actum ut ſupra. Præſentibus Viro D. Hieronymo de Cha Tajapiera q. Magnifici D. Joannis, D. Hieronymo Patheolano q. Alexandri fidem facientibus de perſona ſuprascriptæ D. Marcellæ Minio, & D. Petro q. Franciſco de Grandis q. D. Joannis Antonii teſtibus habitis adhibitis & rogatis.

Ego Hieronymus Partus q. D. Bartholomæi publicus Imperiali auctoritate ac Venetiarum Notarius, judexque ordinarius præmiſſis omnibus, ſic ut præmittitur agerentur interfui, eaque rogatus ſcripſi & publicavi, atque in hanc publicam formam per mihi fidem redigere procuravi, & poſtmodum cum auctentico protocolo meo colationavi, & quia in nullo diſcrepari, quinimmo in omnibus conformari inveni, idcirco in præmiſſorum fidem me ſubſcripſi, apoſito meo ſigno ſolito juxta ritum.

Alexander Riarius Cameræ Apoſtolicæ auditor, ne ullus locum de Arzerello Fratrum Servorum B. M. V. de Veneciis perturbare præſumat, ſtatuta Eccleſiaſtica pena decernit.

X.

1578. 21. Januarii.

Ex Autographo in Monaſterio Servorum B. M. V. Venetiarum.

ALexander Riarius Dei, & Apoſtolicæ Sedis Gratia Patriarcha Alexandrinus Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ, nec non curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Generalis auditor, Romanæque Curiæ Judex ordinarius, ſententiarum quoque & cenſurarum in eadem Romana Curia & extra eam latarum, & quarumcumque litterarum Apoſtolicarum univerſalis & merus executor, ab eodem Sanctiſſimo Domino Noſtro Papa ſpecialiter deputatus, Univerſis & ſingulis Dominis Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Decanis, Archidiaconis, Scholaticis, Cantoribus, Theſaurariis, Sacriſtis, tam cathedralium, quam Collegiatarum Canonicis, Parochialiumque Eccleſiarum Rectoribus, ſive locotenentibus eorumdem plebanis, viceplebanis, cappellanis, curatis, & non curatis, cæteriſque Præsbyteris, clericis, & Notariis publicis quibuſcumque per civitatem & Dioceſim Patavinam, ac alias ubilibet conſtitutis, illique vel illis, ad quem vel ad quos præſentes noſtræ litteræ pervenerint ſalutem in Domino & fidem indubiam adhiberi, & noſtris hujuſmodi imo verius Apoſtolicis firmiter obedire mandatis. Noveritis nuper

per nobis expoſitum fuiſſe pro parte & ad inſtantiam Rev. Prioris & Fratrum Monaſterii S. Mariæ Servorum Civitatis Venetiarum Ordinis Servorum .... quod licet ſtantibus indultis, privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, & gratiis in favorem dicti Ordinis Servorum, & Fratrum Monaſterii S. Mariæ Servorum Civitatis Venetiarum Ordinis Servorum principalium quod licet ſtantibus indultis, privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, & gratiis in favorem dicti Ordinis Servorum & illius Fratrum per diverſos Romanos Pontifices, & finaliter per fel. record. Pium Pp. V. prout in litteris Apoſtolicis deſuper expeditis ſub datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ 1567. XVII. Calend. Julii Pontificatus ſui Anno ſecundo, contineri dicit conceſſis, & approbatis, quam etiam in eiſdem litteris judex & executor ſpecialiter fuimus deputare non potuerint neque debuerint, minusque poſſint & debeant ſuper quodam loco nuncupato del Arnonello Patavinæ Dioceſis membro ejuſdem Monaſterii S. Mariæ Servorum Venetiarum, maxime ſuper celebratione miſſarum & habitatione in eodem loco, nec alia quavis cauſa vel occaſione moleſtari vexari, perturbari, inquietare, nec impedire. Nihilominus Rev. D. Vicarius Generalis Epiſcopi Patavini, & forſan alii eorumdem inſtantium & malevoli inſtantes ipſos ſuper dicto loco & illius uſu moleſtarunt, vexarunt, perturbarunt, inquietarunt, & impediverunt, moleſtareque vexare, & perturbare, ac impedire ſe velle jactarunt, & jactant, & comminati ſunt & comminantur in grave ejuſdem inſtantis præjudicium gravamen & jacturam. Quapropter ad nos recurſum habuerunt, quatenus ſibi ſuper præmiſſis de opportuno juris remedio providere dignaremur. Nos igitur Alexander Riarius auditor & Judex prædictus attendentes requiſitionem hujusmodi fore juſtam & rationi conſonam diſcretioni veſtræ, & cuilibet veſtrum in ſolidum tenore præſentium committimus, & in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub infraſcriptis pœnis diſtricte precipiendo mandamus, quatenus ſtatim viſis & receptis præſentibus, & poſtquam vigore præſentium fueritis requiſiti, ſeu alter veſtrum fuerit requiſitus, moneatis & requiratis primo, ſecundo, tertio, & peremptorie eumdem Rev. D. Vicarium Rev. D. Epiſcopi Paduani, omneſque alios & ſingulos exponentes ipſos ſuper prædicto loco, & illius uſu ac poſſeſſione illius, in qua exiſtunt, moleſtantes & moleſtare velle ſe jactantes in executione præſentium nominandos & cognominandos exempl.o plures ... que & .... cuilibet præcipiatis & mandetis quatenus infra ſex dierum ſpatium, quorum duos pro primo, duos pro ſecundo, & reliquos duos dies pro tertio, & peremptorio termino, ac monitione canonica aſſignamus, & vos aſſignetis eiſdem ſub quingentorum ducatorum auri, & pro illis mandati executionis & in juris ſubſidium excommunicationis, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis debeant, & quilibet eorum debeat ab omnibus & ſingulis moleſtiis vexationibus, perturbationibus, & impedimentis eiſdem Priori & Fratribus ſuper dicto loco dicto Arnonello, & illius uſu ac poſſeſſione illatis litteris præſtitis fieri, quando & inferri comminatis, ac fiendis & inferrendis in futurum deſtitiſſe ceſſaſſe, & abſtinuiſſe, nullamque moleſtiam perturbationem aut impedimentum dediſſe, & intuliſſe, immo eoſdem inſtantes eiſdem loco & uſu ac poſſeſſione, & miſſarum & aliorum officiorum divinorum celebratione uti, frui & gaudere promiſiſſe præſentibusque noſtris monitorialibus litteris in omnibus, & per omnia paruiſſe, deque illorum paritione nos in termino inferius deſignato certioraſſe. Et inſuper inhibeatis eiſdem & eorum cuilibet, ne ſub præfatis pœnis audeant ſive præſumant, nec eorum aliquis audeat ſeu præſumat ipſos .... nec eorum aliquem occaſione præmiſſorum, nec aliqua eorum moleſtare vexare perturbare nec impedire, nec quicquam conſormare prædictorum privilegiorum facere, opponere, attentare, ſeu ... alium ſeu alios, quovis prætextu & queſito colore, quod ſi ſecus factum fuerit, id totum revocare & in priſtinum ſtatum reducere curabimus, juſtitia mediante alioquin ...... prænominatos ſic monitos, ſi ex præmiſſis ſe fore gravatos ſenſerint modo & forma præmiſſis peremptorie citare curetis & citetis eoſdem

dam quatenus vigeſima die poſt præſentium intimationem eis factam, & immediate ſequentem compareant Romæ in judicio legitime coram nobis ſeu noſtro ... in civilibus .... per ſe vel procuratores ſuos cauſam eorum gravaminis allegaturi, aliasque & alia dicturi, facturi & recepturi, quod juſtitia ſuadebit, & ordo dictaverit rationis. Certificantes eosdem ſic citatos, quod ſive in dicto citationis termino comparere curaverint .... nos nihilominus ad hujusmodi cauſæ recognitionem & deciſionem, ac ad omnes & ſingulos actus & terminos judiciales uſque ad ſententiam diffinitivam incluſive, & lite non conteſtata procedemus dictorum citatorum habentia ſeu centu ... in aliquo non obſtare. Abſolutionem vero omnium & ſingulorum præmiſſorum nobis vel ſuperiori noſtro tantummodo reſervamus. In quorum omnium & ſingulorum fidem præſentes fieri & per notarium noſtrum infraſcriptum ſubſcribi, ſigillique, quo in ſimilibus utimur, juſſimus & fecimus appenſione muniri. Datum Romæ in ædibus noſtris judicialibus anno à Nativitate Domini MDLXXVIII. Indictione prima die vero vigeſima prima Januarii Pontificatus Sanctiſſimi D. N. D. Gregorii divina providentia Pp. XIII. anno Primo.

In Chriſti Nomine Amen. Per hoc præſens publicum inſtrumentum cunctis pateat evidenter, & ſit notum quod anno Dominicæ Nativitatis milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo octavo Indictione prima die dominico primo menſis Februarii Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris & D. N. D. Gregorii divina providentia Pp. XIII. anno primo Paduæ in ædibus ſuperioribus & ſalla domus infraſcripti Rev. D. Vicarii contratæ S. Petri præſentibus D. Mattheo Mauroceno qu. D. Michaelis de Contrata S. Jo: in navibus extra, & D. Antonio de Bonis q. D. Baptiſtæ de Contrata S. Petri ambobus notariis publicis Paduæ teſtibus ad infraſcripta vocatis ſpecialiter & rogatis ego Claudius Bacchus Not. infraſcriptus requiſitus pro parte Rev. D. Fr. Thadei de Padua Ordinis & procuratoris Monaſterii S. Mariæ Servorum Paduæ ad hoc intervenientis nomine Rev. DD. Prioris & Fratrum Monaſterii S. Mariæ Servorum Civitatis Venetiarum Ordinis Servorum principalium in retroſcriptis litteris principalium & principaliter nominatis litteras ipſa ne Rev. Fratres prædicti moleſtentur de loco & uſu, de quibus in eis ac omnia & ſingula in eisdem contenta & annotata juxta ipſarum continentiam plur. intimavi Magnifico & R. D. Bartholomæo S.... Canonico Patrono & Vicario Generali Reverendiſſimi Epiſcopi Noſtri Paduæ ibidem intelligenti, eaſque legenti, nec non ad ipſius Rev. D. Vicarii clariorem intelligentiam exemplum ipſarum litterarum actualiter exhibuit in manibus ſuis recipientis ad hoc, ne de ipſarum litterarum continentia uſu ea, quæ in ipſis litteris habentur ullo unquam tempore ignorantiæ clypeo ſe tueri valeat, ſuper quibus rogatus fui hoc præſens publicum inſtrumentum conficere Laus Deo Optimo Maximo trino & uno.

L. S. Ego Claudius Bacchus filius q. prov. viri D. Bernardi de Contrata S. Mariæ prædictæ Servorum Paduæ publicus Apoſtolica & Imperiali ac Patavina authoritatibus Notarius quia præmiſſam litterarum intimationem, ac omnia & ſingula in præſenti inſtrumento contenta, ut præmittitur, operatus fui, ideo ea hæc publice ſcripſi cum ſolito tabellionatus mei ſigno rogatus & requiſitus.

Paulus

Paulus III. detentores Bonorum Monaſterii S. Mariæ Servorum ad reſtitutionem compelli Delegatis Apoſtolicis committit.

V.

1539. 22. Decembris.

Ex Autographo in Archivo Monaſterii S. Mariæ Servorum.

PAulus Epiſcopus Servus Servorum Dei. Vener. Fr. Epiſcopo Paphenſi (a) & Dilecto filio Vicario, Vener. Fr. noſtri Patriarchæ Venetiarum, in ſpiritualibus Generali ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem. Significavit nobis dilectus filius Anſelmus Gradonicus Vicarius generalis Fratrum Servorum B. Mariæ Ordinis S. Auguſtini, quod nonnulli iniquitatis filii, quos prorſus ignorat, credita & pecuniarum ſummas per quondam Marcum dicti Ordinis, dum viveret, profeſſorem, ac alios utriuſque ſexus Chriſtifideles in Camera, & monte nuncupatis, Venetiarum, ſeu ſub illorum nominibus poſita ſeu empta, ac tempore obitus eorum domibus B. Mariæ & S. Jacobi Venetiarum dicti Ordinis invicem perpetuo canonice unitis pia legata, ſeu alias dimiſſa, ac cenſus, fructus, redditus, proventus, terras, domos, molendina, poſſeſſiones, ortos, vineas, campos, prata, paſcua, nemora, ſilvas, arbores, arborum fructus, aquarum decurſus, vini, bladi, frumenti, ordei, avenæ, lini, lanæ, ceræ, olei, auri, argenti monetati & non monetati, ac aliarum rerum quantitates, vaſa argentea, enea, ſtannea, pannos, lineos, laneos, ſericeos, veſtes, anulos, lapides præcioſos, & alia jocalia, lectos, lintheamina, mappas, manutergia, & alia domorum utenſilia, equos, jumenta, oves, boves, & alia animalia, litteras, libros, ſcripturas, teſtamenta, codicillos, & alia documenta, debita, credita legata, mutua, depoſita, jura, juriſdictiones, pecuniarum ſummas, & nonnulla alia mobilia, & immobilia bona ad dictas domos invicem, ut præfertur unitas, tam ratione ſucceſſionis hereditatis prædicti Marci & aliorum ejuſdem Ordinis profeſſorum, illorumque conſanguineorum, affinium, & amicorum defunctorum, quorum in totum, vel pro parte dictæ domus, ſic unitæ, heredes exiſtunt, quam alias communiter ſpectantia, & per dictum Marcum dum viveret, mutuo in cuſtodiam, vel depoſitum data, & quæ ipſe ſignificans ex privilegio Apoſtolico pro eiſdem domibus obtinere poteſt, temere & malicioſe occultare, & occulte retinere præſumunt, non curantes ea dicto ſignificanti exhibere in Animarum ſuarum periculum, & ipſarum domorum non modicum detrimentum. Super quo dictus ſignificans Apoſtolicæ Sedis remedium imploravit. Quocirca diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus omnes hujuſmodi creditorum, pecuniarum, ſummarum, cenſuum, fructuum, & aliorum bonorum prædictorum detentores occultos ex parte noſtra publice in Eccleſiis coram populo per vos, vel alium ſeu alios moneatis, ut infra competentem terminum, quem eis præfixeritis ea præfato ſignificanti à ſe debita reſtituant, & revelent, ac de ipſis plenam & debitam ſatiſfationem impendant, & ſi id non adimpleverint, infra alium competentem terminum, quem eis ad hoc peremptorie duxeritis præfigendum, ex tunc in eos generalem excommunicationis ſententiam proferatis, ac eam faciatis, ubi & quando expedire videritis uſque ad ſatisfationem condignam, ſolemniter publicari. Quod ſi non ambo hiis exequendis potueritis intereſſe. Alter veſtrum ea nihilominus exequatur. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo triceſimo nono Undecimo Kalendas Januarii Pontificatus Noſtri Anno Sexto.

Hie: Minius.

(a) Jacobus Piſaurus Epiſcopus Paphenſis vir prudentia, & pietate præditus. Paphos Italis Baffo, & Baffa urbs eſt in Regno Cypri prope littus Epiſcopatus honore inſignita.

Fr.

Fr. Antonius Maria Caſtelli Generalis Servorum B. M. V. Sodalitium piarum mulierum in Eccleſia S. Mariæ Servorum de Venetiis erectum privilegiis & participatione omnium bonorum ſpiritualium ſui Ordinis dictat.

Z.

1715. 17. Martii.

Ex Autographo in Archivo Monaſterii S. Mariæ.

FR. Antonius Maria Caſtelli Mantuanus Sacræ Theologiæ humilis Profeſſor Sanctæ Romanæ univerſalis Inquiſitionis Qualificator, ac totius Ordinis Servorum Beatæ Mariæ Virginis Prior Generalis. Dilectis nobis in Chriſto Nobilibus Mulieribus, cæteriſque Sanctiſſimæ Virginis Doloroſæ devotis fœminis Venetiis exiſtentibus Salutem. Nullum aliud orandi genus Deo magis acceptum eſſe piè ſancteque putamus, quam illud, quo Dominicæ Paſſionis myſteria vocis ac mentis devota meditatione recolimus. Cumque unius, idemque Doloris gladius, & D. N. Jeſu Chriſti corpus & Sanctiſſimæ Matris ejus Mariæ ſpiritum juxta Simeonis prophetiam pertranſiverit, gratiſſimum Deo, eidemque Beatiſſimæ Virgini, & nobis maxime ſalutare fore confidimus, ſi unigeniti filii Dei paſſionis memoriæ dolores mœſtiſſimæ matris conjungamus. Ea propter Beatiſſima Virgo, & Dolorum Regina in nocte Paraſcæve tempore, quo Eccleſia Chriſti mortem recolit, ſeptem noſtri Ordinis fundatoribus in Senario monte nigram veſtem de cœlo detulit, eiſque præcepit, ut eamdem perpetuò geſtarent in illorum dolorum memoriam, quos in crudeliſſima filii ſui morte paſſa eſt, eoſque præclariſſimo nomine Servorum Mariæ ornatos voluit. Hinc Romani Pontifices ad hanc in mœſtiſſimam Virginem pietatem, & devotionem fovendam pluribus indulgentiarum theſauris, aliiſque privilegiis ordinem noſtrum cumularunt, conceſſa nobis facultate eadem privilegia, eaſdemque indulgentias omnibus hiis fidelibus communicandi, qui & nigrum habitum ejuſdem Doloroſæ Virginis deferrent, & ſedulo eidem compaterentur.

Vobis igitur, quæ avita pietate veſtra excitatæ, eamdemque nigram veſtem in dolorum Sanctiſſimæ Virginis memoriam vel geſtatis, vel geſtare cupitis, & inter ejuſdem Dei Genitricis famulas, quamvis ſanguinis nobilitate progenitæ adſcribi ennixe exoptatis, vel jam adſcriptæ eſtis, quaſque confidimus deinceps illius graviſſimos dolores in corde veſtro recogitaturas, & ſæpius Cruci Unigeniti Filii Dei Salvatoris Noſtri Jeſu Chriſti una cum mœſtiſſima matre ejus Domina noſtra ſpiritu præſentes futuras, veluti dulciſſimi cordis Mariæ Doloris gladio transfixi filias & famulas dilectiſſimas pleno animo gratulamur, vobiſque omnibus ea privilegia & indulgentias communicamus; quibus omnes aliæ Sanctiſſimæ Virginis Doloroſæ Congregationes, confraternitates, ſocietates, auctoritate noſtra, erectæ inſignitæ ſunt, & Apoſtolica largitione cumulatæ. Ut vero apud vos hæc in Sanctiſſimam Virginem devotio augeatur libenti animo ad omnium bonorum ſpiritualium, quæ in toto ordine noſtro ſiunt participationem, & communicationem in vita, & poſt mortem admittimus in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti Amen. In quorum fidem præſentes officii noſtri ſigillo munitas, & manu noſtra ſubſcriptas dedimus Romæ in Conventu Noſtro S. Marcelli die IX. Martii milleſimo ſeptigenteſimo decimo quinto.

Fr. Antonius Maria Generalis Servorum Mariæ.

Fr. Sebaſtianus Tognini P. Sec.

DE

DE
MONASTERIO
SANCTI HIERONYMI DOCTORIS.

ADMIRABILI Numinis providentia factum eſt, ut tres Venetæ Sanctimoniales, quæ Cœnobii extruendi cauſa Tarviſium conceſſerant, inde in patriam reduces clariſſimi Cœnobii Divo Hieronymo Doctori maximo ſacri primordia jacerent. Eæ fuerunt Catharina, Bernarda, & Hieronyma, quarum primam *in Sancto Angelo de Venetiis* heremiticam vitam duxiſſe traditur; reliquæ vero in Monaſterio S. Mariæ Angelorum Murianenſis Inſulæ regularem vitam ſub S. Auguſtini inſtituto profeſſæ fuerant. Incertum eſt, an Catharina e Monaſterio S. Angeli de Contorta prodierit, an potius; ut innuere videntur verba in documentis allata, *Katherinam condam Heremitam in Sancto Angelo de Venetiis*, apud Parochiale Divi Angeli Templum (ut mos illorum temporum erat, quem fuſius exponam ubi de S. Cantiani Eccleſia ſermo erit) vitam a ſeculi conſortio ſejunctam duxerit in loco ad id opportuno. Utcumque de primævo Catharinæ inſtituto res ſe habeat, certum eſt eam duabus comitatam Sanctimonialibus Tarviſium acceſſiſſe, ut novo in ea urbe Monaſterio darent exordia. Ibi dum ſimul degerent Monaduſius Tempeſta No-

bilis Advocatus Tarviſinus fama virtutum commotus, quæ de religioſis fœminis percrebuerat, locum quemdam, *ſeu territorium ſituatum prope civitatem Tarviſii extra burgum Sanctorum Quadraginta, in quo quidem loco ædificatum erat heremitorium*, ipſis Sanctimonialibus ampla donatione conceſſit, ea conditione, ut ibidem ſub Doctoris maximi Sancti Hieronymi ordine ſe recipientes Divi Auguſtini regulam profiterentur. Pii Viri donationem nomine & vice ipſarum Sororum excepit Nicolaus Presbyter S. Fantini de Venetiis Epiſcopi Tarviſini Vicarius; cujus mentionem ingerunt Annotat. ad Ughel. Tom. V. col. 553.

His actis Petrus Paulus Epiſcopus Tarviſinus, cui pridem ex aliorum teſtimonio religio, & bonæ vitæ fama trium ſimul degentium Sanctimonialium innotuerant, & religioſam Monaduſii donationem noverat, de ipſis in religioſo loco collocandis conſilium iniit. *Ad Divini* itaque *nominis bonorem & gloriam, nomenque, & exaltationem Beatiſſimi Jeronymi Doctoris egregii ſpeciali titulo novam Eccleſiam ſub ordine, & religione ejusdem conſtruendam.* in ſuperius enuntiato loco *cum hædificiis, & officinis neceſſariis* ædificari permiſit. In eis ædificiis includendas & inſtituendas *ſub perpetua clauſura elegit, & eſſe voluit præfatas religioſas Katherinam condam heremitam in Sancto Angelo de Venetiis, Bernardam & Jeronymam profeſſas regulæ Beati Auguſtini in Monaſterio S. Mariæ de Angelis de Murano Dioceſis Torcellanæ*. Ex iis unam præfici ſtatuit in Abbatiſſam, quæ melius idonea fore noſceretur *regimini, ac religioni, ſeu converſationi ſub ordine, & obſervantia religionis per eundem Sanctiſſimum Jeronymum Confeſſorem, dum adhuc vitam duceret in humanis traditæ ad Euſtochium ſacram Deo Virginem, quam Bethleem cum principalibus Deo dicatis Virginibus ſub ejus Ordinis obſervationibus concluſit*. Regulam quoque *Beatiſſimi Auguſtini condoctoris eximii*, ut pote jamdudum in eadem profeſſæ, eas obſervare præcepit. *Verum quoniam viſitationis jam inchoatæ per Diœceſim Tarviſinam aliisque negotiis impeditus electioni Abbatiſſæ aliisque circa bujusmodi ſalutiferum opus opportunis* intereſſe non poterat, Franciſco de Burſaldis Præpoſito Ravennati commiſit, die XII. Septembris MCCCXL. ut ipſas Sorores ad nova clauſtra deduceret, atque ea ageret *quæ pro expeditione, & conſtructione dicti operis* neceſſaria putaret (A).

Bene-

Beneficium fundationis, quod vivens præſtitit, alio moriens cumulavit ſupralaudatus Monaduſius: anno enim MCCCXLII. qui fuit ipſi emortualis, die v. Septembris Teſtamento juſſit, ut Sanctimonialibus Divi Hieronymi medietas prædii apud Tarviſium poſiti aſſignaretur, & *per ſuos bæredes pro ſuis redditibus defenderetur*.

„ In Nomine Domini Dei Eterni. Amen. Anno ejusdem „ Nat. 1342. Ind. x. die Jovis Quinta menſis Septemb. Padue „ in contrata S. Matthæi in domo habitationis infraſcripti „ Teſtatoris preſentibus Magiſtro Bartholomeo Medico de Mu- „ tina quondam Dom. Gerardini de contrata Domi &c. Nobi- „ lis Dom. Maleduccius advocatus Civitatis Tarviſii filius quon- „ dam bon. mem. Dom. Guecellonis Tempeſte quondam Civi- „ tatis predicte Tarviſii advocati, licet infirmus corpore, ſa- „ nus tamem mente, & exiſtens boni intellectus & memo- „ rie, timens ac nolens ab inteſtato decedere, de rebus, & „ bonis ſuis per nuncupationem tale ſuum condidit Teſtamen- „ tum in hunc modum. In primis elegit & reliquit ſepul- „ turam ſuam apud Fr. Minores de Tarviſio, & quod ibi por- „ tetur corpus ſuum.

„ Item reliquit lib. 400. denariorum parvorum pro ſuis ma- „ le ablatis incertis dandas & diſtribuendas pro anima ſua pau- „ peribus perſonis. Item reliquit pro anima ſua unam clau- „ ſuram, que eſt apud Tarviſium, quæ reddit annuatim libras „ 28. parvorum Fratribus Heremitanis de Tarviſio, & Mona- „ chabus S. Hieronymi de Tarviſio, videlicet medietatem di- „ ctis monachabus, & quod dicti Fratres teneantur cantare om- „ ni die unam Miſſam pro anima ſua, & ut dicte Monice „ rogent Deum pro anima ſua, & quod dicta petia Terre pro „ ſuis redditibus defendentur, & guarententur dictis Fratribus „ & Monacabus per infraſcriptos ſuos heredes &c.

His ex benefica largitione receptis Bernarda, quæ, ut ex afferendis documentis patet, de illuſtri Dottorum ſanguine progenita erat, Abbatiſſa electa Monaſterium non quidem amplum extrui curavit, & in eo nonnullas eximiæ virtutis Virgines ſibi in ſancto propoſito ſocias adſcivit. Interea Franciſcus a Carrarienſibus Patavii Dominis hujus nominis primus immemor quanta in ſe Venetorum humanitas beneficia contuliſſet, in Reipublicæ perniciem arma convertit; atque Ludovi-

cum Hungariæ Regem precibus impulit ut ſibi amico & fœderato in ſummo diſcrimine laboranti præſto eſſe vellet. Miſſis itaque primum ſuppetiis, non multo poſt Rex ipſe cum ingenti exercitu Venetam ditionem ingreſſus Tarviſinum agrum fœde depopulatus eſt. Bellicam Hungarorum rabiem ut effugerent Bernarda Abbatiſſa & reliquæ Sanctimoniales recentia clauſtra deſerere coactæ ſunt. Horum aliquæ Tarviſium ſe ſe receperunt, ubi uſque ad belli finem degentes, ad ſemidirutum Monaſterium redierunt; de iis fuſe agit eruditiſſimus P. D. Jo: Benedictus Mittareli Monachus Camaldulenſis in vita S. Pariſii Venetiis edita anno 1748. Bernarda vero de tutiori loco eligendo cogitans ſeptem ſociata Sanctimonialibus Venetias appulit, ubi futuræ aliquando Numinis providentiæ fidentes apud S. Vitalis Eccleſiam anno milleſimo treceenteſimo ſexageſimoquarto conſederunt. Ibi arcto tecto receptæ in ſumma rerum omnium egeſtate victitantes quotidiana vitæ munera ita inter ſe partitæ ſunt, ut diurna tempora Eccleſiæ frequentandæ partim, partim labori manuum, nocturna vero modicæ quieti & orationi concederent. His vitæ exemplis adeo præclaris cum omnium in ſe civium oculos, & admirationem convertiſſent, tum præcipue Joannis Contareni Patritii Veneti amorem ſibi devinxerunt, qui ipſarum miſeratus anguſtias animum adjecit ad hoc, ut inopes Sanctimoniales in ſacris clauſtris recluderet. Comparatis itaque in confinio S. Hermacoræ ad extremam Urbis partem quibusdam domunculis, queis adjacebat vacua ſoli planicies, eas, ut in monaſterium verterentur, Bernardæ ejusque ſociis libera ceſſit oblatione, hac tantummodo conditione, ut in adjacentis ſoli parte Cœmeterium conſtruerent ad pauperum cadavera nullo mercedis pacto tumulanda. Monaſterio hoſpitium adjecit, cujus jura ſibi, & Luciæ filiæ reſervavit. Hæc omnia poſt uxoris obitum ſacris initiatus teſtamento confirmavit: *Item vojo & intendo, che tuto quel che per le Monache di San Girolamo ho ſpeſo, fatto, e comprado ſia libero di quel Monaſtero, che nel principio delli zorni eſſe Monache me promeſſe nel ricevere d' eſſe Monache di non fare patto alcun, ne ancora nel ricevere i corpi i quali ſi ſepelliranno al detto luocho*. Neque tamen immemor quid ad monaſterium confirmandum opus eſſet, opportunitatem nactus, quod Paulus Foſcarus Epiſcopus Caſtellanus longe ab Urbe abe-

aberat, Bartholomæum Epiſcopum Agienſem Vicarium Caſtellanum adiit ſuppliciter, exorans, ut conceſſa novi Monaſterii extruendi facultate pium fœminarum manipulum clauſuræ repagulo muniret, inde futurum confidens ut tenue hoc Cœnobii initium brevi in illuſtre Aſceterium evaderet. Pia vota libentiſſimo animo ſuſcepit Bartholomæus, atque ea, qua fungebatur authoritate, commendato primum religioſo earum ardore, ut in ædibus Monaſterium inſtrueretur, indulſit. Statuto quoque certo cenſu Eccleſiæ Caſtellanæ quotannis ſolvendo, ut Abbatiſſam ſibi eligerent, permiſit, cujus tamen *confirmatio & inſtitutio ad Epiſcopum Caſtellanum pertinere noſcatur*. Conceſſæ facultatis acta ipſo Joanne Contareno cum aliis præſente in publicam formam redegit Bartholomæus de Ferrariis Parmenſis Notarius, atque Epiſcopalis Curiæ Caſtellanæ Scriba die XXVIII. Martii anno milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo quinto, ſedente in Apoſtolico Throno Gregorio hujus nominis Papa XI. Rempublicam Venetam adminiſtrante Andrea Contareno Duce (B). Eodem quoque anno die XVIII. Maii ſupralaudatus Agienſis Epiſcopus Bernardam Dotto a cœtu Sanctimonialium primam Monaſterii deſignatam Abbatiſſam confirmavit, atque *per annulum, quem geſtabat in manibus, de Abbatia Monaſterii Sancti Jeronymi & omnibus & ſingulis ſuis juribus inveſtivit* (C).

Poſt hæc Bernarda Monaſterium per decem & ſeptem annos laudabili converſatione adminiſtravit, atque tandem virtutum ſuarum mercedem receptura deceſſit anno MCCCLXXXII. condigno honore tumulata cum hac epigraphe:

Domina Bernarda Doto Monalium prima, & Reverenda Abbatiſſa iſtius loci Sancti Hieronymi de Venetiis, quæ obiit anno MCCCLXXXII. *cujus anima per miſericordiam Dei requieſcat in pace: Amen.*

Huic eſt ſuffecta Hieronyma Lero, Bernardæ in Murianenſi Angelorum Cœnobio, atque in Tarviſina & Veneta fundationibus conſtantiſſima comes, quæ anno MCCCVC. mortalitatem exuit.

Electionem Laurentiæ de Plumbiolis in demortuæ Hieronymæ locum approbavit Leonardus Delphinus Epiſcopus Caſtellanus die x. Junii anno MCCCIIC. de cujus mandato die x. ſequentis Julii per Carlottum de Albertis Canonicum Veronenſem

ſem

ſem & Caſtellanum Vicarium Laurentia in poſſeſſionem dignitatis inducitur (D).

Ut Monaſterii inſtitutio rite procederet, ad ordinariam Epiſcopi facultatem Plebani quoque & Capituli Eccleſiæ Sancti Hermacoræ, in cujus finibus ſitum erat, aſſenſus acceſſerat, anno MCCCLXXIV. ea tamen conditione, ut *Abbatiſſa & Moniales unum* tantumodo *Capellanum, quem ipſæ duxerint eligendum* haberent, qui ipſis ſolum *unam miſſam, & ſine nota celebraret*. Cum autem novo inſtituto plures etiam nobiles certatim darent nomina, numero ipſarum in dies creſcente, *Abbatiſſa & Moniales volentes locum* uberioribus commodis provehi, & honoribus decorari, a ſuperius enuntiatis Plebano & Capitulo certa ſtatuta cenſus ſolutione impetrarunt, ut ſibi facultas foret penes Monaſterium Cœmeterium inſtruere, *in quo poſſent, qui ibi ſepulturam elegerint humari*; atque liceret per alios etiam præter Capellanum *ſacerdotes ſæculares & regulares ſingulis diebus cum nota, & ſine tot miſſas quot voluerint celebrari*. Petitiones approbavit Paulus de Candia Leonardi Delphini Epiſcopi Caſtellani Vicarius die XVIII. Maii anno MCCCCI. (E) Interea Sanctimoniales, quamvis ſecus ſuaderet nimia qua gravabantur rerum inopia, Eccleſiam *ſolemni quidem opere, & non modicum ſumptuoſo* ædificare cæperunt, ſed cum ex redituum defectu ſolas piorum largitiones ad vitæ neceſſitates haberent, & opus idcirco lente admodum ſuccreſceret; Martinus Papa V. anno MCCCCXVIII. die IX. Aprilis elargitus eſt ad novennium, ut quicunque in Dominio Veneto ad ſacrarum peregrinationum vota teneretur, ſi *Abbatiſſæ vel Conventui tantam pecuniæ ſummam erogaverit, quantam in peregrinatione vel executione votorum bujuſmodi veriſimiliter debuiſſet exponere, ſi vota ipſa perſonaliter explevisſet*, a peregrinatione & votis ipſis perpetuo maneret authoritate Apoſtolica abſolutus (F).

Apoſtolicam Martini largitionem novennio completo elapſam, Eugenius IV. ejus in Petri ſede ſucceſſor *ad Eccleſiæ perfectionem hujuſmodi magnis adhuc pecuniarum ſummis opus* habentem renovavit ad ſeptennium die XIX. Januarii anno MCCCCXXXIV. (G) Ut autem *opus prædictum felicius & celerius ad debitum perduceretur effectum*, remiſſionem prædictam etiam *ad quaſcunque perſonas uſque ad numero decem perſonarum ſub Dominio Veneto tunc quamvis cum propoſito recedendi moram trahentium*

apo-

apoſtolico ampliavit diplomate dato Ferrariæ anno milleſimo quadringenteſimo trigeſimo octavo die 1. Septembris (H).

Inter hæc Laurentia de Plumbiolis extremum diem clauſit, ad cujus locum implendum per Sanctimonialium ſuffragia evocatur Gratioſa de Stella anno milleſimo quadringenteſimo vigeſimo ſeptimo, quo anno die XVI. Martii per Andream Bonum Abbatem S. Gregorii, atque Petri Donati Epiſcopi Caſtellani Vicarium electione ejus prius confirmata in poſſeſſionem inducitur (I). Hæc de progreſſu Monaſterii mire ſollicita cum optimas Virgines habitum religionis petentes excludere nefas duceret, brevi Conventus ad eum numerum devenit, ut tres pluresque etiam in ſingulis cellis habitare cogerentur. Accedebat facultatum inopia, unde ex Chriſti fidelium eleemoſynis atque ex manuum ſuarum labore arcte victitantes, vix quæ ad alendam vitam ſufficerent obtinebant. Iis compulſæ anguſtiis demandari ſibi exorarunt curam conficiendi globulos, e lino confectos, quibus utuntur Veneti Magiſtratus, dum eunt in ſuffragia. Pro hoc qualicunque, ſed certe moleſto labore a Principis munificentia obtinuerunt quotannis centum numos argenteos, Ducatos vocant. Additi ſunt quiquaginta, non multo poſt. Tum anno 1481. octoginta alii. Denique noſtris hiſce temporibus augmentum aliud accepit.

1421. 4. *Maii.*

S. Hieronymi Monachæ pro conficiendis Ballotis habeant ducatos 100. *a Dominio in anno.*

1481. *die* 25. *Julii.*

„ Vita pia religioſa & omni virtute cumulata Monialium S. Hieronymi hujus Urbis noſtræ, numerus earum, quæ in dies augeſcunt, & multiplicantur, paupertas & anguſtia in qua vivunt, ſuadent atque invitant Dominium noſtrum ad uſum benignitatis & clementiæ in eas, quæ duplex ſervitium ſtatui noſtro preſtant Alterum manuale & mecanicum in faciendis Ballotis neceſſariis in noſtris conſiliis, Alterum vero ſpirituale Orant enim pro ſtatu noſtro indeſinenter, & indefeſſe. Quibus omnibus rebus quicquid in eas confertur benignitatis, & eleemoſynæ procul dubio Summo Deo noſtro gratiſſimum eſt. Accedit ad hæc omnia quod quantitas ballotarum in dies major eſt neceſſaria cum majori labore,

„ & im-

„ & impenſa prædictarum Monialium ementium cariori pretio
„ materiam neceſſariam & fore omnium earum occupatarum
„ in lavandis incidendis, & fiendis illis. Unde fit ut quicquid
„ eis additamenti fiat ad conſuetam mercedem non ſolum elee-
„ moſyna & pietas, ſed etiam merces benemerita reputari po-
„ teſt. Super quibus omnibus infraſcripti D. D. Conſiliarii ha-
„ bita diligenti conſideratione & reſpectu terminaverunt quod
„ ad conſuetum ſalarium quod habent Ducatorum 150. in an-
„ no addantur Ducati 80. ita quod in anno ab officio Ratio-
„ num Veterum.

Consiliarii.

Petrus Memo.	*Aloyſius Bernardo.*
Franciſcus Sanuto.	*Hieronymus Donato.*
Franciſcus Marcello.	*Thomas Triviſano.*

Interea tamen nec his additis ſubſidiis ultro *ſe ſuſtentare*, atque *incumbentia onera ſupportare* valebant, quapropter anno MCCCCXXXV. Eugenii IV. pietatem vehementer obteſtatæ ſunt, ut ad eorum anguſtias aliquo modo ſublevandas *Monaſterium S. Andreæ de Ymanis per Priorem ſolitum gubernari, quod propter paludoſi*, in quo ſitum erat, loci intemperiem jam a pluribus annis Conventu carebat, pauperrimo Divi Hieronymi Monaſterio adnecteret & uniret, in quo quidem Monaſterio ex decem & octo cellis compacto quadraginta ſex Moniales profeſſæ, & ad triginta circiter Sorores & puellæ educandæ morabantur. Supplicantium Virginum preces Pontifex benigne excipiens Divo Laurentio Juſtiniano Epiſcopo Caſtellano per Apoſtolica ſcripta mandavit, ut per judicii examen rerum veritate probata *Monaſterium S. Andreæ præfatum cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis eidem Monaſterio S. Hieronymi Pontificia authoritate in perpetuum incorporaret, & uniret, ita quod cedente vel decedente moderno Priore dicti Monaſterii S. Andreæ, liceret Abbatiſſæ & Conventui corporalem ejusdem Monaſterii S. Andreæ poſſeſſionem auctoritate propria libere apprehendere*. Pontificium Eugenii Diploma Bononiæ datum fuit anno milleſimo quadringenteſimo trigeſimo ſexto, die IV. Januarii. Ejusdem menſis die XXVII. habita prius de præmiſſis certa ſcientia Sanctus Epiſcopus Apoſtolicis litteris inhærendo *Monaſterium prædictum S. Andreæ de Himanis annectendum & in-*

& incorporandum dicto Monaſterio & Conventui Sancti Hieronymi de Venetiis eſſe decrevit, mandavitque inſuper *dictæ Abbatiſſæ & Conventui S. Hieronymi pro tempore exiſtentibus, quatenus taliter dicto Monaſterio S. Andreæ providere deberent, ne ſuis fraudaretur obſequiis* (K).

Ex ſemidiruta Eccleſia S. Andreæ Himanenſis antiqua marmora Senatu jubente deducta ſunt, quibus Ducalis Divi Marci Baſilica aptius reficeretur, aſſignata æqui pretii pecunia a Procuratoribus operi Divi Marci præpoſitis Monaſterio Divi Hieronymi ſolvenda.

1455.

Che li Procuratori di S. Marco diano in elemoſina alcuni danari alle Monache di S. Gerolamo per marmi, collonne, e legnami levati dalla rovinoſa Chieſa e Monaſtero di S. Andrea de Mani, onde con tali coſe accomodare la Chieſa di S. Marco.

Anno MCCCCXXXXVI. die IX. Julii electionem Ceciliæ de Benedictis in Abbatiſſam ordinaria authoritate approbavit ſupralaudatus Divus Laurentius (L), atque deinde ad annum MCCCCL. die XXII. Septembris alteram Magdalenæ Contarenæ in dignitatem Abbatiſſæ prædefunctæ Ceciliæ ex concordi Sanctimonialium voto ſuffectæ (M). Ad Orſati Juſtiniani Equitis & Veneti Oratoris preces Nicolaus V. indulſit, ut Eccleſiam Sancti Hieronymi certis ſtatutis diebus rite viſitantes, atque eleemoſinas erogantes criminum ſuorum ſtatutas remiſſiones Domino miſerante conſequerentur (N).

Poſt hæc celebre olim Monaſterium S. Adriani quod in Turcellana Diœceſi prope Silis fluvii oſtia ſitum erat, cum ex aeris intemperie & colubrorum infeſtatione ita in dies decreſceret, ut ædificiis undique ruinam minitantibus Sanctimonialium numerus ad ſex tantumodo redactus fuiſſet, Abbatiſſa ſalubriores ædes, in quibus ſe filiaſque reciperet, exquirere deliberavit. Quamobrem cum audiſſet, quam mire inter Sanctimoniales S. Hieronymi pietas in Deum & regularis vitæ obſervantia vigerent, cum eiſdem pactum inivit, ſe obtenta prius ab utroque foro, Principis nempe & Eccleſiæ facultate, Monaſterii S. Adriani quæcunque jura ad Divi Hieronymi aſceterium deducturam, dummodo in ipſo cum quinque, quæ ſupererant, ſororibus Deo ſub Divi Auguſtini regula impoſterum mili-

militatura reciperetur. Oblatis deinde Paulo III. Pontifici Maximo pro tali unione ſupplicibus utriusque Conventus nomine libellis, authoritate apoſtolica elargitus eſt menſe Novembris anno MDIL. ut Monaſterium S. Adriani Torcellenſis certis ſtatutis conditionibus Veneto Monaſterio S. Hieronymi uniretur, *ita tamen quod Eccleſia ipſius Monaſterii S. Adriani per Abbatiſſam & Conventum Monaſterii S. Hieronymi hujusmodi reparata teneretur*, quodque in eadem Eccleſia atque in altera pariter ei annexa S. Angeli de Zampenigo Torcellanæ civitatis perpetuis temporibus ſtatuta ſacrificia per Sacerdotem de gremio Eccleſiæ Torcellanæ eligendum celebrarentur (O). *Cum autem in loco dicti Monaſterii S. Adriani ob ejus aeris intemperiem, quæ etiam a tempore Epidemiæ anni Domini* 1576. circiter ob illata ibi quamplurima defunctorum cadavera gravior erat atque moleſtior, nemo habitare poſſet, & propterea *eo quia prædicta Eccleſia a latronibus diurnis & nocturnis continuo bonis ſuis deprædabatur, & ædificia diruta erant*, ſtatutum eſt anno MDLXXXI. Gregorio XIII. Pontifice Maximo facultatem concedente, in antiqua Eccleſia S. Angeli de Zampenigo Torcellanæ Urbis Monaſterio S. Adriani olim annexa Altare Divo Adriano ſacrum conſtruere, ibique ſtatuta ſacrificia ex ſummi Pontificis juſſu celebrare (P).

Una cum juribus & redditibus ſuppreſſi Cœnobii devenerunt ad Eccleſiam S. Hieronymi Venetiarum præclara quoque Divorum lipſana, quæ inter celebriora erant plurima Innocentium Bethleemitarum corpora, olim apud Venetos in tanta veneratione habita, ut de iis conſervandis S. C. ſolicitus diſtricte præceperit, ne quis ex Eccleſia S. Adriani aliquam Divorum Innocentium partem auferre præſumeret.

Præter ea etiam decentibus loculis incluſæ aſſervabantur ſequentes reliquiæ.

Caput S. Athanaſii Patriarchæ Alexandrini. De hac veneranda Reliquia aliquid innuimus in prima hujusce operis Decade pag. 35. ad Monaſterium S. Crucis de Judaica, ubi ſacrum ejus corpus præcipua veneratione aſſervatur. Marinus Sanutus in Chron. dum ſolemnem Corporis Divi Athanaſii translationem enarrat hæc ad calcem addit: *Vi manca il Capo, il quale pare che ſia in queſta terra a S. Girolamo.*

Rem confirmat codex pergamenus ex Archivo Sancti Hierony-

ronymi. In eo dum diverſa ad Monaſterii jus ſpectantia inordinate exarantur, hæc antiquiſſimis expreſſa notis de hoc ſacro capite referuntur.

DEL 1455. ad 10 Novembre aveſſimo la Teſta de S. Atanaſio Patriarcha d'Aleſſandria. fu portada da Coſtantinopoli inſieme col Corpo con la nave del Cottarelli el qual fu offerto alle done de Santa Croce della Zuecca ſenza Teſta però che la Teſta fu offerta a noi done del Moneſtier de S. Gerolemo e fu 'l anno che paſsò da queſta vitta Nicolò Quinto e Patriarca Miſier Lorenzo Giuſtinian era Doſe Miſier Franceſco Foſcari.

ANNO 1455. die x. Novembris. Conceſſum Nobis fuit Caput S. Athanaſii Patriarchæ Alexandrini, e Byzantio deductum, una cum ejuſdem Corpore in navi Dominici Cottarelli. Corpus oblatum fuit mulieribus Sanctæ Crucis de Judaica absque capite; caput enim dono accepimus Nos mulieres Monaſterii S. Hieronymi. Acciderunt hæc eo ipſo anno, quo e vita migravit Nicolaus Quintus Patriarcha Venetiarum D. Laurentio Juſtiniano Duce D. Franciſco Fuſcaro.

Nullo innixi documento, ut notat Papebrochius ad diem primam Maii, Caput hoc venerandum ſe poſſidere jactant Galli & Hiſpani.

Tibiæ Pedesque S. Spiridionis ſeu ut verius puto S. Siridionis Epiſc. Confeſſoris. De hujus Sancti exuviis in ſuperius enuntiato codice pergameno ita legitur.

EL Corpo cioe una parte de Miſs. S. Spiridion ſi fò offerto al Moneſtier di S. Gerolemo del 1455. Anche fò portada queſta Santa Reliquia colla nave de Miſier Domenego Cottarelli e conduſſe altre ſante Reliquie.

CORPUS videlicet pars Domini Sancti Spiridionis oblata fuit Monaſterio S. Hieronymi anno 1455. Deducta fuit etiam hæc ſancta Reliquia in navi Dominici Cottarelli qui alias pariter ſacras Reliquias detulit.

Manus & Brachium S. Mariæ Cleophæ.
Caput S. Euphemiæ Virg. & Mart.
Oſſa Sanctorum Sergii & Bachi Mm.
Oſſa SS. Vincentii & Anaſtaſii Mm.
Pes S. Petri Epiſcopi Alexandrini & Mart.
Femur S. Euſebii Mart.

Hæc tanto pretioſiora, quanto ſanctiora Eccleſiæ ornamenta miſerandum in modum periere anno milleſimo ſeptingenteſimo quinto die XXVIII. Septembris in pervigilio S. Hieronymi: repente enim inter feſtivos apparatus Eccleſiæ exorto igne, in tale tantumque ſubito excrevit incendium, ut irrito conatu multitudinis ipſum extinguere laborantis erumpentes undique flammarum globi non Eccleſiam tantum, ſed & totum fere Monaſterium brevi horarum ſpatio voraverint. Ex cineribus combuſti templi latior & ornatior Eccleſia nova molitione ſurrexit elegantia ſtructuræ, & Altarium magnificentia ſpectabilis.

In hujus Monaſterii ſolo quieſcere fama eſt Beatum Petrum de Gambacurtis Nobilem Piſanum Congregationis Eremitarum S. Hieronymi piiſſimum Fundatorem. Hic anno MCCCCXXXV. Venetiis, quo cœtus ſui cauſa conceſſerat, dum in Sancti Hieronymi hoſpitio exceptus moratur gravi eoque extremo morbo correptus meritis & virtutibus inſignis *migravit in cœlum*: Venerabilem Virum Venetias acceſſiſſe, atque in ea civitate ſancte obdormiſſe nemo eſt qui ambigat. Verum de loco ſepulturæ queſtio eſt, quandoquidem nonnulli in Sancti Marci Baſilica, alii in ſuæ Congregationis Monaſterio apud S. Raphaelem, plurimi vero, iique melioris notæ, in veteri S. Hieronymi Cœmeterio tumulatum aſſerunt. Inter eos antiquiores ſunt Paulus Morigia Jeſuatorum Congregationis ſcriptor in ſuo de Origine Religionum libro, & Silvanus Ractius Camaldulenſis Abbas in vitis Sanctorum Beatorumque Hetruriæ, qui poſt enarratum Beati Viri obitum, ipſum in Sanctimonialium Monaſterio, in quo etiamnum quieſcit, tumulatum fuiſſe tradunt. Horum opinioni concorditer adhærent recentiores Paulus Troncius, Bernardinus Puccius, Petrus Bonacciolus, Victorius Boſelus, Antonius Maria Bonuccius, eamque proinde, ut pote puriori veritati conſonam, amplectuntur Hagiographi Antuerpienſes, atque cum iis eruditiſſimus P. Joannes Baptiſta Sajanellus ejuſdem B. Petri Congregationis in Veneta ditione Provincialis, qui monumenta ſuæ Congregationis hac illac diſperſa laudabili labore collegit, ornatoque libro diſpoſuit Venetiis edito anno 1728.

Verum cum Beatus ſenex octuageſimum annum agens Venetias *cœtus ſui cauſa* appulerit, mirum profecto videtur, non

in

in ſuæ Congregationis hoſpitio in S. Raphaelis confinio, ſed apud Divi Hieronymi Monaſterium in alienis ædibus conſediſſe. Interea tamen hoc non officit ſepulcro ejusdem apud Moniales ſtatuendo, quod ut dilucide intelligatur rem altius repeto. Lucia ſupralaudati Joannis Contareni filia, ad quam ex paterna hæreditate cum hoſpitio Divi Hieronymi alterius quoque hoſpitii ſub Divi Job nuncupatione a proximo ei adhærente Oratorio deſumpta non longe a primo ſiti jura devenerant, hoc ſecundum B. Petro de Piſis ejusque Congregationi conceſſerat anno MCCCCXXII. ea tamen conditione appoſita, ut ejusdem Eccleſiæ Capellanus nomine Philippus *poſſit in quantum ipſe velit ibi ſtare & habitare & vivere cum eis*. Verba damus ex inſtrumento in publicas tabulas redacto per Franciſcum Biblini Imperiali authoritate Notarium die VI. Junii anno MCCCCXXII.
„ *Hunc locum* (S. Job) regendum concedit (Lucia Delphina)
„ Venerabili Viro Fratri Petro de Piſis præſenti, & pro ſe &
„ ſocietate ſua recipienti, & ſtipulanti, ita quod poſſit ſtare
„ in eo, & providere, quod ibi Miſſæ celebrentur, &c. Et
„ quia Præsbyter Philippus, qui ad præſens ibi habitat, &
„ bene ſe geſſit, vult in quantum ipſe velit, morari in ſo-
„ cietate prædicta & ſimul cum prædictis, quod poſſit ibi ſta-
„ re, & habitare, & vivere cum eis & ſine moleſtia aliorum,
„ habeat unam cellam pro ſe, & poſſit celebrare, & audire
„ confeſſiones in Eccleſia ſecundum honeſtatem & dicti loci
„ decentiam *& expelli non poſſit*. Cum autem paulo poſt ex eo hoſpitio ſe ſubduxiſſent ſupralaudatæ Congregationis alumni, hoſpitium ex Luciæ conceſſione ad Fratres Minores de Obſervantia devenit; indeque Philippus ad alterum de jure ipſius hoſpitium apud S. Hieronymum ſe ſe recepit.


Apud ipſum itaque Venetias appulſus Beatus Petrus divertit, tum quia in anguſtis tunc S. Raphaelis ædibus, ubi duo tantum morabantur, locus deerat, tum quia pii Sacerdotis ob morum ſimilitudinem amiciſſimi conſortio frui exoptabat eo præſertim in loco, ubi Sanctiſſimi Doctoris (cujus titulo nuper a ſe erectam ornaverat Congregationem) memoria & cultus celebris habebatur. Ibi febri correptus evolavit ad Cœlum a Philippo in ipſius Monaſterii ambitu condigno honore tumulatus. Hæc etiam innuere videtur Silvanus Ractius dum in vita B. Petri depoſitionem ejus refert hiſce verbis. *Il ſuo corpo con quel*

ono-

enore, che pote chi di ciò ebbe la cura, fu ſotterrato nella Chieſa di non sò qual Monaſtero di Donne, dove ancor ſi riposa.

Cum autem ex virtutum & prodigiorum ſplendore fama Beati Viri ſe ſe longe lateque diffunderet, ejusque cultus mire propagaretur, Scipio Panochieſcus de Comitibus Ilcii Piſarum Archiepiſcopus, dum apud Venetorum Rempublicam legatione Apoſtolica fungeretur, de ſacris Beati Petri oſſibus exquirendis ſollicitus anno MDCL. ut in Sancti Hieronymi Monaſterio inquirerentur, obtinuit. Pari pietate accenſus Coſmas III. Magnus Hetruriæ Dux pro ſua in Sanctos religione impetravit, ut nova, eaque diligentiſſima perquiſitione de ſacris lipſanis inveniendis ageretur. Abſconditi indagatio theſauri longo temporis ſpatio perduravit, quam in certis locis abſolutam, anno ſequenti MDCCXVII. menſe Maii irrito tamen labore renovarunt. In iis perveſtigationibus perficiendis dum terra effoditur, univerſum Monaſterii ſolum everſum eſt, uno tantum conclavi excepto, in quo ex multis tamen conjecturis veriſimile erat dicere, beatum corpus tumulatum fuiſſe. Vigebat enim apud antiquas Sanctimoniales traditio, Beati Petri corpus quieſcere *in loco quattuor portarum*, qui plane ex collatione facta cum vetuſto Monaſterii diagrammate per Albertum Durerum ſignato, illum ipſum eſſe conjiciebatur, qui in gemina effoſſione intactus remanſerat. Spem hanc augebat antiqua & Venerabilis B. Petri imago genuflexa, quam ſupralaudatus Presbyter Philippus a Jacobino de Flore eximio ſui ævi pictore pingi mandaverat in tabula, ubi & ſuum & Pictoris nomen adhuc leguntur. Hæc e pariete, ubi affixa erat, aram majorem ex adverſo reſpiciens appoſitis verbis intimos Beati ſenſus erga Verbum Dei incarnatum exprimebat; ſimulque, ut acceptum traditur, locum ſignabat, quo venerandum viri cadaver illatum fuerat. Iis conjecturis inductæ, atque ferventis devotionis ardore, quo Beati viri memoriam proſequebantur accenſæ Sanctimoniales de venerandis exuviis rurſus exquirendis cogitare cæperunt. Expoſito itaque Aloyſio Foſcaro Patriarchæ Venetiarum pio ipſarum deſiderio, in eam ſententiam pro animi ſui religione ita adductus eſt, ut ad rem rite perficiendam Summi Pontificis authoritatem ſibi ſuffragari ſupplici epiſtola poſtulaverit. Nec defuit votis Pontificia benignitas, ſiquidem datis ad ſupralaudatum Patriarcham epiſtolis eam facultatem impertitus eſt, ut,

quam-



Vetustissima Effigies B. Petri de Gambacurtis de Pisis quę in Monasterio S. Hieronymi Venetiarum asservatur.

quamvis de viro ageretur nondum Divorum faſtis adſcripto, poſſet attamen, tanquam Delegatus Apoſtolicus, de inveniendo ejus corpore diligentius inquirere (Q). Sub hæc decreta antequam rei manus admoveretur, & aſſiduas preces piæ Virgines, & ſalutares easque ſolemnes hoſtias univerſa Beati Petri Congregatio, mandante in primis Carolo Antonio Tombeſano Generali Priori, Deo omnium bonorum largitori obtulerunt, ut tanto, tamque optato theſauri munere ditarentur. Inſcrutabili tamen Divinæ voluntatis arcano ſtudia quærentium, & vota in irritum cedere Dominus diſpoſuit; nec tamen ſpes omnis adempta eſt, ſiquidem futurum fore confiditur, ut immenſa numinis Pietas ad famuli ſui gloriam occultum ejus corpus aliquando revelare dignetur. Hoc ex Divino afflatu vaticinatam fuiſſe traditur piiſſimam Virginem Benedictam nomine, Sanctimonialium Ordinis Servorum Beatæ Mariæ Virginis in Burianenſi Aſceterio fundatricem: cum enim, ut ejus ſpiritus probaretur in Monaſterio Divi Hieronymi ex Superiorum mandato degeret, a quodam Congregationis Divi Petri pio Sacerdote, cui nomen Joannes Triviſanus, interrogata aliquando de tempore, quo Deus filiorum vota per paterni corporis inventionem eſſet impleturus, hæc tantummodo repoſuiſſe fertur: *Dominus dabit fructum in tempore ſuo*.

Conceptum tamen de fruſtrata ſpe dolorem eo quo poteram modo lenire volui, qui iſthæc ſcribo, & articulum ex Divi Doctoris Titularis digito authenticis munitum documentis Sanctimonialibus dono dedi meæ erga illas obſervantiæ pignus.

Ordo Abbatiſſarum Monaſterii S. Hieronymi Venetiarum.

1364. Bernarda Doto. Obiit 16. Octobris 1382.
1382. Hieronyma Jero ſeu Lero. Obiit 13. Junii 1388.
1388. Laurentia de Plumbiolis. Obiit 9. Martii 1426.
1426. Gratioſa Stella. Obiit 8. Julii 1446.
1446. Cecilia de Benedictis. Obiit 9. Septembris 1450.
1450. Magdalena Contarena. Obiit 23. Aprilis 1479.
1479. Taddea Memmo. Obiit 4. Decembris 1488.
1488. Eſther de Spilatis. Obiit 18. Auguſti 1494.
1494. Chriſtina Fuſcarena. Obiit 17. Auguſti 1513.
1513. Archangela ..... Obiit 1533.
1533. Raphaela ...... Obiit 1540.

1540. Michaela Memmo. Obiit 1573.
1573. Cherubina de Muſſolinis. Obiit 1584.
1584. Cornelia Dulcis ultima ex Abbatiſſis perpetuis. Obiit 1591.
1591. Jucunda Phaletro prima ex triennalibus Abbatiſſis.
1595. Laura de Sanctis.
1598. Camilla Mocenico.
1601. Michaela Boldu.
1604. Livia de Altanis; rurſus eligitur 1613.
1607. Benedicta de Gratianis; rurſus eligitur ann. 1610. 1616. 1619. 1625. 1631. in cujus regiminis triennio obiit 1633.
1622. Manſueta a Ripa; rurſus 1628.
1633. Perpetua Grimana; rurſus 1642.
1636. Jucunda Abbioſo; rurſus 1639. 1645. 1654.
1648. Samaritana Bembo. Iterum 1651. 1657. 1661. 1664. 1670. in quo triennio obiit 1672.
1667. Maria Diana Rubini. Iterum 1675. 1681. 1687. 1693.
1672. Maria Benedicta de Continis. Iterum 1678. 1684.
1690. Archangela Fuſcarena. Iterum 1696. 1702. 1708.
1699. Maria Stella Grimani.
1705. Claudia Savorgnana 1711.
1715. Maria Celeſtis de Gabrielis.
1718. Regina Felix Gritti. Iterum 1721. 1724. 1730. 1736. Obiit in munere ann. 1738.
1727. Laura Maria Corraria 1733. 1738. Obiit ad extremum triennii tempus ann. 1741.
1741. Maria Electa Bravi.
1744. Alba Maria Torniello unanimi Sanctimonialium voto in officio confirmata.

Petrus

Petrus Paulus Epiſcopus Tarviſinus Catharinæ Bernardæ & Hieronymæ Monialibus Venetis facultatem concedit extruendi Monaſterium S. Hieronymi prope Civitatem Tarviſii, & eligendi ipſius Monaſterii Abbatiſſam.

A.

1340. 13. Septembris.

Ex Autographo in Archivo Monaſterii S. Hieronymi Venetiarum.

IN Chriſti Nomine Amen. Decet domum Domini ſanctitudo plantare ſacram religionem, & plantatam fovere, ut ejus in pace ſit locus, quod divino cultui fuerit dedicatum. Sane licet alma mater Eccleſia univerſos Sanctos Dei ſtudiis honorare ſolicitis, & ſonoris efferre preconiis non deſiſtat, inter alios egregios ipſius doctores Eccleſiæ beatiſſimum Jeronimum Chriſti glorioſiſſimum confeſſorem eximiumque doctorem precipuis laudibus & ſpiritualibus diſpoſuit honoribus venerari, qui fæcunda facundia celeſti gratia influente ſcripturarum enigmata reſerat, ſolvit nodos, obſcura dilucidat, dubiaque declarat, & ejus elegantia ſingulari Eccleſia ipſa ſublimata corruſcat, ideoque circumſpecta prudentia & ſpecialis devotio Reverendiſſimi in Chriſto Patris & Domini D. Petri Pauli (*a*) Divina permiſſione Epiſcopi Terviſini actibus intenta ſalubribus & operibus pietatis ſolicite intendens ad Divini nominis honorem & gloriam, nomenque & exaltationem ejuſdem beatiſſimi Jeronimi doctoris egregii ſpeciali titulo attollere, ſub vocabulo ejus per novam Eccleſiam conſtruendam ſub Ordine & Religione ejuſdem, ac dignis exaltare preconiis in loco ſeu territorio ſituato prope Civitatem Terviſii extra burgum Sanctorum quadraginta, in quo quidem loco hedificatum eſt heremitorium, Eccleſiam conſtruere ſeu conſtrui facere cum hedificiis & officinis neceſſariis, & pro nunc congruentibus, in quibus includantur & inſtituantur ſub perpetua clauſura ad preſens tres ſorores ſimul degentes, quas quidem audita religionis & bone vite fama relatione fide dignorum elegit, & eſſe voluit prefatas ſorores religioſas & honeſtas ſorores Katherinam condam heremitam in Sancto Angelo de Venetiis Bernardam & Jeronimam profeſſas regule B. Auguſtini in monaſterio S. Marie de Angelis de Murano Dioceſis Torcellane. Ex quibus una in Abbatiſſam preficiatur melius Ydonea regimini ac religioni ſeu converſationi ſub Ordine & obſervantia religionis per eundem Sanctiſſimum Jeronimum Confeſſorem, dum adhuc vitam duceret in humanis tradite ad Euſtochium ſacram Deo virginem, quam Bethleem cum principalibus Deo dicatis virginibus ſub ejus Ordinis obſervationibus concluſit, ac omnia juxta regulam beatiſſimi Auguſtini condoctoris eximii inſtitutam & per Sedem Apoſtolicam approbatam, qua quidem regula prefate Sorores plenarie ſunt informate, utpote jamdudum profeſſe in eadem in monaſterio antedicto. Verum quoniam viſitationis jam inchoate per Dioceſim Terviſinam & aliorum plurium negotiis impeditus dictus Rev. Pater D. Epiſcopus Terviſinus ellectioni Abbatiſſe, & aliis omnibus circa hujusmodi opus ſalutiferum incumbentibus neceſſariis, ac etiam oportunis nequit intendere ut deceret. Confidens de legalitate & prudentia Ven. Viri D. Franciſci de Burſalis decretorum Doctoris

(*a*) Petrus Paulus Epiſcopus Tarviſinus de quo in Italia Sacra Tom. V. pag. 553.

ctoris prepoſiti Ravennatis commiſit eidem, quod prenominatas Sorores Katherinam, Bernardam & Jeronimam perſonas unquam jamdudum Deo dicatas & regulari obſervantia pleniter inſtructas ſama publica refferente, quarum etiam contemplatione & intuitu magnificus Vir D. Monaduſius advocatus Terviſinus Ven. Viro D. Presb. Nicholao S. Fantini de Veneciis Vicario ſæpedicti D. Epiſcopi Terviſini de predicto territorio donationem fecit, recipienti earum ſororum nomine, atque vice auctoritate & vice ipſius D. Epiſcopi Sorores conſtituat, ut collocentur in loco predicto ſub ordine ejuſdem B. Hieronymi & regula B. Auguſtini ordinando. Ex quibus unam in Abbatiſſam preficiat, quam magis Ydoneam reputabit. Proviſo quod dictus locus & Eccleſia conſtruenda ibidem dote condecenti non fraudetur. Dans prefatus Rev. Pater eidem D. Franciſco plenam auctoritatem & licentiam predicta omnia faciendi, & alia omnia ordinandi & diſponendi, que pro expeditione & conſtructione dicti operis fuerint neceſſaria & eidem D. Franciſco viſum fuerit expedire. Committendo eidem D. Franciſco in premiſſis & circa premiſſa totaliter vices ſuas, & ejuſdem D. Epiſcopi ordinariam poteſtatem. Promiſit inſuper D. Epiſcopus predictus michi notario infraſcripto ſtipulanti nomine omnium, quorum intereſt vel intereſſe poſſet, habere ratum & firmum quicquid in predictis & circa predicta per dictum D. Franciſcum fuerit ordinatum. Actum in loco & Eccleſia S. Vigilii de Guarda Dioceſis Terviſine ſub Dominice Nativitatis Anno milleſimo trecenteſimo quadrageſimo Indictione octava die Mercurii tertiodecimo Menſis Septembris Preſentibus Ven. Viris DD. Franciſco de Maynentis Canonico Vicentino Præsb. Nicholao S. Fantini de Venetiis Vicariis ipſius D. Epiſcopi Terviſini Alberto de Racoſta & Jacobo de Cohodeſchinis Manſionariis majoris Eccleſie Terviſine teſtibus ad ſupraſcripta vocatis ſpecialiter & rogatis.

Ego Bartholomæus Matthei de Sayenbecho dicti D. Epiſcopi Terviſini & Epiſcopalis Curie publicus Imperiali auctoritate notarius prædictis omnibus & ſingulis lectis & publicatis coram dicto D. Epiſcopo per me preſens interfici, & de mandato ipſius hoc feci preſens publicum inſtrumentum per ipſum rogatus facere, quod etiam ad majorem veritatis evidentiam ſigilli ſui pendentis mandavit munimine roborari.

Bar-

Bartholomæus Epiſcopus Ajenſis (a) *Vicarius Pauli Foſcari Epiſcopi Caſtellani concedit facultatem Bernardæ Doto olim Abbatiſſæ S. Hieronymi de Tarviſio ædificandi Monaſterium in Contrata S. Hermacoræ certo ſtatuto cenſu Epiſcopo Caſtellano ſolvendo.*

B.

1375. 25. Martii.

Ex Autographo In Archivo Monaſterii S. Hieronymi Venetiarum.

BArtholomeus Dei & Apoſtolice Sedis gratia Epiſcopus Ajenſis Rev. in Chriſto Patris & Domini D. Pauli eadem gratia Epiſcopi Caſtellani Vicarius Generalis & ad infraſcripta ſpecialiter deputatus Religioſis & honeſtis Sororibus Bernarde de Cà Doto olim Abbatiſſe Monaſterii & Conventus S. Jeronimi Ordinis S. Auguſtini Tarviſine Dioceſis Chriſtinæ Doto, Jeronime de Cà Lero, Agneti Lion, & Chriſtine Auguſto profeſſis Bette Quirino, Laurentie de Plumbiolis, & Urſoline de Mione de barbaria monialibus licet non profeſſis dicti Monaſterii, ſalutem in Domino. Illarum votis libenter annuimus, que de conſcientie puritate innitentes, ea facere cupiunt, que ad Dei laudem divinique cultus augmentum cedere procul dubio dignoſcuntur. Sane nuper nobis pro parte veſtra extitit ſupplicatum, quod cum vos zelo devotionis accenſe in quodam loco ſive domo poſito infra & intra Parochiam Eccleſiæ Sanctorum Hermachore & Fortunati Dioceſis Caſtellane fidelium quorumdam elemoſinis conſtructis religioſe & honeſte viventes cupiatis inibi Monaſterium & locum religioſum cum Eccleſia altaribus & Campanile ad honorem Beati Jeronimi & ſub ipſius vocabulo erigere ſive erigi facere cum clauſtro condecenti, ubi veſtram profeſſionem ſervare, collegium facere, Abbatiſſam eligere, non profeſſas ad profeſſionem & ordinem veſtrum ingredientes de novo recipere, ac alia omnia obſervare, que religio & regula & ordo veſtri exigunt & requirunt, ac mandant canonice ſanctiones libere valeatis, noſtram dignaremur licentiam impartiri. Nos vero veſtre devotionis zelum in Domino commendantes, cupientesque cultum Divinum & profeſſorum loca noſtris temporibus augmentare ac fidelium mentes ad hec & ſimilia pietatis opera facilius invitare. Vos, de quarum religione honeſtate moribus & vita laudabili ſumus plenanarie informati, & in dictis loco & domo ſupradicta omnia facere, & fieri facere ac obſervare & adimplere cum ad preſens pro victu & veſtitu monialium ibidem degentium, & aliis honeribus debite ſupportandis dotem aliqualem habeatis, & de ipſius dotis augmentatione ſperetur impoſterum, Jure Parochialis Eccleſiæ, infra quam dicti domus & locus ſiti eſſe noſcuntur, in omnibus ſemper ſalvo plenam & liberam tenore preſentium in Domino licentiam elargimur. Ita tamen, quod Abbatiſſe confirmatio inſtitutio ſeu deſtitutio ad dictum Epiſcopum Caſtellanum pertinere noſcatur. Vosque & ſucceſſores veſtras eidem D. Epiſcopo & ſucceſſoribus ſuis canonice intrantibus, quo ad omnia jura Epiſcopalia & Juriſdictionis ſitis pleno jure ſubjecte, & in ſignum ſubjectionis prædicte teneamini

(a) Bartholomæus Epiſcopus Agienſis, ſeu Agrenſis in Creta Inſula memoratur in hujus Operis decade I. pag. 150. Vicarius fuit Generalis Pauli Foſcari Epiſcopi Caſtellani Avenione apud Summum Pontificem eo tempore degentis.

mini quolibet anno per octo dies ante feſtum Nativitatis B. Jeronimi mittere duas zucas plenas bono vino capaces ad minus medie quarte vini cum duabus narangiis; deſuper & cenſus nomine in feſto translationis dicti B Jeronimi annuatim per unum nuncium deſtinare unam libram incenſi prefato D. Epiſcopo & ejus ſucceſſoribus, ſive eorum vices gerentibus, nec non pro procuratione ratione viſitationis debita dare & ſolvere dicto D. Epiſcopo, & ſucceſſoribus ſuis, ſive aliis de ſui mandato id quod de jure tenentur alia Monaſteria Diocefis Caſtellane Collectas debitas ſolitas & occurrentes, ad quas Monaſteria alia non exempta de jure tenentur, vobis imponendas ſecundum eorum, qui ad hoc deputabuntur diſcretionem & debitam juris formam ſine contraditione aliqua perſolventur. In quorum teſtimonium preſentis noſtre licentie & omnium predictorum per Bartholomeum notarium infraſcriptum fieri publicum inſtrumentum, ac ipſa omnia coram vos in noſtra preſentia & teſtium infraſcriptorum publicari mandavimus, ipſumque inſtrumentum ſigilli Vicariatus Epiſcopalis Curie Caſtellane appenſione muniri. Actum publicatum & datum in dicto Monaſterio, ſeu loco poſito in Parochia Sanctorum Hermachore & Fortunati predicta in loco, qui dicitur Capitulum ipſius Monaſterii preſentibus omnibus monialibus ſupraſcriptis & preſentibus Nobilibus Viris DD. Zacaria Contareno, Caterino Donato, & Johanne Contareno qu. D. Luce & provido viro Ser Marco Bennato teſtibus vocatis ſpecialiter & rogatis die mercurii vigeſimoctavo menſis Martii Anno a Nativitate Domini milleſimo tercenteſimo ſeptuageſimo quinto Indictione tertia decima Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini Noſtri D. Gregorii Divina providentia Pape undecimi Anno quinto.

Et ego Bartholameus de Ferrariis de Parma publicus Imperiali auctoritate notarius & Epiſcopalis Curie Caſtellane Scriba predictam licentiam & omnia ſupraſcripta in preſentia dicti D. Vicarii teſtium & monialium predictorum legi & publicavi ipſisque omnibus & ſingulis dum ut premittitur agebantur una cum dictis teſtibus preſens interſui eaque ſcripſi & in publicam formam redegi me ſubſcripſi & meum ſignum conſuetum una cum appenſione ſigilli Vicariatus prædicte Curie Caſtellane appoſui de mandato dicti D. Vicarii & a dictis etiam D. Abbatiſſa & Monialibus rogatus & requiſitus in teſtimonium premiſſorum.

Bartholomæus Epiſcopus Agienſis Vicarius Caſtellanus electionem Bernardæ Doto in Abbatiſſam Monaſterii S. Hieronymi confirmat. C.

1375. 18. Maii.

Ex Archivo Monaſterii S. Hieronymi Venetiarum.

BArtholomæus Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Agienſis Rev. in Chriſto Patris & Domini D. Pauli eadem gratia Epiſcopi Caſtellani Vicarius Generalis. Religioſæ & honeſtæ D. Sorori Bernardæ Doto Abbatiſſæ Monaſterii S. Hieronymi Ordinis S. Auguſtini Caſtellanæ Diecefis dicto D. Epiſcopo Caſtellano ſubjecti Salutem in Domino. Ex injuncti nobis offitii debito congrua meditatione penſantes quantum ſit in Eccleſiis & Monaſteriis ipſarum diſpendioſa vacatio, quam pericoloſa etiam eſſe ſoleat animabus, continua ſolicitudine affectamus quantum juvante Domino poſſumus in Eccleſiis

&

& Monaſteriis dicto D. Epiſcopo Caſtellano ſubjectis vacationum diuturnitatibus obviare. Sane nuper in contrata SS. Hermachoræ & Fortunati de Venetiis prædictæ Dioceſis de noſtra licentia conſtructo & hedificato dicto Monaſterio S. Jeronimi Ordinis S. Auguſtini & per modum collegii ſeu capituli in ipſo Monaſterio exittentibus quibusdam monialibus ... quas vos conduxiſtis, quæ DD. Moniales & vos nolentes ſecundum doctrinam canonis eſſe acephale quia menbra ſine capite ſunt funeſta & quia gregem Dominicum paſtore carentem lupus rapax ſæpe invadere ſatagit, & conatur, ac conſiderantes dictum Beati Jeronimi dicentis inter decem una eligatur, ut capite conſtituto ſchiſmatis tollatur ocaſio, ſe loco capituli dicti Monaſterii pro electione futuræ Abbatiſſæ ejusdem Monaſterii celebranda certa die & termino receperunt & poſt multos tractatus habitos inter eas ipſis deliberantibus ad electionem ipſam per viam procedentes compromiſſi in ſuam & dicti Monaſterii Abbatiſſam communiter & concorditer elegerunt, electionemque ipſam ricte & debite celebratam, ac ſecundum formam juris publicatam vobis tempore debito præſentarunt, cui electioni vobis diligenti deliberatione prehabita præbente conſenſum, nobis fuit per procuratorem & ſindicum tam veſtri quam dictarum monialium Capituli ſeu Conventus dicti Monaſterii pro confirmationis munere humiliter ſupplicatum. Nos vero in dicto electionis & confirmationis negotio volentes juxta juris formam procedere, ac immitari doctrinam Apoſtoli dicentis nemini cito manum confirmationis imponas; in dicto Monaſterio & ejus Eccleſia edictum juxta juris & conſuetudinis formam publicari & proponi fecimus generale. Cumque in edicti termino vel poſtea nullus contra vos comparuerit contradictor; Volentesque ipſius electionis examinare proceſſum, ac de vitæ veſtræ meritis ſuper quibus foris laudabilia teſtimonia obtinetis diligenter inquirere, ut tenemur circa præmiſſa, & quæ circa hæc inquirenda fuerunt inquiſiveramus, prout de jure extitit inquirendum & ſuper etiam Capituli Caſtellani habito conſilio, quia ipſam veſtram electionem invenimus canonice celebratam, ac vos comperimus ad Abbaciam præfati Monaſterii Ydoneam ſufficientem atque dignam vitæque honeſtæ morum quamplurium decoratam, de legitimo matrimonio procreatam, & ordinis ejusdem Monaſterii ac regulæ expreſſe profeſſam, ætatisque legitimæ, nichil inſuper vobis obſtare de canonicis inſtitutis, idcircò attendentes quod ea quæ juſte & rationabiliter acta ſunt non debent aliquo modo differri electionem hujusmodi de vobis in Abbatiſſam prædicti Monaſterii S. Hieronimi factam & celebratam auctoritate ordinaria ſcriptis præſentibus confirmamus, vosque dicto Monaſterio S. Jeronimi in Abbatiſſam præficimus curam & adminiſtrationem ipſius Monaſterii Eccleſiæ & monialium vobis in ſpiritualibus & temporalibus plenarie committentes. Inveſtientes vos coram nobis flexis genibus conſtitutam per anullum quem portamus in manibus de dicta Abbacia predicti Monaſterii S. Jeronimi & omnibus & ſingulis ſuis juribus & pertinentiis ſpiritualibus & temporalibus ad eamdem Abbaciam quoquo modo ſpectantibus & pertinentibus firmam ſpem fiduciamque tenentes, quod dictum Monaſterium & Eccleſia Domino auctore per veſtræ induſtriæ & circumſpectionis ſtudium præſervabitur à noxiis & adverſis ac ſpiritualibus & temporalibus proficiet incrementis ad quod vos efficaciter exhortamur. Sic igitur curam & adminiſtrationem prædictas exercere ſtudeatis ſollicite fideliter & prudenter quod ipſum Monaſterium & Eccleſia providæ & fructuoſæ adminiſtrationi gaudeant ſe commiſſos ac Moniales ejusdem Monaſterii providæ & fructuoſæ adminiſtratricis gubernatione lætentur. Vosque propter retributionis æternæ præmium gratiam exinde uberrimam mereamini conſequi, in quorum omnium teſtimonium præſentes litteras ſeu præſens publicum inſtrumentum per Bartholomæum Notarium

rium infraſcriptum fieri fecimus, & noſtri Vicarialis ſigilli juſſimus appenſione muniri. Datum & actum in prædicto Monaſterio Beati Jeronimi in loco, qui dicitur capitulum ejusdem Monaſterii: Præſentibus Vener. Viris D.D. Nicholao Mauroceno legum doctore famoſo Archidiacono Caſtellano, & Præsb. Leonardo Lion Plebano Eccleſiæ S. Johannis Bragoræ de Venetiis Caſtellanæ Dioceſis, ac Nobilibus Viris D.D. Catherino Donato de contrata S. Fuſcæ, Johannino Contareno q. D. Lucæ de Contrata S. Panthaleonis, & prudente viro Ser Marco Bennato de contrata S. Samuelis teſtibus vocatis & rogatis & aliis multis die decimooctavo Menſis Maii. Anno à Nativitate Domini milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo quinto Indictione tertiadecima Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini Noſtri D. Gregorii Pp. XI. Anno quinto.

Et Ego Bartholomæus de Ferrariis de Parma publicus Imperiali auctoritate Notarius & Epiſcopalis Curiæ Caſtellanæ Scriba prædictis omnibus & ſingulis dum ut præmittitur agebantur una cum teſtibus ſupraſcriptis præſens interſui eaque omnia & ſingula ſcripſi vidi fieri & audivi in hanc publicam formam redegi, me ſubſcripſi, & ſignum meum conſuetum appoſui rogatus & requiſitus in teſtimonium præmiſſorum.

Leonardus (a) Delphinus Epiſcopus Caſtellanus confirmat electionem Laurentiæ de Plumbiolis in Abbatiſſam S. Hieronymi & Carloto de Albertis Vicario ſuo committit ut ipſam inducat in poſſeſſionem.

D. 1398. 20. Junii.

Ex Authographo in Archivo Monaſterii S. Hieronymi Venetiarum.

LEonardus Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Caſtellanus Religioſe & honeſte Domine D. Sorori Laurentie de Plumbiolis Abbatiſſe Monaſterii Sancti Jeronimi de Venetiis Caſtellane Dioceſis dicto D. Epiſcopo Caſtellano ſubjecti Salutem in Domino. Ex injuncti noſtri offitii debito congrua meditatione penſantes, quam ſit in Eccleſiis & Monaſteriis ipſarum diſpendioſa vacatio quam periculoſa ineſſe ſoleat animabus continua ſolicitudine affectamus quantum juvante Domino poſſumus in Eccleſiis & Monaſteriis nobis ſubjectis vacationum diuturnitatibus obviare. Sane vacante nuper dicto Monaſterio S. Jeronimi Abbatiſſa per mortem religioſe & honeſte D. Sororis Jeronime Lero olim dicti Monaſterii ultime & immediate Abbatiſſe. Univerſe & ſingule moniales dicti Monaſterii in ellectione Abbatiſſe vocem habentes ſe in loco qui dicitur capitulum dicti Monaſterii pro ellectione future Abbatiſſe ejusdem Monaſterii celebranda certa die & termino receperunt, & deliberantibus ipſis ad ellectionem ipſam per invocationem Spiritus Sancti & ejus inſpirationem vos prefatam D. Sororem Laurentiam Plumbiolis de cujus vita & converſatione laudabili publicum exiſtebat per inſpirationem Spiritus Sancti & ejus invo-

(a) De Leonardo Delphino Epiſcopo primum Caſtellano, mox Alexandrino Patriarcha eruditiſſime ſcripſit Cl. V. Bernardus Maria de Rubeis Ordinis Prædicatorum in libro cui titulus *Diſcorſo diplomatico* &c. *ſopra una pergamena antica* Venetiis edito apud Simonem Occhi Anno 1749.

invocationem in ſuam & dicti Monaſterii Abbatiſſam communiter & concorditer ellegerunt ellectionemque ipſam rite & debite celebratam ac ſecundum formam juris publicatam vobis tempore debito preſentarunt cui ellectioni vobis diligenti deliberatione prehabita prebente conſenſum nobis fuit per procuratorem & Sindicum monialium & Capituli dicti Monaſterii pro confirmationis munere humiliter ſupplicatum. Nos vero in dicte ellectionis & confirmationis negotio volentes juxta juris formam procedere ac imitari doctrinam Apoſtoli dicentis nemini citò manum imponas in dicto Monaſterio & ejus Eccleſia edictum juxta juris & conſuetudinis formam publicari & proponi fecimus generale. Cumque in edicti termino vel poſtea nullus quam vos comparuerit contradictor, volentesque ipſius ellectionis examinare proceſſum ac de vite veſtre meritis ſuper quibus foris laudabile teſtimonium obtinetis diligenter inquirere ut tenemur circa premiſſa & quam circa hoc inquirenda fuerunt inquiſivimus prout de jure extitit inquirendum & quia ipſam ellectionem invenimus canonice celebratam ac vos comperimus ad Abbatiam Monaſterii prefati Ydoneam ſufficientem atque dignam viteque honeſte morum quamplurium decoratam de legitimo Matrimonio procreatam & ordinis ejuſdem Monaſterii ac regule expreſſe profeſſam etatisque legitime nichil inſuper vobis obſtare de Canonicis inſtitutionibus. Idcirco attendentes quod ea que juſte & rationabiliter acta ſunt non debent aliquo modo differri ellectionem hujusmodi de vobis in Abbatiſſa Monaſterii predicti S. Jeronimi factam & celebratam auctoritate ordinaria ſcriptis preſentibus confirmamus vosque dicto Monaſterio S. Jeronimi in Abbatiſſam prefigimus curam & adminiſtrationem ipſius Monaſterii Eccleſie & monialium vobis in ſpiritualibus & temporalibus plenarie committentes. Inveſtientes propterea providum virum Presbiterum Johannem Bruſato Procuratorem veſtrum procuratorio nomine pro vobis recipientem coram nobis flexis genibus conſtitutum per anulum noſtrum quem in manibus geſtamus de Abbatia prefati Monaſterii S. Jeronimi & omnibus & ſingulis juribus & pertinentiis ſpiritualibus & temporalibus ad eamdem Abbatiam quoquo modo ſpectantibus & pertinentibus firmam ſpem fiduciamque tenentes quod dictum Monaſterium & Eccleſia Deo auctore per veſtre induſtrie & circumſpectionis ſtudium fructuoſum preſervabitur a noxiis & adverſis ac ſpiritualibus & temporalibus proficiet incrementis ad quod vos efficaciter exortamur. Sic igitur curam & adminiſtrationem predictas exercere ſtudeatis ſolicite fideliter & prudenter quod ipſum Monaſterium & Eccleſia provide & fructuoſe adminiſtratrici gaudeat ſe commiſſa ac moniales ejuſdem monaſterii provide & fructuoſe adminiſtratricis gubernatione letentur vosque preter retributionis eterne premium gratiam exinde uberius conſequi mereamini. Et volentes ut preſens noſtra confirmatio & inſtitutio ſuum expedite ſortiatur effectum Committimus Ven. Viro D. Carloto de Albertis noſtro Vicario Generali ibidem preſenti & onus hujusmodi ſponte acceptanti quatenus auctoritate noſtra vos in dicte Abbatie ac omnium ſuorum jurium ſpiritualium & temporalium ipſius tenutam & corporalem poſſeſſionem auctoritate ordinaria predicta inducat & ponat & inductam deffendat contradictores quoslibet & rebelles eadem auctoritate per cenſuram Eccleſiaſticam & alia opportuna remedia compeſcendo. In quorum omnium fidem & teſtimonium prefatus D. Epiſcopus mandavit preſentes litteras ſeu preſens publicum inſtrumentum per me Johannem Bonum notarium infraſcriptum fieri & ſcribi ſuique pontificalis ſigilli appenſione muniri. Datum & actum Venetiis in noſtro Palatio Caſtellano præſentibus Rev. Patre D. Andruino Dei gratia Epiſcopo Schutarenſi (a) Egrejo decretorum doctore D. Thomaſio de Placentinis Presb. Federico be-

(a) Epiſcopus Schutarenſis ſeu Scodrenſis. Scodra civitas eſt in Albania ſub ditione Turcica.

beneficiato in Eccleſia S. Marie Formoſe de Venetiis dicte Dioceſis & aliis teſtibus vocatis ſpecialiter & rogatis. Anno Nativitatis Dominice milleſimo trecenteſimo nonageſimo octavo Indictione ſexta Menſis Junii die vigeſimo Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri D. Bonifatii divina providentia Pape noni Anno nono.

L. S. Et Ego Johannes Bonus filius Ser Thomei Delphino de Venetiis publicus Imperiali auctoritate notarius & judex ordinarius ac Epiſcopalis Curie Caſtellane ſcriba ſupraſcriptis ellectioni confirmationi inſtitutioni inveſtiture & omnibus & ſingulis ſupradictis una cum prenominatis teſtibus preſens fui eaque omnia de mandato dicti D. Epiſcopi Caſtellani & rogatus ſcripſi & publicavi meumque in teſtimonium premiſſorum ſignum apposui conſuetum.

Carlotus de Albertis Vicarius Epiſcopi Caſtellani Laurentiam de Plumbiolis electam Abbatiſſam S. Hieronymi Venetiarum inducit in poſſeſſionem Abbatiſſatus.

1398. 20. Julii.

Ex Autographo in Archivo Monaſterii S. Hieronymi Venetiarum.

IN Chriſti Nomine Amen Anno Nativitatis ejusdem milleſimo trecenteſimo nonageſimo octavo Indictione ſexta Menſis Julii die vigeſimo in Eccleſia S. Jeronimi de Venetiis Caſtellane Dioceſis, preſentibus venerabilibus & egregiis viris D. Presb. Franciſcho a Fructibus Plebano S. Euſtachii de Venetiis, D. Nicolao Contareno de Parochia SS. Apoſtolorum, D. Johanne Contareno de Parochia S. Jeremie de Venetiis, omnibus dicte Dioceſis & aliis teſtibus ad infraſcripta vocatis ſpecialiter & rogatis ac alia laicorum utriuſque ſexus multitudine copioſa. Ven. Vir D. Carlotus de Albertis de Venetiis Canonicus Veronenſis Rev. in Chriſto Patris & Domini D. Leonardi Dei & Apoſtolice Sedis gratia Epiſcopi Caſtellani Vicarius Generalis ad dictam Eccleſiam & Monaſterium S. Jeronimi perſonaliter ſe transferens auctoritate ordinaria Religioſam & honeſtam D. Sororem Laurentiam de Plumbiolis dicti Monaſterii Abbatiſſam induxit & per pannos altaris S. Marie ipſius Eccleſiæ in tenutam & corporalem poſſeſſionem vel quaſi dicti Monaſterii & Abbatie ejusdem vacantis per mortem quondam religioſe & honeſte D. Sororis Jeronime Lero, olim dicti Monaſterii ultime & immediate Abbatiſſe, & omnium & ſingulorum ejusdem Monaſterii jurium & pertinentiarum ſpiritualium & temporalium poſuit Te Deum laudamus oratione Sancti Spiritus ſubſequta decantando, & ſubſequenter & immediate in predicta Eccleſia & preſentibus dictis teſtibus ſtallum in choro & propterea exiens Eccleſiam una cum dictis teſtibus & me notario infraſcripto & dicta D. Sorore Laurentia Abbatiſſa predicta ad locum qui dicitur Capitulum dicti Monaſterii ſe perſonaliter transferens eidem D. Sorori Laurentie Abbatiſſe predicte locum in Capitulo aſſignavit ac ibidem & in predicta Eccleſia de mandato dicti D. Vicarii Religioſe & honeſte D. Sorores... dicti Monaſterii moniales expreſſe profeſſe & conſecrate totum dicti Monaſterii capitulum conſtituentes nomine ipſarum omnium & dicti Capituli unanimiter & concorditer dictam D. Sororem Laurentiam de Plumbiolis Abbatiſſam predictam in ſuam & dicti Monaſterii S. Jeronimi Abbatiſſam & prelatam interveniente pacis oſculo receperunt & inſuper idem D. Vicarius dicta auctoritate ordinaria eidem D. Sorori

rori

rori Laurentie Abbatiſſe præfate claves Eccleſie Sacriſtie & Monaſterii ejusdem in ſignum vere poſſeſſionis eidem tradite & per eam aprehenſe vel quaſi Abbatie Monaſterii predicti & jurium ac pertinentiarum ejusdem dedit tradidit & aſſignavit mandans omnibus & ſingulis monialibus dicti capituli & conventus ibidem conſiſtentibus quatenus dicte D. Sorori Laurentie tanquam earum & dicti Monaſterii Abbatiſſe & prelate debeant obedire mandanſque mihi notario infraſcripto ut de predictis omnibus publicum conficerem inſtrumentum.

L. S. Et Ego Johanes Bonus filius Ser Thomei Delphino de Veneciis publicus Imperiali auctoritate notarius & judex ordinarius omnibus & ſingulis ſupradictis una cum prenominatis teſtibus preſens fui & rogatus ſcribere ſcripſi & in hanc publicam formam redegi ſignumque meum apposui conſuetum.

Plebanus & Capitulum S. Hermacoræ certis ſtatutis conditionibus concedunt, ut Monaſterium S. Hieronymi Venetiarum habere poſſit Cœmeterium pro defunctis, & Confeſſorem, qui libere Sanctimonialibus adminiſtrare poſſit Sacramenta.

E.

1401. 18. Martii.

Ex Autographo in Monaſterio S. Hieronymi Venetiarum.

IN Nomine Domini Amen. Per hoc preſens publicum Inſtrumentum cunctis pateat evidenter. Quod quamquam monaſterium religioſarum Dominarum Abbatiſſe & Conventus S. Jeronimi de Veneciis ordinis Sancti Auguſtini Caſtellane Dioceſis fuerit & ſit fundatum edificatum & conſtructum cum Eccleſia Campanili & Campanis in Parochia & infra Parochiam collegiate Eccleſie Sanctorum Hermacore & Fortunati dictorum loci & Dioceſis de licentia voluntate & conſenſu venerabilium Virorum Dominorum ... Plebani Sacerdotum & Capituli dicte Eccleſie Sanctorum Hermacore & Fortunati confirmatione loci ordinarii Vid. Domini ... Epiſcopi Caſtellani Canonice ſubſecuta ipſeque Domine Abbatiſſa & moniales licentiam habuerint & habent a prædictis Plebano & Capitulo tenendi unum Capellanum quem ipſe duxerint eligendum, qui eisdem monialibus ſolum unam miſſam & ſine nota celebraret, & in ſignum recognitionis dictæ Dominæ teneantur ſingulis Annis dictis Plebano & Capitulo dare & conſignare octo libras ceræ in duobus terminis, eo modo & taliter prout in quoddam Inſtrumento pactorum ſcripto per Henricum Celiart clericum Trajectenſem notarium in milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo quarto Indictione duodecima die ſexto Menſis Decembris plenius continetur. Tamen dicta Abbatiſſa & moniales volentes & intendentes dictum ſuum locum S. Hieronymi uberioribus commodis provehi & honoribus decorari poſtulaverunt a predictis Plebano & Capitulo conceſſiones libertates & licentias infraſcriptas, videlicet Primò, quod dicte D.D. Abbatiſſa & Moniales libere & licite poſſent habere unum Cimiterium latitudinis quinquaginta paſſuum & longitudinis ſexaginta prout eis viſum fuerit penes Monaſterium ſituati in quo poſſint & valeant, qui ibi ſepulturam eligerint humari ſeu etiam ſepeliri tam de ipſa Parochia quam etiam aliunde. Salva tamen ipſis Plebano & Capitulo Canonica funeralium portione. Item quod ipſæ Dominæ Abbatiſſa

& Moniales poſſint & valeant in dicta earum Eccleſia facere celebrari, tam per earum Capellanum quam per alios Sacerdotes ſeculares & regulares ſingulis diebus cum nota & ſine tot miſſas quot voluerint pro libito voluntatis. Item quod dictæ D.D. Abbatiſſa & Moniales quæ ſunt & erunt pro tempore poſſint & valeant ſibi eligere Confeſſorem ſeu etiam Capellanum, qui eis & earum converſis ac familiaribus exhibeant Eccleſiaſtica Sacramenta absque contradictione prædictorum Plebani & Capituli, offerentes ſe pro recognitione prædictorum ponere ad Cameram impreſtitorum Communis Venetiarum tot denarios quod ipſi D.D. Plebani & Capitulum perpetuo ſingulis annis recipere valeant ſex ducatos auri. Itaque ipſe Domine Abbatiſſa & Moniales à preſtatione cere ſupradicte de cetero liberentur. Convenientibus itaque in unum dominabus Abbatiſſa & Monialibus dicti loci & Conventus in pleno & Generali Capitulo ad ſonum Campane loco Capitulari more ſolito & loco debito congregatis in quo quidem Capitulo interſuere Vener. Moniales D. Soror Laurencia Piombioli Abbatiſſa dicti Monaſterii D. Soror Agnes Leono D. Soror Magdalena de Stachis D. Soror Franceſchina de Mare D. Soror Zuanina Zugni D. Soror Juſtina Quirini D. Soror Maria de Commitibus D. Soror Anna Novi D. Soror Gracioſa Stelle D. Soror Franceſchina Trivixano D. Soror Cecilia Benedicta D. Soror Criſtina Pollani D. Soror Auguſtina de Laurenciis, D. Soror Catarina Contareno omnes moniales Profeſſe dicti loci & habentes vocem in Capitulo unanimiter & concorditer & nemine ipſarum diſcrepante, ſed pocius volentes & conſentientes ac conſtituentes totum Capitulum ex parte una & Vener. Viro D. Præsbitero Marco Bochaſſino Plebano Sanctorum Hermacore & Fortunati de Veneciis dicte Dioceſis, Præsb. Johanne de Apulia, Presb. Johanne Buxato, Præsb. Blaxio Marcello, & Marcho Alberto Diacono omnibus intitulatis in dicta Eccleſia, & habentes vocem in Capitulo ac conſtituentes totum Capitulum & in dicto loco Capitulariter congregati unanimiter & concorditer volentibus & conſentientibus & nemine ipſorum diſcrepante excepto predicto Præsb. Blaxio Marcello qui dixit & aſſeruit ſe non conſentire dictis pactis & convencionibus nulla tamen rationabili cauſa aſſignata ex parte altera. Supradicte D.D. Abbatiſſa & Moniales poſtulaverunt & requiſiverunt inſtanter a prefatis D. Plebano & Capitulo conceſſiones libertates & licentias ſupradictas oblata recognitione premiſſa. Qui D. Plebanus Sacerdotes & Capitulum ſupradicti facientes pro ſe & ſucceſſoribus ſuis diligenter deliberacione premiſſa omnes unanimiter & concorditer & nemine ipſorum diſcrepante excepto Presb. Blaxio qui dixit ut ſupra dederunt tribuerunt & conceſſerunt ſponte & ex certa ſcientia licentiam & plenariam libertatem dictis D. Abbatiſſe & Monialibus & ſucceſſoribus ſuis quod ipſe preſentialiter ſunt & que pro tempore fuerint poſſint & valeant ultra & preter libertates in ſupraſcripto inſtrumento fundacionis contentas libere & licite habere ſeu facere fieri. Primo unum Cimiterium latitudinis quinquaginta paſſuum & longitudinis ſexaginta prout eis viſum fuerit penes ipſum Monaſterium in quo valeant qui ibidem eligerint ſepulturam ſuam humari & ſepeliri tam de ipſa Parochia quam aliunde Salva tamen ipſis Plebano & Capitulo Canonica & conſueta porcione funeralium Parochianorum predicte Parochie ibidem ſepeliendorum dumtaxat que Canonica porcio taxatur & intelligitur eſſe dimidia omnium funeralium. Item quod poſſint in dicta earum Eccleſia celebrari facere tam per earum Capellanum quam per alios Sacerdotes ſeculares & regulares ſingulis diebus cum nota & ſine nota, tot Miſſas quot voluerint pro libito voluntatis. Item quod ipſe D.D. Abbatiſſa & Moniales quæ ſunt & erunt pro tempore poſſint & valeant ſibi eligere Confeſſorem ſeu Capellanum qui eis & earum converſis

& fa-

& familiaribus exhibeant Eccleſiaſtica Sacramenta ſine contradicione predictique Plebani & Capituli in ſignum vere recognitionis predictorum predicte D.D. Abbatiſſa & Moniales offerunt ſe, & ſic ſe obligaverunt immediate ponere ad Cameram Impreſtitorum communis Veneciarum tot denarios quod ipſi D.D. Plebanus & Capitulum & ſucceſſores ſui perpetuo ſingulis Annis recipiant & recipere poſſint ſex ducatos auri & hujusmodi in preſentia ſtatim ſcribantur ad opus & nomen predictorum D.D. Plebani & Capituli ita tamen quod ipſe D.D. Abbatiſſa & Moniales & earum ſucceſſores non teneantur de cætero ad dandum ipſis D.D. Plebano & Capitulo prædictas octo libras cere de qua in prædicto fundationis Inſtrumento fit mentio Ceteris vero aliis in dicto Inſtrumento contentis que his conceſſionibus & pactis non obſtarent in ſuo robore permanſuris. Inſuper dictas partes facientes pro ſe & ſucceſſoribus ſuis promiſſerunt ſibi ad invicem & michi Notario infraſcripto tanquam publice & autentice perſone ſtipulanti & recipienti nomine & vice partium prædictarum & quarumlibet earum, ac omnium aliorum & ſingulorum quorum intereſt intererit aut intereſſe poterit in futurum ſolemnibus ſtipulacionibus intervenientibus ſe ſemper habere & tenere omnia & ſingula ſupraſcripta firma rata & grata, & in aliquo premiſſorum non contrafacere vel venire per ſe vel per alios aliqua ratione vel cauſa ſub pena quinquaginta ducatorum auri ſolemni ſtipulacione premiſſa ut refectione damnorum intereſſe & expenſarum litis & extra que pena totiens committatur quotiens contrafactum fuerit applicando medietatem Camere D. . . . . Epiſcopi Caſtellani alia vero medietate parti ſervanti premiſſa. Qua pena ſoluta vel non nichilominus omnia predicta & ſingula in ſua permaneant firmitate ſub obligacione ſui & omnium ſuorum bonorum & dictarum Eccleſiarum & locorum mobilium & immobilium præſentium & futurorum. Quibus ſic pe-ractis in continenti pro parte parcium premiſſarum humiliter ſupplicatum fuit Ven. & egregio decretorum doctori D. Paulo de Candia Rev. in Chriſto Patris & Domini D. Leonardi Delphino Dei & Apoſtolice Sedis gratia Epiſcopi Caſtellani Vicario Generali ut prædictis pactis & convencionibus ac omnibus & ſingulis in eis contentis ſuam auctoritatem & decretum auctoritate ordinaria interponere dignaretur qui quidem prefatus D. Vicarius examinatis pactis & convencionibus predictis & attendens ipſa fore juridica & conſona rationi predictis pactis & conventionibus & omnibus & ſingulis in eis contentis auctoritate ordinaria qua fungimur in hac parte ſuam auctoritatem interpoſuit, & decretum de quibus omnibus & ſingulis dicte partes & qualibet earum petierunt eis & earum cuilibet per me notarium publicum publicum Inſtrumentum unum & plura ſecundum dictamen ſapientis confici inſtrumenta. Datum & actum Veneciis in Parochia Sanctorum Hermacore & Fortunati in Eccleſia ſive Monaſterio S. Jeronimi de Veneciis Caſtellane Dioceſis Anno Dominice Nativitatis Domini Noſtri Jeſu Chriſti milleſimo quadringenteſimo primo Indictione nona die Jovis decimo octavo Menſis Marcii. Tempore Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini Noſtri D. Bonifacii Divina providentia Pp. IX. ejusque Pontificatus Anno duodecimo. Preſentibus Nobili Viro D. Johanne Contareno S. Job D. Marino de Comitibus Civibus Venetiarum Franciſchino Fr. Nicolai de confinio S. Pauli, & Theodoro Notario qu: Antonii Ferraroli de Prandino Cive Vicentino, & aliis quam pluribus teſtibus ad hec vocatis ſpecialiter & rogatis. Et ad majorem cautelam & roboris firmitatem predictus D. Vicarius juſſit Sigilli Pontificalis ejusdem Domini . . . Epiſcopi impreſſione muniri.

Ego Franciſcus q. Jacobi Notarii de Brendulis publicus Imperiali auctoritate Notarius & civis Vincentinus ac Epiſcopalis Curie Caſtellane Scriba pre-

R 2 miſſis

miſſis pactis convencionibus & obligationibus decretique interpoſitioni ac omnibus aliis & ſingulis dum ſic ut premittitur agerentur & fierent una cum prenominatis teſtibus preſens interſui eaque rogatus ſcripſi & publicavi & in hanc publicam formam redegi ſignoque & nomine meis conſuetis ſignavi in fidem & teſtimonium omnium premiſſorum.

Martinus V. ad inſtaurationem Monaſterii S. Jeronimi permittit ut vota peregrinationum per novennium transmutari poſſint.

F.

1418. 9. Aprilis.

Ex Autographo in Monaſterio S. Hieronymi Venetiarum.

MArtinus Epiſcopus Servus Servorum Dei. Univerſis Chriſtifidelibus preſentes litteras inſpecturis Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Eccleſiarum fabricis manum porrigere adjutricem pium apud Deum & meritorium reputantes frequenter Chriſtifideles ad impendendum Eccleſiis ipſis auxilium noſtris litteris exhortamur, & ut ad id fideles ipſi eo fortius animentur quo magis ex hoc animarum commodum ſe ſperaverint adipiſci nonnunquam pro his temporalibus ſuffragiis ſpiritualia eis munera adſolutionis, videlicet indulgentias & remiſſiones peccaminum elargimur. Cum itaque ſicut accepimus Eccleſia Monaſterii Sancti Hieronymi de Venetiis ordinis Sancti Auguſtini Caſtellane Dioceſis, in quo dilecte in Chriſto filie Abbatiſſa & Conventus ſub regularibus inſtitutis ejuſdem Sancti Jeronimi in arcta clauſura preſtant Altiſſimo famulatum, & que adeo pauperes exiſtunt, ut ſolum ex piis Chriſtifidelium elemoſinis & largitionibus vivant jamdudum incepta fuerit ſolemni quidem opere & non modicum ſumptuoſo & hactenus ob hujuſmodi paupertatem compleri nequiverit, neque poſſit niſi eis ipſorum fidelium preſidia ſuffragentur. Nos cupientes ut Eccleſia ipſa congruis honoribus frequentetur, & ut Chriſtifideles ipſi eo libentius cauſa devotionis confluant ad eandem & ad ejus fabricam & conſervatione manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono celeſtis gratie conſpexerint uberius ſe refectos poſſintque per hujuſmodi caritatis ſuffragia & alia bona opera que Domino inſpirante perfecerint ad eterne felicitatis gaudia pervenire de Omnipotentis Dei miſericordia & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi omnibus & ſingulis perſonis utriusque ſexus tam ſecularibus quam regularibus ſub Dominio dilectorum filiorum Venetorum tantummodo conſtitutis que vota transmarine peregrinationis, (*a*) vel viſitandi limina S. Jacobi in Galitia aut S. Antonii de Vienna (*b*) emiſerunt vel forſan impoſterum emmittent ſi & poſtquam prefatis Abbatiſſe & Conventui vel ipſarum procuratoribus ad hoc ab eis ſpetialiter conſtitutis tantam pecunie ſummam ad fabricam ejuſdem Monaſterii erogaverint quantam in peregrinatione vel executione votorum hujuſmodi verisimiliter debuiſſent exponere ſi vota ipſa perſonaliter impleviſſent ſuper

(a) Transmarina peregrinatio erat ad loca ſancta Paleſtinæ Chriſti Domini laboribus, & ſanguine conſecrata.

(b) Celebres erant eo tempore, adeoque frequentes peregrinationes ad S. Jacobum Majorem Compoſtellæ in Galitia, & ad Sanctum Antonium Abbatem Viennæ in Gallia ob ipſorum venerandas exuvias, quæ iis in locis colebantur.

ſuper quibus ipſarum conſcientias volumus onerari ut peregrinatione & votis ipſis perpetuo maneant abſolute auctoritate apoſtolica tenore preſentium miſericorditer indulgemus. Preſentibus poſt Novem Annos minime valituris. Volumus autem quod ſi alias viſitantibus dictam Eccleſiam aut ad ejus fabricam & conſervacionem manus porrigentibus adjutrices aut alias inibi pias elemoſinas erogantibus ſeu alias aliqua alia indulgentia in perpetuum vel ad certum tempus jam vel nondum lapſum duratura per nos conceſſa fuerit preſentes littere nullius exiſtant roboris vel momenti. Datum Conſtantiæ v. Idus Aprilis Pontificatus noſtri Anno Primo:

G. de Callio.

Eugenius IV. prorogat facultatem a Martino V. conceſſam transmutandi vota ſacrarum peregrinationum in eleemoſinas Monaſterio S. Hieronymi Venetiarum erogandas.

G.

1434. 19. Januarii.

Ex Archivo Monaſterii S. Hieronymi Venetiarum.

EUgenius Epiſcopus Servus Servorum Dei Univerſis Chriſtifidelibus præſentes litteras inſpecturis Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Eccleſiarum fabricis manus porrigere adjutrices pium apud Deum & meritorium reputantes frequenter Chriſtifideles ad impendendum talibus opportunum auxilium noſtris litteris exortamur, ut ad id eo ferventius animentur, quo magis ex hiis animarum commodum ſe ſperaverint adipiſci nonnunquam pro hiis temporalibus ſuffragiis remiſſiones videlicet & indulgentias elargimur. Dudum ſiquidem per fel. rec. Martinum Pp. V. prædeceſſorem noſtrum accepto quod Eccleſia Monaſterii S. Hieronymi de Venetiis Ordinis S. Auguſtini Caſtellanæ Diœc. in ſuis ſtructuris & ædificiis nondum perfecta erat, quodque ad illius perfectionem hujusmodi propter ejusdem operis ſumptuoſitatem ipſius Monaſterii facultates minimè ſuppetebant. Idem tunc prædeceſſor ex certis cauſis tunc expreſſis omnibus & ſingulis utriusque ſexus tam ſecularibus quam regularibus ſub Dominio dilectorum Filiorum Communitatis Venetorum dumtaxat conſtitutis perſonis quæ vota transmarinæ peregrinationis, ſeu viſitandi limina S. Jacobi in Compoſtella aut S. Antonii Viennenſis emiſiſſent, vel forſan impoſterum emitterent ſi & poſtquam Abbatiſſæ & Conventui præfati Monaſterii, aut ipſarum procuratoribus ad hoc ab eis ſpecialiter conſtitutis tantam pecuniæ ſummam ad fabricam ejusdem Monaſterii erogaverint, quantam in peregrinatione aut exequtione votorum hujusmodi veriſimiliter exponere debuiſſent ſi vota ipſa perſonaliter impleviſſent, ſuper quibus ipſarum conſcientiam onerari voluit, ut à peregrinatione & votis ipſis perpetuò abſolute remanerent diverſarum litterarum ſuarum tenorem indulſit, prout in ipſis litteris quas ultra certum tunc expreſſum tempus minime valere voluit plenius continetur. Cum autem ſicut nuper accepimus licet tempus prædictum de proximo lapſum fuerit, tamen ad Eccleſiæ perfectionem hujusmodi magnis adhuc pecuniarum ſummis opus exiſtit, nec ad eisdem Monaſteriis ſuppetunt facultates ſuntque propterea fidelium ſuffragia plurimum opportuna. Nos cupientes

tes ut ſtructure & edificia hujusmodi debite perficiantur, & ut ipſi fideles eo promptius ad fabricam prædictam manus porrigant adjutrices, quo ex hiis dono celeſtis gratie uberius conſpexerint ſe refectos ſimilemque eis conceſſionem facere volentes de Omnipotentis Dei miſericordia & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi omnibus & ſingulis duntaxat ſub Domino hujusmodi conſtitutis perſonis quæ vota prædicta emiſerint vel impoſterum forſan emittent ſi etiam poſtquam Abbatiſſæ & Conventui præfactis pecuniam aſſignaverint & erogaverint ut prefertur ſuper quibus eorum conſcientias volumus onerari ut a peregrinatione & votis predictis remaneant abſolute auctoritate apoſtolica prædicta tenore præſentium indulgemus. Præſentibus poſt ſeptem annos minime valituris. Datum Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo trigeſimo quarto quartodecimo Kal. Febrarii Pontificatus noſtri anno quarto.

Jo: de Steccatis.

Franciſcus Maripetrus Epiſcopus Vincentinus publicari mandat litteras Eugenii Pp. IV. elargientis commutationem voti ſacrarum peregrinationum in eleemoſinas elargiendas Monaſterio S. Hieronymi Venetiarum.

Sine data. (*a*)

Ex Authographo in Archivo Monaſterii S. Hieronymi Venetiarum.

Franciſcus Malipetro Dei & Apoſtolice ſedis gratia Epiſcopus Vicentinus Dux comes & marchio. Univerſis & ſingulis Dominis Abbatibus Prioribus decanis prepoſitis Archipresbiteris plebanis ceteriſque Eccleſiarum Rectoribus & miniſtris In civitate & Dioceſi Vicentine conſtitutis ad quos preſentes advenerint ſalutem in Domino fructuoſam. Cum Sanctiſſimus in Chriſto Pater & Dominus Noſter D. Eugenius Divina providentia Papa quartus. Affectans fabricam & ſtructuram Monaſterii S. Geronimi poſſe ad perfectionem & neceſſarium complementum perduci certum indultum alias conceſſum Monaſterio predicto per pie memorie D. Martinum olim Papam Quintum predeceſſorem ſuum per ſuas litteras apoſtolicas uſque ad certum tempus pie & miſericorditer duxerit renovandum; videlicet quod omnes & ſingule utriusque ſexus tam ſeculares quam regulares ſub inclito Ducali Dominio Venetorum dumtaxat conſtitute perſone que vota transmarine peregrinationis ſeu viſitandi limina S. Jacobi in compoſtella aut S. Antonii Vienen. emiſiſſent vel forſitan inpoſterum emitterent ſi & poſtquam Abbatiſſe & conventui preſati Monaſterii S. Geronimi aut ipſarum procuratoribus ad hec ab eis ſpecialiter conſtitutis tantam pecunie ſummam ad fabricam ejusdem Monaſterii Errogaverint quantam in peregrinationem aut executionem votorum hujusmodi veriſimiliter exponere debuiſſent ſi vota ipſa perſonaliter impleviſſent ut a peregrinatione & votis ipſis perpetuo abſoluti remaneant ſicut in ipſis bullis apoſtolicis per nos viſis & lectis plenius continetur. Datum Florentiæ Anno Incarnationis Dominice milleſimo quadringenteſimo trigeſimo quarto XIV. Kal.

(a) Documentum hoc Chronicis notis carens veriſimiliter deducendum eſt ad annum 1434. quo Pontificium Eugenii IV. Diploma emanavit.

Kal. Februarii Pontificatus ſui anno quarto. Cumque conventus predictus mittat nuncium ſuum latorem preſentium commendabili & ſalutifero operi annuens ut dictas bullas apoſtolicas per civitatem & dioceſim Vincentin. Cunctis Chriſtifidelibus faciat eſſe notorias. Nos per ipſum nuncium inſtantius requiſiti tam comendabili & ſalutifero operi annuentes univerſitatem veſtram tenore preſentium requirimus & ortamur in Domino vobis nichilominus precipiendo mandantes quatenus in virtute Sancte obedientie easdem bullas apoſtolicas quas nuncius prenominati conventus vobis duxerit preſentandas debeatis in Eccleſiis veſtris etiam miſſarum ſolempniis quotiescumque ab ipſo nuncio fueritis requiſiti vel aliquis veſtrum fuerit requiſitus ſolempniter publicare ſeu facere publicari ut continentia ipſarum valeat ad noticiam Chriſtifidelium veriſimiliter pervenire. In quorum fidem & teſtimonium preſentes fieri juſſimus.

Guido decaſanavonus prefacti D. Epiſcopi Scriba & Notarius de mandato ſubſcripſi.

Eugenius IV. facultatem transmutandi vota Sacrarum peregrinationum in eleemoſynas Monaſterio S. Hieronymi Venetiarum erogandas ampliat ad decem perſonas exteras in Dominio Venetiarum tunc degentes.

H.

1438. 1. Septembris.

Ex Archivo Monaſterii S. Hieronymi Venetiarum.

EUgenius Epiſcopus Servus Servorum Dei univerſis Chriſtifidelibus præſentes litteras inſpecturis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Inter univerſa opera divinæ placita majeſtati fundare Cœnobium, in quo prudentes Virgines cupientes accenſis lampadibus obviam ire ſponſo mundanis illecebris ac mortalis vitæ thoro propulſis in illius qui precioſus eſt præ filiis hominum beneplacitis ſe coaptant gratiſſimum reputatur, quia in eo glorificatur Altiſſimus, & per innocentis vitæ merita ad æternæ fælicitatis gaudia pervenitur. Dudum ſiquidem per fælicis recordationis Martinum Papam V. prædeceſſorem noſtrum accepto, quod Eccleſia Monaſterii S. Hieronymi loci de Venetiis Ordinis S. Auguſtini Caſtellanæ Dioceſis in ſuis ſtructuris & ædificiis nondum perfecta erat, quodque ad illius perfectionem hujusmodi propter ejusdem operis ſumptuoſitatem ipſius Monaſterii facultates minimè ſuppetebant, idem prædeceſſor ex certis cauſis tunc expreſſis omnibus & ſingulis utriusque ſexus tam ſecularibus quam regularibus ſub Dominio Dilectorum filiorum Communitatis Venetorum dumtaxat conſtitutis perſonis quæ vota transmarinæ peregrinationis ſeu viſitandi limina S. Jacobi in Compoſtella aut S. Antonii Viennenſis emiſiſſent vel forſan impoſterum emitterent, ſi & poſtquam Abbatiſſæ & Conventui præfati Monaſterii aut ipſarum procuratoribus ad hoc ab eis ſpecialiter conſtitutis tantam pecuniæ ſummam ad fabricam ejusdem Monaſterii erogaſſent, quantam in peregrinatione aut executione votorum hujusmodi veriſimiliter exponere debuiſſent ſi vota ipſa perſonaliter impleviſſent ſuper quibus ipſarum conſcientias honeravit ut a peregrinatione & votis ipſis

ipſis perpetuò abſolute remanerent tenore diverſarum ſuarum litterarum, quas ultra certum tunc expreſſum tempus minimè valere voluit indulſit primò, & deinde cum nos qui dicto prædeceſſore ſicut Domino placuit vita functo fuimus divina favente clementia ad apicem ſummi apoſtolatus aſſumpti accepiſſemus quod licet tempus prædictum tunc de proximo lapſum eſſet tamen ad Eccleſiæ perfectionem hujusmodi magnis adhuc pecuniarum ſummis opus exiſterit & ad id ejusdem Monaſterii non ſuppeterent facultates eſſentque propterea fidelium ſuffragia plurimum opportuna per alias noſtras litteras, quas poſt ſeptem annos minime valere voluimus omnibus & ſingulis dumtaxat ſub dominio hujusmodi conſtitutis perſonis quæ vota prædicta emiſerint tunc vel impoſterum forſan emitterent ſi & poſtquam Abbatiſſæ & Conventui præſatis pecuniam aſſignaſſent & exigiſſent, ut præfertur, ſuper quibus eorum conſcientias voluimus onerari ut à peregrinatione & votis prædictis remanerent abſolute auctoritate Apoſtolica prædicta duximus indulgendum prout in omnibus prædictis litteris plenius continetur. Nos igitur cupientes ut opus prædictum fælicius & celerius interveniente pio ſuffragio noſtro ad debitum perducatur effectum indulgentiam abſolutionem & litteras prædictas etiam ad quascunque utriusque ſexus perſonas uſque ad numerum decem perſonarum dumtaxat ſub præfato Dominio etiam in dicto loco de Venetiis in præſenciarum quamvis cum propoſito recedendi moram trahentium & quas infra quattuor annos a die præſentium computando ex quavis cauſa venire, & quantocunque tempore reſidere contigerit etiam ſi poſtea ad inde receſerint quæ ad hujusmodi fabricam ſimilem pecuniarum ſummam pro ſimilibus peregrinationibus & votis per eas emiſſis, ac infra quattuor annos præfatos emittendis Abbatiſſæ & Conventui ſeu earum procuratoribus prædictis erogaverint & aſſignaverint ut præfertur eadem auctoritate Apoſtolica per præſentes extendimus decernentes eas propterea munera conceſſionum abſolutionum & indulgentiarum hujusmodi pari modo gaudere debere. Datum Ferrariæ anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo triceſimo octavo Kal. Septembris Pontificatus noſtri anno octavo.

Blondus.

Andreas Bono Abbas S. Gregorii Vicarius Petri Donati Epiſcopi Caſtellani Gratioſam de Stella electam Abbatiſſam S. Hieronymi Venetiarum confirmat.

I.

1427. 16. Martii.

Ex Autographo In Archivo Monaſterii S. Hieronymi Venetiarum.

ANdreas Bono Decretorum Doctor Abbas S. Gregorii de Veneciis Reverendiſſimi in Chriſto patris & Domini D. Petri Donato Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopi Venetiarum in ſpiritualibus & temporalibus Vicarius Generalis Dilectæ nobis in Chriſto Venerabili ac Religioſæ Dominæ Sorori Gratioſæ de Stella moniali profeſſæ Monaſterii S. Jeronymi ſimiliter de Venetiis Diooeſis Caſtellanæ; Salutem in Domino ſempiternam. Res illas omnes quæ ad eccleſiarum & monaſteriorum Dioceſis preſatæ ſalutem & conſervationem pertinere videntur illas etiam quæ benemeritis perſonis debentur ſummopere ſtudemus omni ſtudio labore & diligentia perficere quæ cognoſcimus

etiam

etiam in Eccleſiis & benemeritis perſonis ſatis digne convenire. Proinde cum vacante monaſterio prædicto ſua ſolita Abbatiſſa per mortem Ven. & religioſæ D. Sororis Laurentiæ Plumbiolo ultime & immediate ipſius Monaſterii Abbatiſſæ Tu Soror Gratioſa prædicta fueris per Capitulum dicti Monaſterii ad ipſum Abbatiſſatum canonice & ſolemniter electa, & deinde per Sindicum & procuratorem dicti Monaſterii & Capituli ad infraſcripta ſpecialiter conſtitutum electio tua per publicum Inſtrumentum Nobis fuerit præſentata. Edicto pro parte noſtra in prædicto Monaſterio publicato & in valvis ipſius Eccleſiæ patenter affixo nullo comparente in termino in ipſo præfixo ad contradicendum & opponendum. Informati primo quantum cultui divino aſſidue dediſti ſemper & das operam, & ſanctam veneraris Religionem deinde informati de integritate vitæ tuæ, & moribus, laudabili modeſtia & denique in omnibus rebus ſumma prudentia volentes tibi gratioſe & dicto Monaſterio utiliter providere prædictam electionem auctoritate nobis tradita & conceſſa à ſupraſcripto D. Epiſcopo Venetiarum tenore præſentium ratificamus confirmamus, & aprobamus. Tibique de ipſo Abbatiſſatu ſupraſcripti Monaſterii S. Jeronimi, ac omnibus juribus & jurisdictionibus ſuis tam ſpiritualibus quam temporalibus dicta auctoritate providemus teque coram nobis flexis genibus conſtitutam humiliter petentem & devote ſuſcipientem Chriſti nomine invocato ejusque glorioſiſſimæ Matris Virginis Mariæ ac B. Jeronymi dicta auctoritate de Abbatiſſatu juribusque & jurisdictionibus prædictis per anuli noſtri traditionem actualiter inveſtimus. Accepto prius à te corporali juramento quod fidelis eris & obediens præfato D. Epiſcopo Venetiarum & ſucceſſoribus ſuis canonice intrantibus quodque eorum grata ſervitia acceptabis, Caſtellanas nec non conſtitutiones obſervabis diligenter quascunqne. Dantes & concedentes tibi Sorori Gratioſæ præfatæ auctoritate qua ſupra curam regimen & adminiſtrationem, ac gubernationem ipſius Monaſterii omniumque & ſingulorum ejus jurium & jurisdictionum ac pertinentiarum ſpiritualium & temporalium eidem Monaſterio ſpectantibus & pertinentibus. Sperantes firmiter in eo qui bonorum omnium eſt largitor quod tu dictum Monaſterium curæ tuæ commiſſum ſalutaribus monitis imbuta & informata ad quod te vehementer ortamur ex animo taliter tua induſtria regere curabis quod apud Deum eternam retributionem mereberis & apud homines dignæ laudis præmia conſequeris. Mandantes ex nunc omnibus & ſingulis affictuariis reddituariis cenſuariis dicti Monaſterii & aliis omnibus quorum intereſt aut intereſſe poterit quomodolibet in futurum quatenus tibi de omnibus & ſingulis fructibus redditibus proventibus juribus & obventionibus univerſis ſpectantibus dicto Monaſterio quomodolibet debeant integraliter de cætero tanquam Abbatiſſæ reſpondere. In quorum teſtimonium ac præmiſſorum fidem has noſtras litteras fieri juſſimus & Pontificalis ſigilli dicti D. Epiſcopi Venetiarum appenſione muniri. Actum & datum Venetiis in Monaſterio ſupraſcripto in Eccleſia interiori ipſius Monaſterii. Præſentibus Venerabilibus & circumſpectis Viris D.D. Præsbyteris Michaele S. Angeli, Marco Placentino S. Apolinaris, & Marco Tagiapetra S. Joannis Griſoſtomi Eccleſiarum de Venetiis ſupraſcriptæ Diocesis Caſtellanæ Plebanis, ac nobilibus & egregiis viris D.D. Antonio de Molino qu: D. Jacobi de Parochia S. Mariæ Magdalenæ, & Victore Bragadino de Parochia SS. Apoſtolorum ambobus Civibus Venetiarum teſtibus ad præmiſſa vocatis & rogatis. Anno Dominicæ Nativitatis milleſimo quadringenteſimo vigeſimo ſeptimo Indictione Quinta die ſexta decima menſis Martii Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini Noſtri D. Martini Divina providentia Pp. V. Anno Decimo.

Andreas Bono Abbas S. Gregorii Vicarius Petri Donati Epiſcopi Caſtellani Gratioſam de Stella electam Abbatiſſam S. Hieronymi Venetiarum inducit in poſſeſſionem Abbatiſſatus.

1427. 16. Martii.

Ex Authographo in Archivo Monaſterii S. Hieronymi Venetiarum.

IN Chriſti nomine Amen Anno ab ejusdem nativitate mileſimo quadringenteſimo vigeſimo ſeptimo Indictione quinta die ſextadecima menſis Martii Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri D. Martini divina providentia Pp. V. Anno decimo. Pateat omnibus evidenter hoc preſens publicum inſtrumentum inſpecturis qualiter Rev. in Chriſto pater decretorum doctor D. Andreas Bono Abbas S. Gregorii de Venetiis Reverendiſſimi in Chriſto Patris & Domini D. Petri Donato Dei & Apoſtolice Sedis gratia Epiſcopi Venetiarum in ſpiritualibus & temporalibus Vicarius Generalis cum hodie inveſtiverit Ven. & honeſtiſſimam Dominam D. Sororem Gratioſam de Stella de Abbatiſſatu Monaſterii Monialium S. Hieronymi etiam de Venetiis Dioceſis Caſtellane ac de omnibus juribus & juriſdictionibus ipſius Abbatiſſatus tam ſpiritualibus quam temporalibus vacantis per obitum quondam Ven. & Religioſe D. Sororis Laurentie Plumbiolo ultime & immediate dicti Monaſterii Abbatiſſe ut patet per litteras ipſius D. Vicarii ſcriptas manu mei Gaſparini notarii infraſcripti mileſimo menſe inditione & die ſupraſcriptis volens ipſe D. Vicarius dictam inveſtituram ad effectum deducere acceſſit perſonaliter ad dictum Monaſterium S. Jeronimi & prefatam D. Sororem Gratioſam Abbatiſſam memoratam auctoritate ſibi tradita & conceſſa per ſupraſcriptum D. Epiſcopum Venetiarum, & omni alio meliori modo via jure & forma quibus magis & melius potuit & valuit de jure poſuit auſit ac induxit ipſam Ven. Dominam D. Sororem Gratioſam Abbatiſſam ſepedictam in corporalem realem & actualem poſſeſſionem vel quaſi Abbatiſſatus ipſius Monaſterii ac omnium ejus & ſingulorum jurium & juriſdictionum præfatarum per pannum majoris Altaris Eccleſie dicti Monaſterii, ſedem in choro & in Capitulo & per aſſignationem clavium in manibus dicte D. Sororis Gratioſe Abbatiſſe Monaſterii & Eccleſie ſupraſcriptorum in ſignum vere poſſeſſionis & tenute poſtque omnes moniales dicti Monaſterii profeſſe & non profeſſe atque converſe ad preſentiam prefate D. Abbatiſſe humiliter accedentes ipſam genibus flexis ad oſculum pacis in ſuam ac dicti Monaſterii Abbatiſſam ſuſceperunt quibus peractis nonnulli Ven. D.D. Plebani Dioceſis ſupraſcripte & clerici ibidem aſtantes, Te Deum laudamus cum aliis orationibus devotiſſime decantarunt que quidem D. Soror Gratioſa dictam poſſeſſionem tamquam Abbatiſſa prefata animo illam retinendi gratanter acceptavit. Mandans ipſe D. Vicarius mihi notario infraſcripto ut de predictis omnibus publicum conficiam inſtrumentum. Actum Venetiis in dicto Monaſterio & Eccleſia interiori ipſius Monaſterii preſentibus Venerabilibus & circumſpectis Viris D.D. Presbyteris Michaele S. Angeli, Marco Placentino S. Apolinaris & Marco Tajapetra S. Jo: Griſoſtomi Eccleſiarum de Venetiis ſupradicte Caſtellane Dioceſis Plebanis ac nobilibus & egregiis viris D.D. Antonio de Molino qu: D. Jacobi de Parochia S. Marie Magdalene & Victore Bragadino de Parochia SS. Apoſtolorum ambobus civibus Venetiarum teſtibus ad promiſſa vocatis & rogatis.

Ego Gaſparinus Marci de Venetiis Publicus Imperiali auctoritate Notarius Curie-

Curieque Epiſcopalis Caſtellane Scriba Cancellarius predictis omnibus preſens fui & ea rogatus ſcripſi & publicavi. In quorum teſtimonium & fidem me ſubſcripſi ſignumque meum appoſui conſuetum.

Divus Laurentius Juſtinianus Epiſcopus Caſtellanus executioni mandat litteras Eugenii Pp. IV. quibus Monaſterium S. Andreæ de Aymanis Torcellanæ Dioceſis unitur perpetuo & incorporatur Monaſterio S. Hieronymi Venetianum.

K.

1436. 4. Januarii Conceſſæ.

1436. 27. Januarii Executæ.

Ex Autographo in Archivo Monaſterii S. Hieronymi Venetiarum.

Laurentius Juſtiniano Dei, & Apoſtolice Sedis gratia Epiſcopus Caſtellanus Judex & exequtor Apoſtolicus unicus ad infraſcripta ſpecialiter deputatus. Univerſis ac ſingulis preſentem noſtrum proceſſum inſpecturi ſalutem in Domino ſempiternam. Noveritis qualiter coram nobis comparuit & ſe perſonaliter preſentavit ſpectabilis & generoſus vir Dominus Alexander Georgio (a) tamquam procuratore & procuratorio nomine Reverende Domine Abbatiſſe & venerabilium Dominarum monialium ac Monaſterii & Conventum Sancti Hieronymi de Venetiis Caſtellane Dieceſis, & in preſentia Notarii Publici ac teſtium ad hoc ſpecialiter rogatorum nobis exhibuit ac preſentavit litteras Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini Domini noſtri Eugenii Divina providentia Pape quarti ſanas quidem, & integras non vitiatas non maculatas non ſuſpectas non abraſas ſed omni prorſus vitio & ſuſpitione carentes Bulla quidem Plumbea ad cordulas canapis more Romane curie impendenti munitas, ſana quidem & integra, quas quidem litteras Apoſtolicas nos cum ea qua decuit reverentia recepimus tenore infraſcriptum de verbo ad verbum continentes:

Eugenius Epiſcopus Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Epiſcopo Caſtellano ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Etſi de ſingulari Eccleſiaſticarum perſonarum ſtatu feliciter conſervando aſſidua meditatione pulſemur, illarum tamen neceſſitatibus, que prudentum virginum more mundanis abjectis illecebris, virginitatem ſuam Virginis filio devoventes ſe parant accenſis lampadibus obviam ire ſponſo tanto propenſiore ſtudio providere nos convenit, quanto ille propter fragilitatem ſexus majori noſcuntur ſuffragio indigere. Sane pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Abbatiſſe & Conventus Monaſterii Sancti Hieronymi de Venetiis Ordinis S. Auguſtini tue Dieceſis nobis

(a) Alexander Georgio Patritius Venetus in decreto Divi Laurentii Procurator Monaſterii S. Hieronymi appellatus in hac Eccleſia ſibi emortualem requiem elegit accepta prius à Martino Papa V. facultate *in aliqua Eccleſiarum in civitate Venetiarum exiſtentium* ſibi Eccleſiaſticam ſepulturam eligendi. Diploma Martini datum Romæ Anno MCCCCXXIII. die xxvi. Octobris diſciplinam Eccleſiaſticam ejus temporis circa Defunctos in Eccleſiis tumulandos connotat. Dabitur in calce hujus documenti.

nobis nuper exibita petitio continebat, quod cum in dicto Monaſterio Quadraginta ſex vel circa monialium dictum ordinem expreſſe profeſſarum numerus inpreſentiarum exiſtat; ac in ipſo Monaſterio quod in ſuis edificiis & ſtructuris nondum complectum eſt, decem octo dumtaxat Celle ſint, Abbatiſſa & preſate ibidem commode habitare, atque alias ex illius facultatibus, que admodum tenues & exiles ſunt, absque piis Chriſti fidelium elemoſinis ſe ſuſtentare & alia eis incumbentia onera ſupportare non poſſunt, & ſi Monaſterium Sancti Andree de Ymanis Ordinis Sancti Benedicti per Priorem ſolitum gubernari Torcellane Diecceſis, quod propter paludoſi in quo ſitum eſt loci intemperiem, a pluribus Annis citra Monachis & Conventu caruit & depreſſum caret, ac a nullo alio Monaſterio, vel regulari loco dependet, ſuppreſſis & extintis in eo Ordine Sancti Benedicti & Priorali dignitate hujusmodi eidem Monaſterio Sancti Hieronymi, a quo fere per ſex miliaria diſtat, perpetuo uniretur annecteretur, & incorporeretur, Abbatiſſa & Conventus preſate circa perfectione edificiorum & ſtructurarum hujusmodi efficaciter intendere, ſe quoque ſuſtentare & hujusmodi onera perficere comodius poſſent. Quare pro parte dictarum Abbatiſſe & Conventus, aſſerentium quod Sancti Hieronymi Vigintiquinque necnon Sancti Andree Monaſterium predictorum centum & Octuaginta florenorum auri de Camera fructus redditus & proventus ſecundum communem extimatione valorem annui non excedunt, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis ſuper hiis oportune providere de benignirate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur de premiſſis certam notitiam non habentes, hujusmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tue per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus de premiſſis auctoritate noſtra te diligenter informes, & ſi per informatione hujusmodi ita eſſe repereris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, Monaſterium Sancti Andree preſatum, cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis eidem Monaſterio Sancti Hieronymi, auctoritate preſata in perpetuo unias incorpores & annectas ita quod cedente vel decedente moderno Priore dicti Monaſterii Sancti Andree, vel illud alias quomodolibet dimittente liceat dictis Abbatiſſe, & Conventui corporalem ejusdem Monaſterii Sancti Andree poſſeſſionem auctoritate propria libere aprehendere & perpetuo retinere, ac hujusmodi illius fructus redditus & proventus in perfectionem & fabricam dicti Monaſterii Santi Hieronymi aliosque ſuos & eosdem Monaſteriorum uſus convertere & habere, alicujus ſuper hoc licentia minime requiſita, non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis necnon Monaſteriorum & ordinis predictorum juramento confirmatione Apoſtolica vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus ceteriſque contrariis quibuscumque, aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de Prioratu ſpeciales vel aliis beneficiis Eccleſiaſticis in illis partibus Generales Apoſtolice Sedis vel legatorum ejus litteras impetrarint etiamſi per eas ad inibitionem reſervationem & decretum vel alias quomodolibet fit proceſſum, quos quidem litteras & proceſſus habitos per easdem ac quecumque inde ſecuta, ad Prioratum Monaſterii Sancti Andree hujusmodi volumus non extendi, ſed nullum per hoc eis quo ad aſſecutionem Prioratuum aut beneficiorum aliorum prejudicium generari, & quibuslibet privilegiis indulgentiis & litteris Apoſtolicis Generalibus vel ſpetialibus quorumque tenoris exiſtant, per que preſentibus non expreſſa vel totaliter non inſerta effectus earum impediri valeat quomolibet vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus habenda ſit in meis litteris mentio ſpetialis proviſio tamen quod dictum Monaſterium Sancti Andree debitis propterea non fraudetur obſequiis, ſed congrue ſupportentur ejus onera conſueta, nos enim ex nunc irritum decernimus & inane ſi ſecus

ſuper

ſuper hiis a quo quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attempari.

Data Bononie Anno Incarnationis Dominice milleſimo quadragenteſimo triceſimo ſexto pridie Non. Januarii Pontificatus noſtri Anno ſexto.

Poſt quam quidem litterarum Apoſtolicarum preſentationem & receptionem fuimus per prefatum Dominum Alexandrum debita cum inſtantia dicto nomine requiſiti quatenus ad ipſarum litterarum Apoſtolicarum debitam precedere dignaremur exequtionem juxta ipſam litterarum Apoſtolicarum formam & tenorem. Nos igitur Laurentius Epiſcopus & exequtor prefatus attendentes requiſitionem hujuſmodi fore juſtam & rationi conſonantem volentes mandatum Apoſtolicum nobis in hac parte directum, ut tenemur exequi diligentem ſuper premiſſis omnibus & ſingulis informationem habere volumus & quia predicta omnia & ſingula per perſonas fide dignas ſic eſſe & ſtare invenimus prout Sanctiſſimo Domino meo Pape porrecta & ſupplicata fuerunt. Idcirco auctoritate Apoſtolica nobis in hac parte tradita & conceſſa ex nunc pro ut tenemur ſupprimimus, & extinguimus nomen, & Ordinem Sancti Benedicti in dicto Monaſterio Sancti Andree de Himanis ita quod cedente, vel decedente moderno Priore Sancti Andree de Himanis, vel alias quomodolibet dimittente, liceat dictis Abbatiſſe & conventui Sancti Hieronymi corporaliter ejuſdem Monaſterii Sancti Andree de Himanis, poſſeſſionem auctoritate propria libere apprendere & perpetuo retinere. Ac hujuſmodi illic fructuorum reditum & proventum in perfectionem & fabricam dicti Monaſterii S. Hieronymi, aliosque ſuos & eorumdem Monaſteriorum uſus convertere & habere aliorum ſuper hoc licentia minimé requiſita. Et hec auctor. Apoſtolica nobis in hac parte tradita & conceſſa ducimus & pronuntiamus & fieri volumus & mandamus. Mandantes inſuper auctor. Apoſtolica nobis in hac parte conceſſa dictum Monaſterium S. Andree de Himanis perpetuo uniendum annectendum & incorporandum eſſe dicto Monaſterio & conventui S. Hieronymi de Venetiis, & auctoritate nobis tradita unimus annectimus & incorporamus, inſuper mandantes dicte Abbatiſſe & conventui Sancti Hieronymi pro tempore exiſtentibus; quatenus taliter dicto Monaſterio Sancti Andree de Himani providere debeant, ne ſuis fraudetur obſequiis; quinimo ſua onera congrue, & debite continue ſupportentur: In quorum omnium & ſingulorum fidem preſentem proceſſum fieri juſſimus per Filippum de Camutiis notarium & curie mee Caſtellanæ infraſcriptum ac mei pontificalis ſigilli appenſione muniri mandavimus. Datum Venetiis in Epiſcopali Palatio Caſtellano in camera dicti Epiſcopi preſentibus venerabilibus viris Dominis Presbiteris Petro de Peruſio Reverediſſimi D. Epiſcopi predicti Capellano & Joanne de Pago Eccleſie Caſtellane Manſionario teſtibus ad premiſſa habitis, vocatis, & rogatis & aliis, Anno Dominice Nat. milleſimo quadrigenteſimo trigeſimo ſeptimo Inditione XV. die vigeſimo ſeptimo menſis Jannuarii. Pontificatus in Chriſto Patris & Domini, Domini noſtri Eugenii Divina providentia Pape quarti Anno ſexto.

Ego Filippus q: Tomei de Camuciis civis & habitator Venetiarum. In contrata S. Petri de Caſtello publicus Imperiali auctoritate notarius & judex ordinarius curieque Caſtellane predictis omnibus & ſingulis interſui & ea rogatus ſcripſi meque in permiſſorum fidem ſubſcripſi.

Martinus Epiſcopus Servus Servorum Dei Dilecto filio nobili viro Alexandro Georgii civi Venetiarum Caſtellanenſis Diœceſis & dilectæ in Chriſto filiæ nobili mulieri N. ejus in præſentiarum uxori ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Sinceræ devotionis affectus quem ad nos & Romanam geritis Eccleſiam non indigne meretur ut petitionibus veſtris illis præſertim quas ex devotionis fervore prodire conſpicimus, quantum cum Deo poſſumus favorabiliter annuamus. Veſtris itaque ſupplicatio-

catio-

cationibus inclinati vobis & cuilibet veſtrum ut ſepulturam Eccleſiaſticam in aliqua Eccleſiarum in civitate Venetiarum exiſtentium quam quilibet veſtrum juxta conſcientiæ ſuæ deſiderium ſibi convenientem fore reputaverit, eligere, & inibi ſepeliri facere Diœceſani loci, & alterius cujuſcunque licentia minime requiſita, libere & licite valeatis, devotioni veſtræ auctoritate Apoſtolica tenore præſentium, licentiam elargimur, Conſtitutionibus Apoſtolicis, nec non ſtatutis provincialibus & ſynodalibus, ac aliis contrariis non obſtantibus quibuſcunque. Jure tamen Parrochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Dat. Romæ apud Sanctam Maria Majorem VII. Kal. Novembris Pontificatus Noſtri Anno ſeptimo.

Cincius.

Divus Laurentius Juſtinianus Epiſcopus Caſtellanus Ceciliam de Benedictis electam Abbatiſſam S. Hieronymi Venetiarum ordinaria auctoritate confirmat.

L.

1446. 19. Julii.

Ex Archivo Monaſterii S. Hieronymi Venetiarum.

LAurentius Juſtinianus Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Caſtellanus. Dilectæ nobis in Chriſto Sorori Ciciliæ Benedicto Moniali Monaſterii Venerabilium Dominarum Sancti Hieronymi de Venetiis Ordinis Sancti Auguſtini Noſtræ Caſtellanæ Dioceſis Salutem in Domino ſempiternam. Ex injuncto nobis paſtoralis officio aſſidua ſolicitudine angimur, ut Eccleſiis & Monaſteriis omnibus quorum cura nobis iminet Generalis, illis præſertim, quæ vacationis incommoda deplorare noſcuntur per noſtræ operationis miniſterium de celeris proviſionis remedio utiliter & ſalubriter conſulatur. Cum itaque Monaſterium S. Hieronymi prædictum cui quondam Venerabilis ac Religioſa Domina Soror Gratioſa Stella ipſius Monaſterii Abbatiſſa dum viveret præſidebat, per obitum ipſius Sororis Gratioſæ Abbatiſſæ quæ nuper diem ſuum clauſit extremum ad præſens Abbatiſſæ regimine deſtitutum exiſtat. Tu Soror Cecilia monialis prædicta ad dictum Monaſterium per Capitulum & conventum dicti Monaſterii electa fuiſti & per nuntium proprium dicti Monaſterii ad hoc ſpecialiter inſtitutum dicta electio nobis extitit preſentata & ſucceſſive petita confirmatio per eumdem Noſque volentes juris Ordinem & Sacros Canones imitari litteras noſtras monitorias ſive edictum publicum noſtri parte ad valvas Eccleſie Monaſterii predicti patenter affigi fecimus ſub certo termino ſtabilito. Cujus edicti tenor ſequitur & eſt talis. Laurentius Juſtinianus Dei & Apoſtolice Sedis gratia Epiſcopus Caſtellanus Univerſis & ſingulis Venerabilibus Dominabus Monaſterii S. Hieronymi de Venetiis noſtræ Caſtellanæ Dioceſis Ordinis Sancti Auguſtini omnibusque ſingulis utriusque ſexus hominibus quos preſens tangit negotium vel tangere poterit quomodolibet in futurum ſalutem in Domino ſempiternam. Noveritis qualiter vacan-

vacante Monaſterio S. Hieronymi de Venetiis noſtræ Caſtellanæ Dioceſis per obitum Vener. Sororis Gratioſæ ipſius Monaſterii Abbatiſſæ quæ nuper diem ſuum clauſit extremum ad dictum Monaſterium Abbatiſſa electa fuit Soror Cicilia Benedicto per Capitulum & Conventum ejusdem Monaſterii & per nuntium proprium dicti Monaſterii nobis extitit electio preſentata & petita confirmatio per eumdem. Nosque volentes juris Ordinem & Sacros Canones imitari edictum publicum citatorium ad valvas Eccleſiæ dicti Monaſterii patenter affigi fecimus vos omnes & ſingulas moniales Monaſterii antedicti aliasque omnes & ſingulas utriusque ſexus perſonas quas preſens tangit negotium vel tangere poterit quomodolibet in futurum tenore preſentium citamus requirimus & monemus quatenus infra ſpatium trium dierum a die affixionis preſentium connumerandorum quorum trium dierum unum pro primo unum pro ſecundo reliquum tertium pro tertio & ultimo ac peremptorio termino ac trina canonica monitione premiſſa aſſignamus vobis & veſtrum cuilibet comparere debeatis coram nobis in noſtro Epiſcopali Palatio Caſtellano per vos vel per alium, hora juridica ad dicendum & opponendum ſi quid dicere & opponere volueritis quare non debeamus prædictam electionem confirmare, & ad alia in ejus executionem procedere prout de jure tenemur & fuerimus requiſiti. Alioquin elapſo termino prædicto procedemus ad confirmandum electionem prædictam tanquam canonice celebratam, & ad reliqua prout poſtulat ordo juris veſtra abſentia ſeu contumacia non obſtante & vobis ulterius non citatis monitis nec requiſitis. In quorum teſtimonium preſentes littere ſive edictum fieri juſſimus & ſigilli noſtri impreſſione muniri & valvis Eccleſiæ prædictæ patenter affigi juſſimus per aliquem ex Nuntiis Caſtellanis de quarum litterarum affixione dabimus eidem noſtro Nuntio plenam fidem. Data in Epiſcopali Palatio Caſtellano die XIII. Julii MCCCCXLVI.

Die vero quintadecima antedicti menſis Presb. Dominicus S. Johannis Decollati Nuntius Caſtellanus retulit nobis ſe in preſentia fide dignorum teſtium de noſtro mandato affixiſſe litteras antedictas valvis Eccleſiæ antedictæ. Die vero decimanona preſentis menſis Julii per nuntium proprium dictæ D. Electæ & Monaſterii antedicti coram nobis accuſata fuit contumacia omnium & ſingulorum ſuperius citatorum non comparentium ullo modo & petita fuit nobis confirmatio electionis prædictæ & petitum fuit procedi per nos debere ad reliqua ut poſtulat ordo juris prout hæc omnia & ſingula in actis Curiæ noſtræ clare patent. Nos igitur cupientes eidem Monaſterio ne vacationis incomoda ſuſtineat de perſona ſecundum cor noſtrum utili & ydonea per quam circumſpecte regi & ſalubriter dirigi valeat providere ac de meritis & ydoneitate tuis Sororis Ciciliæ prædictæ apud nos de Religionis zelo vitæ munditia honeſtate morum ſpiritualium providentia & temporalium circumſpectione aliisque probitatis & virtutum meritis multipliciter commendaris plenario informati. Volentes tibi præmiſſorum meritorum tuorum intuitu gratioſe & dicto Monaſterio utiliter & ſalubriter providere: Antedicto Monaſterio S. Hieronymi vacante ut premittitur ad quod ſolent Abbatiſſæ per electionem aſſummi cujusque proviſio & inſtitutio ad nos tanquam immediate ſuperiorem juridice ſpectant de perſona tua Soror Cicilia electa prædicta auctoritate noſtra ordinaria providemus electionem de te factam tanquam Canonice celebratam confirmantes Teque Sororem Ciciliam eidem Monaſterio S. Hieronymi prædicto auctoritate eadem præficimus Abbatiſſam curam regimen & adminiſtrationem & gubernationem dicti Monaſterii in ſpiritualibus & temporalibus plenarie committendo. Teque Sororem Ciciliam Abbatiſſam prefatam coram nobis flexis genibus exiſtentem humiliter ac devote ſuſcipientem de dicto Monaſterio S. Hieronymi & ejus

juri-

juribus ac juriſdictionibus & pertinentiis univerſis per anuli noſtri impoſitionem actualiter inveſtimus. Inducentes te Sororem Ciciliam Abbatiſſam prefatam in tenutam & corporalem poſſeſſionem dicti Monaſterii per panni majoris altaris tactum & aſſignantes tibi ſtalum Abbatiſſalem in choro & locum in Capitulo, & tradentes tibi claves Monaſterii & Eccleſiæ antedictæ aperiendo & claudendo, & ſonando campanam in ſignum realis & actualis poſſeſſionis dictorum Monaſterii & ejus jurium traditæ & animo apprehenſæ. Mandamus præterea omnibus & ſingulis dominabus monialibus Profeſſis & non Profeſſis in dicto Monaſterio commorantibus quatenus in vigore ſanctæ obedientiæ ipſam Dominam Abbatiſſam recipere & admittere debeatis in & pro veſtra Abbatiſſa, ſibique exhibeatis debitas reverentiam obedientiam & honorem. Mandamus inſuper omnibus & ſingulis affictuariis reddituariis colonis & agricolis ac ſubditis dicti Monaſterii quatenus eidem Dominæ Abbatiſſæ aut ejus nuntio Caſtaldioni vel ſindico dicti Monaſterii de fructibus redditibus proventibus & obventionibus decimis elemoſinis & aliis debitis integralem reſpondeant, & faciant quantum in eis eſt integraliter reſponderi. Munus vero benedictionis & juramenti delationem per ipſam Dominam Abbatiſſam ſubeundum nobis impoſterum reſervamus. In quorum teſtimonium preſentes litteras noſtras ſive proceſſum fieri juſſimus & Pontificalis ſigilli noſtri bullo appenſione muniri. Actum & datum in Monaſterio prædicto Sancti Hieronymi de Venetiis præſentibus Rever. Patre Domino Andrea Bono Abbate S. Gregorii de Venetiis Vicario Caſtellano, Venerabilibusque Viris Præsb. Dominico a Fornacibus Archidiacono Presb. Rogerio Archipræsbytero ac Præsb. Daniele Catena Primicerio Caſtellanis teſtibus vocatis habitis & rogatis die decimanona menſis Julii Anno Nativitatis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo ſexto Pontificatus Sanctiſſimi Domini Noſtri D. Eugenii Divina providentia Pp. IIII. Anno decimo ſexto.

Antonius de Bagno Canc.

Divus Laurentius Juſtinianus Epiſcopus Caſtellanus Magdalenam Contarenam electam Abbatiſſam S. Hieronymi Venetiarum ordinaria auctoritate confirmat.

M.

1450. 22. Septembris.

Ex Autographo in Archivo Monaſteriii S. Hieronymi Venetiarum.

LAurentius Juſtinianus Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Venetiarum Caſtellanus aliter nuncupatus. Dilecte in Chriſto Venerabili ac Religioſe Domine Sorori Magdalene Contareno Moniali Monaſterii Sancti Hieronymi Ordinis Sancti Auguſtini de Venetiis noſtre Caſtellane Dioceſis ſalutem in Domino ſempiternam. Morum ac vite honeſtas religionis zelus aliaque veſtre probitatis & virtutum merita quibus apud nos fidedigno plurimorum teſtimonio multipliciter commendamini nos inducunt ut vobis reddamur ad gratiam liberales. Vacante itaque nuper Abbatiſſatu Monaſterii antedicti per obitum Ven. Domine Cicilie Benedicto que dictum Abbatiſſatum ultima & immediata tenuit & poſſedit cujus proviſio & inſtitutio ad nos ſpectat & pertinet ordinario jure. Et vos D. Soror Magdalena per Capitulum

lum & Conventum dicti Monaſterii fuiſtis ad dictum Abbatiſſatum concorditer electa & dicta electio per nuntium dicti Conventus nobis extitit preſentata & petita nobis confirmatio ipſius Noſque volentes procedere previa ratione & non tam cito ut ait Apoſtolus manum confirmationis apponere edictum publicum monitorium noſtri parte ad valvas Eccleſiæ affigi fecimus infra certum terminum jam elapſum in quo nemo comparuit contradicens, & accuſata eſt contumacia omnium monitorum non comparentium & petita fuit confirmatio electionis, & reliqua prout poſtulat ordo juris, que omnia in actis curie noſtre manifeſte apparent. Nos volentes vobis D. Sorori Magdalene premiſſarum virtutum veſtrarum intuitu & dictis Monaſterio & Conventui gratioſe & utiliter providere electionem de veſtra perſona factam legitime confirmamus & de perſona veſtra eidem merito providemus & Abbatiſſatum predictum vacantem ut premittitur cum omnibus ſuis juribus & pertinentiis ſpiritualibus & temporalibus vobis conferimus & aſſignamus. Curam regimen & adminiſtrationem in ſpiritualibus & temporalibus dictorum Monaſterii & Conventus plenarie vobis committimus ſpem certam in Domino obtinentes quod Domino operante ſub veſtre prudentie regimine & gubernatione quiete & pacifice divino cultui intendetur & debitus reddetur Domino famulatus. Ceteraque Monaſterii bona in dies procedent de bono in melius proſperando. Voſque prefatam Sororem Magdalenam coram nobis flexis genibus exiſtentem humiliter & devote recipientem per anuli noſtri impoſitionem de Abbatiſſatu predicto & ejus juribus & pertinentiis actualiter inveſtimus & vos conſtituimus & facimus Abbatiſſam mandantes univerſis & ſingulis Dominabus Monialibus Profeſſis & aliis in dicto Monaſterio exiſtentibus non Profeſſis omnibusque aliis quatenus amodo in antea vos pro Abbatiſſa habeant & recipiant vobiſque D. Abbatiſſe continue impendant debitas obedientiam & reverentiam & honorem. Et ut hujusmodi proviſio noſtra atque inſtitutio ſuum debitum conſequantur effectum vos D. Abbatiſſam predictam ponimus mittimus & inducimus in tenutam & corporalem poſſeſſionem vel quaſi Monaſterii & Conventus prædictorum ſuorumque jurium & pertinentiarum pleno jure per tactum panni Altaris majoris per aſſignationem ſtalli in choro & locum in Capitulo ejusdem nos vobis tradendo claves Eccleſie Sacriſtie & Monaſterii ipſius in ſignum vere & pacifice poſſeſſionis tradite Monaſterium Conventum & ejus res & bona atque jura in Domino committendo ad plenum. In quorum omnium fidem & teſtimonium preſentes litteras fieri juſſimus & Pontificalis ſigilli noſtri appenſione muniri & apud vos D. Abbatiſſam perpetuo remanere volumus. Actum & Datum Venetiis in Eccleſia Monaſterii S. Hieronymi ſive in ipſo Monaſterio preſentibus Venerabilibus Viris D. Presb. Rogerio Cataldo Archipresbitero Caſtellano D. Presb. Daniele Catena primicerio Caſtellano ac D. Presb. Gregorio Polo Caſtellano Canonico ac ipſius D. Epiſcopi Capellano teſtibus vocatis habitis & rogatis. Et plurimis aliis tum Plebanis tum Spectabilib. D.D. Patriciis Venet. die Martis vigeſimo ſecundo menſis Septembris Anno Dominice Nativitatis milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo Jubilei. Pontificatus Sanctiſſimi Domini Noſtri D. Nicolai Divina providentia Pp. V. Anno quarto.

Antonius de Bagno Canc. Caſtell.

Nicolaus Pp. V. elargitur Indulgentias erogantibus eleemoſinas Monaſterio S. Hieronymi Venetiarum.

N.

1454. 4. Aprilis.

Ex Authographo in Archivo Monaſterii S. Hieronymi Venetiarum.

Nicolaus Epiſcopus Servus Servorum Dei. Univerſis Chriſtifidelibus preſentes litteras inſpecturis Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Splendor paterne glorie qui ſua mundum illuminat ineffabili claritate pia vota fidelium de clementiſſima ipſius majeſtate ſperantium tunc precipue benigno favore proſequitur cum devota ipſorum humilitas Sanctorum precibus & meritis adjuvatur. Cupientes igitur ut Monaſterium Monialium Sancti Jeronimi de Venetiis Ordinis Sancti Benedicti (*a*) ſuper quo dilectus filius Nobilis Miles Venetiarum Orſatus Juſtiniano Orator Venetorum ad nos tranſmiſſus humiliter ſupplicavit in ſuis ſtructuris & ædificiis reparetur conſervetur & manuteneatur ac a Chriſtifidelibus congruis honoribus frequentetur nec non fideles ipſi ad confluendum ad idem Monaſterium manusque adjutrices porrigendum eo ferventius animentur quo ex hoc ibidem dono celeſtis gratie uberius conſpexerint ſe refectos ipſius Orſati Juſtiniano in hac parte ſupplicationibus inclinati de omnipotentis Dei miſericordia & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi omnibus vere penitentibus & confeſſis qui in feſto Sancti Jeronimi Confeſſoris in feſto Epiphaniæ Domini & in feſto Sancti Jacobi Apoſtoli ipſum Monaſterium ſive Eccleſiam devote viſitaverint annuatim & ad reparationem conſervationem & manutentionem hujusmodi manus adjutrices porrexerint ut prefertur Septem Annos & totidem quadragenas in ſingulis diebus hujusmodi de injunctis eis pœnitentiis miſericorditer relaxamus. Preſentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem quod ſi Eccleſiam hujusmodi viſitantibus ac ad ejus conſervationem manus adjutrices porrigentibus aut inibi pias elemoſinas erogantibus ſeu alias aliqua alia indulgentia in perpetuum vel ad certum tempus nondum elapſum duratura per nos conceſſa fuerit preſentes littere nullius exiſtant roboris vel momenti. Datum Rome apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominice milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo quarto Pridie Nonas Aprilis Pontificatus Noſtri Anno octavo.

L. Buſſa.

(*a*) Monaſterium S. Hieronymi ex errore in hoc diplomate aſſignatur Ordini S. Benedicti, ejus enim ſanctimoniales ſolam S. Auguſtini regulam à Cœnobii origine ad hanc uſque diem profeſſæ ſunt.

Pau-

Paulus III. unit Monaſterium S. Adriani Torcellanæ Dioceſis Monaſterio S. Hieronymi Venetiarum.

O.

1549. 4. Novembris.

Ex Autographo in Archivo Monaſterii S. Hieronymi Venetiarum.

PAulus Epiſcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam Ex Apoſtolicæ ſolicitudinis nobis meritis licet imparibus deſuper injunctæ ſtudio ad ea libenter intendimus, per quæ ſuæ proviſionis auxilio Eccleſiis, & Monaſteriis quibuslibet, à perſonis præſertim fæminei Sexus in illis ſub regulari diſciplina altiſſimo famulantibus in earum neceſſitatibus valeat commodè ſubveniri. Sane cum ſicut exhibita nobis nuper pro parte Dilectarum in Chriſto Filiarum Sancti Hieronymi Venetiarum regularis obſervantiæ, & Sancti Adriani (*a*) Torcelanæ Diœceſis Monaſterium Monialium Ordinis Sancti Auguſtini Abbatiſſarum modernarum, & Conventuum, petitio continebat facultas dicti Monaſterii Civitatis Venetiarum quod unum ex antiquioribus Monaſteriis Civitatis Venetiarum extitit; & in quo præter quadraginta & unam Moniales velum nigrum geſtantes, & Ordinem ipſum expreſſe Profeſſas, etiam triginta aliæ Moniales partim velum album deferentes, partim Novitiæ eſſe dignoſcuntur, adeo tenues, & exiles exiſtant, ut Abbatiſſa pro tempore exiſtens, & Moniales ipſius Monaſterii Sancti Hieronymi, quæ numerum ſeptuaginta excedunt, ut præfertur ſub perpetua clauſura, & regulari Caſtimonia, & humilitatis ſpiritu, & odore bonæ famæ, gratum Altiſſimo famulatum exhibere ſtudentes, tanta penuriæ, & egeſtatis incommoda ſubſtineant, ut præter annuam penſionem, ſeu proviſionem ſibi per dilectos filios nobiles V. Ducem, & Dominum Venetorum elargiri ſolitam, & ſolo fere ſuarum manuum labore vivere cogantur, & in dicto Monaſterio Sancti Adriani æſtivo præſertim tempore tanta ſit Aeris intemperies, & Colubrorum (*b*) etiam uſque in illius Monialium cellas penetrantium multitudo, ut ejusdem Monaſterii Sancti Adriani Abbatiſſa pro tempore exiſtens, & præfatæ Moniales dicto æſtivo tempore illuc habitare nequierint, ſed quot Annis in loco Muriani unam domum, ſeque illuc eodem tempore æſtivo recipere compellantur, illarumque numerus ex eo forſan, quod per Aeris intemperiem, & incommoditatis hujusmodi dictum Monaſterium Sancti Adriani nullæ a certo tempore citra ingredi voluerunt, ad ſex tantum Moniales reductus ſit, & ſi prædictum Monaſterium S. Adriani, eidem Monaſterio Sancti Hieronymi perpetuo uniretur, annecteretur, & incorporaretur ex hoc profecto Monialium Monaſteriorum hujusmodi commoditatibus non mediocriter conſuleretur, illæque ab Aeris intemperie,

T 2 & Co-

(*a*) Monaſterium S. Adriani olim in Diœceſi Torcellana celeberrimum inter Inſulas Ammiani, & Conſtantiaci modo aquarum excreſcentia abſorptas ſitum erat eo loci ubi nunc adeſt ſub ipſius Sancti titulo anguſta Eccleſia, atque patens Cœmeterium ad quod etiamnum deferuntur cineres & oſſa ex Venetis ſepulcris effoſſa. De eo plura inter Eccleſias Torcellanæ Diœceſis dicendum erit.

(*b*) Hæc ſola Inſula inter reliquas Veneti ſtagni fœda ſerpentium multitudine æſtivis præſertim menſibus affligebatur, unde Sanctimoniales in ea hiemali tantum tempore degentes, in æſtate ad privatas domos in Muriani Inſula ſe deducebant.

& Colubrorum infeſtatione liberatæ, & ab egeſtatis incommodo præfactis ſublevatæ reſpective Regularem vitam, & obſervantiam commodius perferre, divinisque beneplacitis, quietisve prædictarum aſſerentium fructus, redditus, & proventus ejusdem Monaſterii Sancti Adriani, ac illi anexæ Eccleſiæ Sancti Angeli de Zampenigo (c) dictæ Diœceſis ſexcentorum Ducatorum de Camera ſecundum æſtimationem valorem annuum non excedere nobis fuit humiliter ſuplicatum, ut ipſum Monaſterium Sancti Adriani præfacto Monaſterio Sancti Hieronymi perpetuo unire, annectere, & incorporare, aliosque in promiſſis oportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneſitia Eccleſiaſtica aliis unire, teneantur, exprimere verum annuum valorem ſecundum æſtimationem prædictam etiam beneſitii, cui aliud unire peteretur, alioquin unio non valeret, & ſemper in unionibus commiſſio fieret ad partes, vocatis quorum intereſſet, Abbadiſſas modernas, & Conventus ſupradictos, earumque ſingulas, a quibusvis excomunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti aliisque Eccleſiaſticis Sententiis Cenſuris Pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore conſentes nec tum fructuum, reddituum, & proventuum dicti Monaſterii S. Hieronymi verum annuum valorem præſentibus pro eſpreſſo habentes, Hujusmodi ſuplicationibus inclinati, Monaſterium Sancti Adriani præfactum eidem Monaſterio Sancti Hieronymi unimus, ita quod liceat illius modernæ prædictæ, & pro tempore exiſtenti Abbatiſſæ, ac ipſius Conventui per ſe, vel nec earum Sindicum, vel Procuratorem, ſeu Procuratores corporales poſſeſſiones ſeu quaſi regiminis, adminiſtrationisque ipſius Monaſterii Sancti Adriani, & illi annexorum jurium, & pertinentiarum ejusdem, quorumcumque propria auctoritate libere apprehendere, & perpetuo retinere; Illorumque fructus, redditus, & proventus poſt unionem, & annexionem incorporationemque infraſcriptas refundendos (non tamen in præſenti anno) in ſuos, & Monaſteriorum prædictorum uſus, & utilitate congruis ſupportatis oneribus conſuetis, Diœceſani loci ſive cujusvis alterius licentia minime requiſita, ita tamen quod Eccleſia ipſius Monaſterii Sancti Adriani dictæ Eccleſiæ contigui per Abbatiſſam, & Conventum Monaſterii Sancti Hieronymi hujusmodi reparata teneatur, quodque in eadem Eccleſia per Dilectum Filium Bernardum Grottum Præsbiterum in illa nunc ſervientem quot annis ſingulis diebus, preterquam duobus ſingula quaque hebdomada Feſtivis dumtaxat exceptis deſerviatur, eidem Bernardo pro ſuo ſalario ſumma quadraginta Ducatorum ad rationem ſex libras & quatuor ſolidos monetæ Venetæ pro quolibet Ducato per dictas præfacti Monaſterii Sancti Hieronymi Abbadiſſam, & Conventum detur, & exhibeatur; ipſeque Bernardus teneatur ſemel in hebdomada in dicta annexa Eccleſia cum ſalario duorum ducatorum ſimilium celebrare; poſt mortem ipſius verò Bernardi Abbadiſſa, & Conventus Sancti Hieronymi ejusmodi in utraque Eccleſiarum prædictarum per unum de gremio Eccleſiæ Torcelanæ cum ſalario, & modo, & forma præmiſſis, ſi & quatenus pro tempore deputatus Eccleſiis Sancti Adriani, & Sancti Angeli præfactis deſervierit; & in die Feſtivitatis, ſeu Commemorationis ipſius Sancti Adriani eamdem Commemorationem

(c) Eccleſiā & Monaſterium S. Angeli de Zampenigo in Inſula ſeu Urbe Torcelli olim exſurgebant, de quibus nulla ſuperſunt documenta; ſuperſt etiamnum breve Divi Angeli Sacellum eo loci ſitum, ubi erat antiquum Monaſterium alteri Sancti Adriani ex diplomate Eugenii IV. unitum.

ſionem per Dilectos Filios Canonicos, Capitulum ipſius Eccleſiæ Torcelanæ ſolvendo tamen unum Ducatum ſimilem pro ut hactenus obſervatum extitit celebrari facere; nec non adveniente obitus cujuscumque Abbatiſſæ, & Monialium Monaſterii Sancti Adriani ejusmodi illarum, & cujuslibet earum cadavera recipere ſuisque propriis ſumptibus, & expenſis Eccleſiaſticæ ſepulturæ in earum ſepulcris, & monumentis tradere pro ut de Monialibus ipſius Monaſterii Sancti Hieronymi pro tempore decedentibus fieri conſuevit; Et inſuper Dilectum Filium Modernum Procuratorem, aliasque per Abbatiſſam, & Conventum Monaſterii Sancti Adriani hujusmodi deputatum, qui jura & bona ipſius Monaſterii Sancti Adriani in judicio contra quoscumque tueri debeat cum ſalario conſueto decem & octo ſtariorum frumenti ad menſuram prædictam, nec non barcarolum earumdem Abbadiſſe & Monialium ipſius Monaſterii Sancti Adriani arbitrio ponendum, & deputandum, qui illis deſervire habeat cum ſolito, & convenienti Salario, tenere, & mantenere teneantur, & obligatæ exiſtant. Auctoritatis Apoſtolicæ tenore Abbatiſſarum Modernarum, & Conventuum, & ad hoc per dilectum Filium Jacobum Fuernem Canonicum, & Procuratorem earum ad hoc de his reſpetive, & ſpecialiter conſtitutum expreſſe accedenti conſenſu perpetuo unimus, connectimus, & incorporamus non obſtantibus voluntate noſtra prædicta & Lateranenſis Conſilii noviſſimi celebrati, uniones perpetuas in certis exceptis caſibus fieri prohibentis, & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus; nec non Monaſteriorum, & Ordinis prædicatorum juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate, alias roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus contrariis quibuscumque, & qualibusque privilegiis indulgentiis, & litteris Apoſtolicis, generalibus, vel ſpecialibus, quorumcumque tenorum exiſtant, per quæ præſentibus tum expreſſe tum totaliter, non incerte effectus earum impedire valeat quomodolibet, vel differiri, & de quibus quorumcumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda ſit noſtris litteris mentio ſpecialis. Volumus autem, quod propter unionem, & incorporationem prædictas in dicto Monaſterio Sancti Adriani Divini cultus illius Conventus congrue ſupportentur onera conſueta. Et inſuper ex nunc iritum decernimus, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attemptari. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, unionis aſſenſionis, incorporationis, voluntatis, & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſarum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ 1549. pridie nonas Novemb. Pontificatus Noſtri 16.

Præsb. Franciſcus Honus Canonicus Torcellanus Notarius fidelis exemplavit & regiſtravit ad futuram memoriam.

Gre-

Gregorius XIII. Indulget ut Miſſæ quas Monaſterium S. Hieronymi celebrare facere tenetur in Eccleſia S. Adriani Torcellanæ Dioceſis impoſterum celebrentur ad Altare ipſius Sancti Adriani erigendum in Eccleſia S. Angeli de Zampenigo.

P.

1581. Menſe Decembris.

Ex Archivo Sancti Hieronymi Venetiarum.

GRegorius Epiſcopus Servus Servorum Dei Venerabili Fratri Epiſcopo Torcellano (a) ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Votis Domino ſub regulari caſtimonia militantium quarumlibet perſonarum præſertim fœminei ſexus nos annuere congruit, & Apoſtolici fervoris præſidio benigne confovere. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Abbatiſſæ & Conventus Monaſterii Monialium S. Jeronimi Venetiarum Ordinis S. Auguſtini Petitio continebat quod alias Monaſterium Monialium S. Adriani dicti Ordinis Torcellanæ Dioceſis communione & regulari obſervantia deſtitutum una cum illius bonis fructibus redditibus & proventibus prædicto Monaſterio S. Jeronimi ex certis cauſis & rationibus Apoſtolica auctoritate unitum, annexum & incorporatum extitit ſub hac conditione, & alias quod Eccleſia dicti Monaſterii S. Adriani una cum ſuis ædificiis novis eidem Eccleſiæ contiguis per Abbatiſſam & Conventum hujuſmodi reparari deberet, & per Capellanum certis diebus cujuslibet hebdomadæ in eadem Eccleſia Miſſæ celebrarentur prout in litteris Apoſtolicis deſuper confectis plenius continetur. Cum autem ſicut eadem petitio ſubjungebat in loco dicti Monaſterii S. Adriani ob ejus aeris intemperiem, quæ etiam a tempore epidimiæ Anni Domini 1576. circiter, quia in dicto loco infinita fere cadavera ſepulta fuere; multum aucta extitit ac etiam colubrorum & latronum frequentiam ultra quod aquæ maris inde libere & expedite tranſire poſſint juſſu Dominii Venetorum canale fuit factum & aggeres qui ab eisdem aquis dictum locum conſervabant ob dictum canale deſtructi ſunt, nullus habitare queat eo quia predicta Eccleſia a latronibus diurnis & nocturnis continuis bonis ſuis depredata, & ſpoliata remanet, & ædificia diruta ſunt, ita quod ſi aliquid ibi de novo fieret fruſtra perderetur opera, & omnia aſportarentur, & ob dictas aquas omnia ædificia, quæ ibi fierent, continue deſtruerentur prout adeo dicta Eccleſia detecta, & deſtructa de preſenti extat, quod amplius in ipſa celebrari non poſſit, eaque non ſine maximis expenſis illius redditum ſuperantibus, quod tamen ut prefertur fruſtra fieret reparari poſſet. Ac propterea Capellanus qui inibi celebrare tenebatur juxta formam dictarum litterarum ex licentia & permiſſione Epiſcoporum Torcellanorum pro tempore exiſtentium in Eccleſia Torcellana hucuſque celebraverit, & de preſenti celebret unde ad memoriam dictæ Eccleſiæ S. Adriani conſervandam & pro Divinorum ſeu miſſarum celebratione multum expediret, ſi unum Altare in Eccleſia S. Angeli de Zampenigo dictæ Dioceſis quæ Eccleſia S. Angeli alias una cum ejus fructibus redditibus & proventibus dicto Monaſterio S. Adriani unita annexa & incorporata fuit, & in qua Eccleſia S. Angeli dictus Capellanus

(a) Carolus Piſauro Nobilis Venetus Epiſcopus Torcellanus.

lanus ſemel in hebdomada juxta tenorem dictarum litterarum celebrare debet conſtrueretur, prout aliud Altare in Eccleſia dicti Monaſterii S. Jeronimi ſub invocatione ejusdem S. Adriani ædificatum fuit. Pro parte Abbatiſſæ & conventus hujusmodi nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus earum indemnitati nec non dictæ Eccleſiæ S. Adriani memoriæ conſervationi Divinorumque ſeu miſſarum celebrationi conſulere, aliisque inpremiſſis oportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremus. Nos igitur Abbatiſſam & ſingulares perſonas Conventus hujusmodi a quibusvis excomunicationis ſuſpenſionis & interdicti aliisque Eccleſiaſticis ſententiis cenſuris & penis ab jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtant ad effectum preſentium duntaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes hujusmodi ſuplicationibus inclinati Fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus quatenus eisdem Abbatiſſæ & Conventui ut vice & loco dictæ Eccleſiæ S. Adriani unum Altare ſub invocatione ejusdem S. Adriani aptum capax, & condecens in predicta Eccleſia S. Angeli conſtruendi, & fabricandi fieri, conſtrui & fabricari, ac in Altari hujusmodi in dicta Eccleſia S. Angeli conſtruendo, illas Miſſas, quæ in Eccleſia S. Adriani predicta juxta formam litterarum hujusmodi ut prefertur celebrari deberent per Capellanum idoneum, a te approbandum celebrari faciendi, ita & taliter quod eisdem Abbatiſſe & Conventui, non obſtet quod fabricam ſupradictam non manutenuerint, nec manuteneant, licentiam, & facultatem, auctoritate noſtra concedat. Non obſtantibus premiſſis ac Apoſtolicis nec non in provincialibus, & Sinodalibus ac Generalibus Conciliis editis, generalibus, vel ſpecialibus conſtitutionibus & ordinationibus ac Monaſterii & Eccleſiæ S. Adriani hujusmodi fundatione & dotatione illorumque, & Ordinis predictorum juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus privilegiis quoque indultis & litteris Apoſtolicis etiam illis, illorumque & quibusvis aliis ſuperioribus & perſonis in genere, vel in ſpecie ſub quibuscumque tenoribus & formis ac cum quibusvis clauſulis, & decretis in genere, vel in ſpecie & motu proprio, ac alias incontrarium quomodolibet conceſſis approbatis, & innovatis. Quibus omnibus & ſi de illis ſpecialis mentio habenda foret illis alias in ſuo robore permanſuris hac vice duntaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ 1581. menſe Decembri Pontificatus noſtri Anno decimo.

Bene-

Benedictus XIV. facultatem tribuit Aloyſio Foſcari Patriarchæ Venetiarum inquirendi Corpus Beati Petri de Piſis.

Q.

1748. 2. Martii.

Ex Autographo in Archivo Monaſterii S. Hieronymi Venetiarum.

Benedictus Pp. XIV. Venerabilis Frater, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

RIceviamo una ſua lettera dai 18. di Febrajo, vertente ſopra le diligenze da farſi nella Sacriſtia, o ſia antica Chieſa di coteſte Monache di San Girolamo, per ritrovare, ſe ſarà poſſibile, il Corpo del Beato Pietro Gambacurta da Piſa eſſendo già introdotta la cauſa della Canonizazione di queſto Beato, e però non potendoſi far atto veruno ſopra le di lui Reliquie ſenza l'autorità di queſta Santa Sede; con queſta noſtra Noi diamo a lei la facoltà di fare, o far fare come Delegato Apoſtolico la detta perquiſizione. Acciò queſta poi ſi faccia a dovere, o ella in perſona, ſe ciò le tornerà comodo, o mediante una Perſona Eccleſiaſtica da eleggerſi da lei, aſſiſterà alla perquiſizione. E ritrovandoſi o il Corpo, o parte del Corpo, publicherà una Scomunica riſervandone alla Santa Sede l'Aſſoluzione, contra chi ardiſſe di portarne via qualche parte. La perquiſizione ed il ritrovamento ſi deſcrivano puntualmente da un Notajo da eleggerſi da Lei, che dovrà aſſiſtere a tutto unitamente con due Teſtimonj. Il ritrovato poi ſi chiuda in una Caſſa, che ella ſarà munire co' ſuoi Sigilli, avrà poi la bontà di darci parte di quanto è ſeguito, mandandoci nello ſteſſo tempo una Copia autentica dell'atto del Notajo; che non mancheremo di ſuggerire in appreſſo quanto dovrà farſi, eſſendo ſuperfluo il ſuggerirlo ora pel pericolo che ſi cerchi, e nulla ſi trovi. Ed intanto con pienezza di cuore diamo a Lei ed al ſuo Gregge l'Apoſtolica Benedizione. *Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Die 2. Martii 1748. Pontificatus Noſtri Anno Octavo.*

Ven. Fratri Patriarchæ Venetiarum.

(*Venetias*)

DE

D E
ECCLESIA PAROCHIALI
S. MARTIALIS EPISCOPI ET CONFESS.

VENETIAS appulſa in urbis ipſius exordiis anno 703. Familia Dardana, ut frequentiores ad excolendam civitatem cives adſciret, advenas pecuniis, ad domos ſibi ædificandas, juvabat; quo factum eſt, ut ea Urbis pars, quæ nunc Sancti Martialis confinium efficit, iſtius familiæ opera ædificaretur; unde & in ipſam familiam ob rei bene actæ meritum quamplurima Reipublicæ munera derivarunt. Ut autem habitatores proprio regerentur Paſtore anno 1133. Divo Martiali Lemovicenſi Epiſcopo Patritia Familia Bochi Eccleſiam erexit, quæ vicinas ædes ſub jure Parochiali recepit. Eam non multo poſt Divina miſeratio inæſtimabili locupletavit theſauro, prodigioſo ſcilicet Deiparæ ſimulacro, quod a littore Ariminenſi evulſum recto tramite ad Eccleſiam S. Martialis (ut habet vetus traditio) ſponte contendit: Rei ſeriem, qualis in antiquis Eccleſiæ codicibus affertur, exponam.

Cæterum quod ad populares hujusmodi traditiones ſpectat monitum Lectorem velim, me nunquam in eum animum deveniſſe ut illis pondus vel adderem vel detraherem. Novi ex una parte vulgus in admirabilia proclive, nec tranſactis tem-

poribus defuiſſe impoſtores. Novi ex alia hoc eſſe divinæ providentiæ conſilium ut rudioribus magisque depravatis ſæculis inſigniora miracula perpetrentur ad excitandam, alendamque fidem. Injurius Deo eſſet, qui hæc omnia negaret; at levitatis eſſet redarguendus, qui clauſis oculis omnia intrepide deglutiret. Dum hic igitur vel alibi aliquid exhibeo populari tantum traditioni innixum, ideo facio, ne aut ignorare videar, quod omnibus notum eſt, aut inopportune diſſimulare. Interea per me eo loco rem eſſe licet, quem promeretur. Penes prudentium criticorum judicia ſit de veritate vel falſitate ſententiam ferre.

Nicolao hujus nominis Quarto Petri Sedem tenente in Ariminenſi agro Paſtor quidam nomine Ruſticus vitæ probitate, & eximia in Virginem Matrem pietate præditus, cum quadam die æſtivo tempore oves prope decurrentis aquæ ripas ad paſcua duxiſſet, ut meridianos Solis radios declinaret ſub umbra conſedit, ibique Divino nutu, antiquæ arboris ſtipitem aliquid in ſe humanæ figuræ referentem conſpexit. Ea igitur, qua Dei Genitricem proſequebatur, devotione illico excitatum ſe ſenſit, ut quamvis artis omnino imperitus opus a natura inceptum perficeret, & ex informi pene ligno Virginis ſimulacrum conformaret. Labori itaque manus admovens fœmineam figuram eo uſque deduxit, ut ſola facies (quippe majoris ſtudii) efformanda ſupereſſet. Dum igitur attentius hanc operis partem aggreditur, nocte ingruente eam minus perfectam relinquere coactus eſt, ad quam dum poſtridie mane regreditur, incæptum vultum fœde deformatum indoluit.

Cumque hoc illi ex antiqui inimici rabie, qui de ejusdem Virginis virtute aliquid ſibi mali metuebat, iterato eveniſſet, ab opere ſibi ceſſandum omnino decrevit.

Dum in hac igitur defixus cogitatione anxia quamvis mente verſatur, ecce apparuerunt duo pueri vultu decori, & ſpecioſis veſtibus, qui ſe iter erraſſe fingentes, dum cauſam ejus triſtitiæ interrogant, ab eo, ut ipſis opus tradat perficiendum, exquirunt. Ad hæc Ruſticus quaſi inſaniam puerorum irridens recto tramite indicato, ut a ſe diſcedant hortatur; nec tamen a labore deſtitit, quinimo puerorum voce confortatus dum majori ſtudio incœpta perficere conatur, noctis umbra iterum interveniente ab opere manus removit. Mane facto ut ex integro

tegro incepta compleret ſimulacrum inviſit, quod pariter per diabolicam invidiam turbatum ingemuit. In tanta animi perturbatione conſtituto, iterum ſe ei viſendos præbuerunt ſpecioſi Pueri, exprobrantes ejus cordis duritiem, qua ſibi laboris participationem denegaverat. Dumque eum bono animo eſſe jubent, teneras manus operi admovent, brevique horæ ſpatio Virgineum ſimulacrum ad ſui perfectionem perducunt.

Rei novitate Paſtor attonitus quinam ipſi eſſent interrogat, cui cæleſtes infantes gravi ſermone reſponderunt, ſe a Cælorum Regina miſſos fuiſſe, ut ejus veneranda effigies, quæ diabolica turbabatur fraude, angelico perficeretur auxilio; hancque eſſe ipſius voluntatem, ut ſe ſe ad Urbis Epiſcopum & proceres cito conferret, eisque ex Deiparæ juſſu nuntiaret, ut prodigioſum ſimulacrum ad Ariminenſis Urbis portum deducerent, ibique vacuæ imponerent naviculæ; Divinæ enim futurum erat virtutis curam vectoris, & remigum vices implere.

His auditis Ruſticus ad Epiſcopum feſtinus perrexit, eique admirabilis eventus ſeriem expoſuit; qui prodigii veritate diligenter perſpecta, ut Divinis obtemperaret mandatis ſolemni ſupplicatione indicta ipſo Urbis Principe comitante ad locum ſe contulit, ibique Virgineam effigiem veneratus ſolemni pompa Sacerdotibus ſibi invicem ad eam deportandam ſuccedentibus Ariminum detulit. Ubi autem ad urbis portum deventum eſt, ligneum Deiparæ ſimulacrum tanto pondere conſtitit, ut vectoribus nequaquam illud ulterius ferre valentibus, ex Epiſcopi, & aliorum conſilio decretum ſit, Naviculæ illud, ut Ruſticus pridem expoſuerat, imponere. Sacri ponderis virtutem confeſtim ut ſenſit Navicula, quaſi Divini conſcia conſilii portum egreſſa rectum Venetias verſus iter arripuit; nonnulli autem ex Ariminenſibus civibus, ut admirandi prodigii finem explorarent navem ingreſſi, cymbam cæleſti numine ductam ſequentes brevi via ad Methamaucenſem portum appulerunt. Cymbula autem pretioſo pignore onuſta, per internos Veneti æſtuarii ſinus ad Divi Martialis Templum recta contendit, quam a longe aſpiciens quidam puer ex utero Matris mutus, qui inter cœci Patris brachia deferebatur, protinus in feſtivas voces exiliit, Patremque ſuum, ut ſacram Virginis effigiem veneraretur, admonuit. Hæc ut ſenſit Pater illico in genua de recepta filii loquela gratias acturus procumbit, dumque Vir-

ginis pietatem obteſtatur, ut novo beneficio ſibi lucem reſtituens recentis prodigii munus cumulare dignetur, repente caligine depulſa ejus oculi nova luce donantur. Prodigiorum fama ad Epiſcopum Caſtellanum delata, cæleſtis muneris gratiam Civibus Ariminenſibus qui ex navi nuper deſcenderant conteſtantibus, Plebano Eccleſiæ S. Martialis mandavit, ut Navicula ſacro dives theſauro ad Cathedralis Templi aream duceretur. Ut ſui Antiſtitis exequeretur mandatum Plebanus, aſſumptis in laboris ſocietatem nonnullis Clericis aliiſque piis viris, dum cymbam e loco amovere conantur, immobilis facta cuicunque trahentium conatui fortiter reſtitit, nec ſe unquam ab Eccleſiæ ripa ſeparari permiſit.

Hoc ut ad Epiſcopum delatum eſt, continuo Divinæ diſpoſitionis virtutem in eo miraculo ſenſit. Quapropter ne Numinis voluntati adverſaretur, prodigioſam imaginem Divi Martialis Templo adjudicavit. Celebri itaque pompa, quam illuſtriorem reddidit Principis & Venetorum Procerum pietas, qui in venerationem Cæleſtis Reginæ translationi huic adſtare decreverunt, prodigioſum Mariæ Virginis ſimulacrum angelicis perfectum manibus tota fere civitate plaudente, in Divi Martialis Templum inductum eſt, in quo etiamnum continuata miraculorum frequentia refulget.

Anno 1373. Divi Tutelaris ſolemnitas inter feſtos Ducalis Palatii dies adnumerata eſt, ob tres inſignes victorias de Reipublicæ hoſtibus relatas, quas cum Deiparæ Matris, Divorumque Marci, & Martialis interceſſionibus tribuendas eſſe cenſeret Senatus Veneti pietas, ex hoc ſtatuit ut Divi Martialis feſtum de cætero eſſet ſolemne.

„ 1373. 3. *Julii. In Majori Conſilio.*

„ Quum in Feſto S. Martialis obtinuimus tres notabiles vi-
„ ctorias temporibus noſtris ſicut quilibet poteſt recordari, vi-
„ delicet ad Baſtiam Jadræ & per Galeras noſtras Culphi con-
„ tra Turcas in Romania, & nunc contra Paduanos & alios
„ potentes conflictos per felicem exercitum noſtrum, & fir-
„ miter tenendum ſit quod Deus Omnipotens ex ſua pietate per
„ interceſſionem intemeratæ V. M. ſuæ, & Glorioſiſſimi S. Mar-
„ ci Protectoris noſtri & Beati Martialis & aliorum Sancto-
„ rum dictas victorias, & triumphos in dicto feſto notabiliter

„ nobis

„ nobis conceſſerit ; & dictum ſit pro recognitione & memo„ ria æterna tantarum gratiarum celebrare devotiſſime dictam „ diem . Vadit pars quod Feſtum S. Martialis de cætero ſit „ ſolemne.

Ex longi temporis injuria fatiſcens Eccleſia exeunte Sæculo XVII. proximam minabatur ruinam, cui malo accurrens ejus Plebanus Joſeph Paſquini vir eximiæ pietatis, eam a fundamentis proprio & piorum ære reædificandam curavit, ut marmorea epigraphes teſtatur, quam ad interiorem Templi ipſius proſpectum *Curatores Eccleſiæ* affigi mandarunt.

„ Divo Martiali Convicinorum maxime liberalitate Reſtitu„ tam a ſolo Ædem Curatores Eccleſiæ Gratulantes D. D. D „ Anno MDCXCIII.

Anno deinde MDCCXXI. die XXVIII. Septembris Petrus Barbadico Patriarcha Venetiarum conſecrationis ſolemnia feſtiva pompa peregit, cujus perennem memoriam lapidea inſcriptio exhibet.

„ Die XXVIII. Septembris MDCCXXI. Hujus Templi vetu„ ſtiſſimi jamdudum D. Martiali dicati, & in hanc auguſtio„ rem formam cura Joſeph Paſquini Plebani, & Convicino„ rum ære redacti, ne lapſu temporis memoria periret P. P.
„ Rom. Pontifice Innocentio XIII. Venetiarum Duce Joanne „ Cornelio Petrus Barbadicus Patriarcha Anniverſarium dedi„ cationis hujus Eccleſiæ eadem die celebrari ſtatuit.

Divi Martialis imaginem ad ejus aram Jacobus Tinctorettus, Archangelum Raphaelem juvenis Tobiæ Ducem Titianus expreſſit.

Plebani Eccleſiæ Sancti Martialis per ſeriem diſpoſiti.

1305. Joannes Alberegno Notarius. Ex rogitis ejuſdem.
1338. Marcus Blanco Archipresb. Congregationis S. Sylveſtri & Canonicus. Ex rogitis Jacobi Ciera Pleb. Sancti Jo: Chryſoſt. & Not.
1348. Hermolaus Paon Notarius, & Aulæ Ducalis Cancellarius. Ex rog. ejuſdem.
1371. Petrus Zonello Canon. Ducalis Notarius, & Aulæ Ducalis Cancellarius. Ex rog. ejuſdem. Unus ex quinque electoribus Franciſci Bembo Primicerii S. Marci.

1401.

1401. Jacobus de Campis Martini Filius, & Notarius Deputatus ad Concilium Baſileæ pro Congregatione S. Hermachoræ. Anno 1409. tranſiit ad Plebanatum Sancti Apollinaris.

1436. Paulus Zanchanello anno 1438. electus fuit Plebanus S. Mariæ de Muriano. Ex rog. Jo: Rizzo Notarii & Pleb. S. Sophiæ.

1441. Jacobus q. Bartholomæi de Gaieta de Apulia. Ex rog. Jo: Rizzo Pleb. S. Sophiæ.

1475. Bartholomæus de Andrea. Ex rog. Antonii Zio Pleb. S. Felicis.

1501. Dominicus Teſta Canonicus Caſtellanus, & Archipresbyter Congreg. S. Canciani. Obiit 17. Aprilis 1543. Ex Arch. Eccleſiæ.

1543. 23. Aprilis. Petrus Planella Canonicus Caſtellanus. Obiit 1567. 23. Julii. Ex Arch. Eccl.

1567. 1. Auguſti. Antonius Rocca. Ex Arch. Eccl.

1580. Bernardus de Jordanis Canonicus Ducalis. Obiit 1602. 12. Sept. Ex Arch. Eccl.

1602. Bartholomæus Rocca. Obiit 1605. 13. Julii Ex Arch. Eccl.

1605. Paulus Amici. Obiit 1615. Ex Arch. Eccl.

1615. Petrus Rois. Obiit 1625. 26. Decemb. Ex Arch. Eccl.

1625. Paulus Mæroni. Obiit 1630. 14. Dec. Ex Arch. Eccl.

1630. Joſeph Poza. Obiit 1642. 14. Aug. Ex Arch. Eccl.

1642. Dominicus Bonſante. Obiit 1654. 28. Novemb. Ex Arch. Eccleſiæ.

1654. 8. Decemb. Dominicus Colico. Obiit 5. Junii 1661. Ex Arch. Eccl.

1661. 19. Junii. Bartholomæus Cima. Obiit 12. Febr. anno 1687. More Veneto. Ex Arch. Eccl.

1687. M. V. 18. Febr. Joſeph Paſquini, vir eximiæ in pauperes charitatis, Templum a fundamentis reædificavit, & ornavit, & conſecrandum curavit. Obiit 19. Maii 1734.

1734. 24. Maii. Dominicus Urbani.

DE

D E
ECCLESIA PAROCHIALI
S. FELICIS CONFESSORIS.

DIvo Felici Nolano Martyri pii viri ex Patritia Gente Gallina Eccleſiam conſtruxerunt anno ab Incarnatione Domini 960. Rempublicam adminiſtrante Petro Candiano IV. Duce, Olivolenſem vero Eccleſiam regente Marino Veneto Caſſiani filio. Sanctum hunc priſcis Eccleſiæ ſæculis celeberrimum Divique Paulini Nolani Epiſcopi laudibus ornatiſſimum Eccleſia Romana ad diem XIV. Januarii ut Martyrem veneratur, eo quod multa pro Chriſti fide paſſus ſit; Eccleſia vero Veneta Confeſſorem celebrat, quamvis enim perſecutiones ſuſtinuerit amariſſimas, in pace tamen ſpiritum Deo reddidit; quod & in aliis Sanctis eveniſſe teſtatur Bolandus in Actis Sanctorum ad diem XIV. Januarii, & Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ ad diem 31. Auguſti, qui paſſim martyres, & confeſſores nominantur.

Ejus ſolemnitas non ſolum in propria Eccleſia, ſed & ab univerſo Venetiarum Clero celebratur die 31. Auguſti ex immemorabili conſuetudine, cujus cauſa ex longo ſæculorum tractu remanet oblivione ſepulta. Unicum quod in Archivo ſupereſt vetuſtiſſimum documentum Eccleſiam conſecratam docet anno 1267. die XI. Julii; tenor autem ejus eſt talis.

Anno

„ Anno ab Incarnatione MCCLXVII. Indictione x. Die xi. Intrante Julio: Cum Præsb. Marcus Plebanus Eccleſiæ Sancti Felicis dioceſ. Caſtel. Coram nobis vid. Leonardo Dei gratia Epiſcopo Equilenſi & Ven. Fr. Marino eadem gratia Epiſcopo Caprulenſ. humiliter ſupplicavit, ut ſuam Eccleſiam & altaria videlicet Beati Felicis Confeſſoris & Beatæ Mariæ ſemper Virginis conſecrare utique deberemus nos ſuis dignis poſtulationibus inclinati ſuam prædictam Eccleſiam & Altaria duximus conſecrandas & omnibus vere pœnitentibus & confeſſis qui ad Eccleſiam prædictam in die Conſecrationis ipſius, & usque ad octavum diem acceſſerit de voluntate & conſenſu D. Simeonis Mauro Plebani Sancti Barnabæ Generalis Vicarii Eccleſiæ Caſtellanæ pro quolibet noſtrorum & Venerabilium Dominorum Fr. Angeli Dei gratia Patriarchæ Gradenſis Joannis Archiepiſcopi Raguſienſis Fr. Angeli Epiſcopi Civitatis Novæ Fr. Alberti Epiſcopi Tarviſini Fr. Ægidii Epiſcopi Torcellani, Joannis Epiſcopi Paduani anniverſarium unum pro quolibet & annis ſingulis in anniverſario ejusdem quadraginta-dies de ſibi injuncta penitentia auctoritate nobis a Deo commiſſa miſericorditer duximus relaxandum. Gratia Felix Ora pro Nobis.

Ex hoc documento inſtruimur in Italia Sacra inter Epiſcopos Caprulenſes reponendum eſſe ad ann. 1267. Fr. Marinum ejusdem Urbis Epiſcopum ab Ughello prætermiſſum; pariterque Tom. X. ubi de Epiſcopatibus Antiquatis agitur, enumerandus eſt Fr. Angelus inter Epiſcopos Civitatis Novæ ad ipſum annum 1267.

Plurimis iisque præclariſſimis exornatur Sanctorum lipſanis, quorum nomina recenſet antiqua Eccleſiæ tabula absque chronologicis notis exarata, quæ olim Aræ ipſas Reliquias aſſervanti adiacebat.

„ Hic jacent Reliquiæ S. Bartholomæi Apoſtoli, S. Mariæ Magdalenæ, S. Panthaleonis, S.S. Quadraginta Martyrum, S. Antonii Monachi, & caput S. Tryphonis, & de Sanguine ejus, & de tunica nigra S. Joannis Ploimi, S. Chriſtophori Martyris, S. Lazari, & Sororis ſuæ Mariæ, & Marthæ, S. Julianæ Virginis, S.S. Euphemiæ, Dorotheæ, Teclæ, & Eraſmæ, S. Geminiani Confeſſoris, S. Margaritæ Virginis, S. Barbari, S.S. Coſmi, & Damiani, S. Laurentii, S. Anaſtaſiæ, de Velamine beatæ Mariæ Virginis, de menſa Domini, S. Lucæ Evan-

„ geli-

„geliſtæ, S. Pauli primi heremitæ, SS. Marii, Marthæ, Audifacis, & Abacum, & de S. Athanaſio, S. Jacobi Apoſtoli, & de capa nigra Virginis Mariæ, de Arca S. Pelagiæ, de tunica in qua ſtetit per annum antequam fuiſſet extracta de Sepultura & poſita in archa, & de Manna beatæ Catharinæ Virginis & Martyris.

Circa Sanſovini tempora, (ut ipſe aſſerit) eximio labore reædificata fuit, variisque illuſtrium Pictorum decorata tabulis, inter quas præcipue Jacobus Robuſti ſub Tinctoretti nomine celeberrimus Beatam Virginem ſanctis viris ſtipatam ad ejus altare, Chriſtum in horto orantem, & in cœnaculo diſcumbentem, Mariam Angeli nuntium ſuſcipientem, ad ſacelli majoris parietes, Divumque Demetrium Martyrem in aræ ipſi dicatæ tabula mirabiliter expreſſit.

Anno 1624. die IV. Octobris Eccleſia, quæ ex reædificatione diverſam figuram aſſumpſerat, per Joannem Theupulum Patriarcham Venetiarum una cum Altare Majori ſolemniter conſecrata fuit; quod quidem Altare, cum diruta ipſius menſa noviſſimis hiſce temporibus renovata fuiſſet, Conſecrationis munus ab Aloyſio Foſcaro Patriarcha Venetiarum rurſus accepit.

Collegium Sacerdotale, cui de more præeſt Plebanus, efformant Presbyteri tres Diaconus unus & duo Presbyteri titulati.

Series Plebanorum Eccleſiæ S. Felicis.

1142. Natalis Marzangulo ex Ughel. T. 5. Novæ Edit. col. 1244.

1257. Leonardus. Notarius complevit ſententiam Judicum delegatorum in cauſa inter Procuratores S. Marci Commiſſarios Marci Ziani ex una, & Marcum Baduarium itidem Commiſſarium ex altera pro ſtatuendis Fratribus Minoribus in vinea legata a dicto Marco Ziani. Ex rogito ipſius.

1267. Marcus. Ex documento conſecrationis Eccleſiæ.

1306. Andreas Celſo Notarius. Ex Codice proviſorum deputatorum ad inquirenda bona communia.

1312. Petrus Paganus. Ex rog. Andreæ Presb. S. Caſſiani.

1345. Servus Dei Donato Not. Archipresb. Congregationis S. Hermacoræ. Fuit Commiſſarius Conſtantini Laureda-

ni Primicerii S. Marci. Ex rog. Victoreni Canonici S. Marci, & Notarii.

1348. Jacobus de Soja. Ex Presb. S. Mariæ Magdalenæ Pleb. S. Felicis Not. Ex rog. ejusdem.

1373. Donatus de Rodulpho. Ex rog. Marci Bocaſſino Pleb. S. Hermacoræ. Anno 1400. Compromiſſarius Monialium S. Andreæ elegit Urſam Dandulo in Prioriſſam Monaſterii. Ex Arch. S. Andreæ.

1432. Petrus de Placentia Not. Ex rog. ejusdem.

1433. Petrus de Florenzola. Ex teſtamento Presb. Antonii Capellani Monialium Sanctæ Catharinæ, cujus Commiſſarius.

1435. Benedictus de Omnibono. Ex rog. Matthæi Perenzino Pleb. S. Jeremiæ.

1451. Victor de Roſatis Not. & Aulæ Ducalis Venetiarum Cancell. Ex Presbytero S. Mariæ Formoſæ Plebanus S. Felicis, & deinde translatus ad Plebanatum Sanctæ Mariæ Formoſæ. Ex rog. ejusdem.

1462. Matthæus Cruato. Ex rog. Nicolai Rubei Plebani Sancti Leonardi.

1468. Antonius Zio, Presbyter Sancti Angeli, & Notarius. Deinde Plebanus Sancti Felicis, demum Epiſcopus Calamonenſis, & Commendatarius Pleb. Sancti Felicis; cujus vices in Plebanatu geſſerunt primum Joannes Siculi de Meſſeniis Decretor. Doctor Viceplebanus anno 1501. & deinde Franciſcus Zio Viceplebanus anno 1506. Ex rog. Ejusdem Antonii Zio, & Hieronymi de Bottis, & Joannis Franciſci Urſo Plebani S. Mariæ Jubenico Notariorum.

1520. Joannes de Monte. Ex rog. Petri Bono Plebani Sancti Benedicti.

1534. Chriſtophorus Speronus. Obiit 1550. M. V. 15. Februarii. Ex codice Blancherii ms.

1551. 10. Martii Gaſpar Tagiapetra. Ex Arch. Eccleſiæ.

1580. Pompejus Tagiapetra Canonicus Ducalis, Archipresbiter Congreg. S. Lucæ. Ex Archivo Eccleſiæ. Obiit 13. Septemb. 1615.

1615. Ageſilaus Olivieri Canonicus Sancti Marci. Obiit 1672 10. Martii.

1672.

1672. Petrus Boſzeta Canonicus Ducalis obiit 1693. M. V. 15. Januarii. Ex Arch. Ecc.

1693. M. V. 19. Januarii. Antonius Manara. Obiit 12. Junii 1696.

1696. 15. Junii. Joannes Donatus Canonicus Ducalis & Archipresbyter Congregationis S. Angeli. Obiit 1725. 27. Octobris.

1725. 31. Octobris. Hieronymus Zapetti. Obiit 1734. M. V. 5. Januarii.

1734. M.V. 10. Januarii. Vincentius Sabadini Canonicus Ducalis. Obiit 7. Julii 1741.

1741. 10. Julii. Gaſpar Fantonus.

DE

ECCLESIA PAROCHIALI

SANCTÆ SOPHIÆ.

CIRCA initia ſæculi duodecimi Grauſona Nobili familia ſumptus erogante, S. Sophiæ, hoc eſt æternæ ſapientiæ, Eccleſia fuit ædificata, quæ in Parochialem vicinarum Ædium aſſignata, mox inſtituto titulari Capitulo in collegiatam etiam evaſit.

Author Anonymus Venetæ Chronicæ, qui ſæculo XIII. ſcripſit, præter familiam Grauſonam, quæ poſtmodum Guſſona dicta eſt, aſſerit ad eam ædificandam etiam familiam Georgio opes contuliſſe: " Grauſoni cum Jeorgio Tribuni fecerunt
" Eccleſiam ad honorem Sanctæ Dei Græco ſermone ΑΓΙΑ Sophia latine Chriſti verbum nominatur ".

Templum vel primo poſitum, vel poſtea inſtauratum anno tandem 1698. præ vetuſtate collabeſcebat: unde novum a fundamentis meliorem in formam reſtitutum fuit cura præſertim Thomæ Curini ejus Plebani, ut ex Epigraphe marmori inſculpta muroque ad latera organi pneumatici affixa edocemur.

" D. O. M.
" Templum hoc a Gauſonia Familia conſtructum Anno Domini Milleſimo Vigeſimo Ævo Collabens.

D. O. M.

„ D. O. M.
„ Studio Thomæ Curini Plebani Publica privataq. pietas ve-
„ nuſtius reſtituit Anno Domini Milleſimo Sexcenteſimo
„ Nonageſimo Octavo.

Nonnullæ Reliquiæ in Altaribus aſſervantur, quas ut pote maxima ex parte a Romanis cæmeteriis eductas ſingillatim non puto recenſendas.

Hujus Eccleſiæ alumnus piiſſimus Presbyter Dominicus Francho, ſtudio vitæ auſterioris, in inſula Ammiani ſub D. Andreæ Apoſtoli invocatione Cœnobium fundavit Canonicorum Regularium, quibus certas leges ad regularem vitam aptiſſimas præſcripſit ab Urbano III. etiam Apoſtolica authoritate poſtmodum approbatas; mox ampliandi Divini cultus deſiderio accenſus ipſius Apoſtoli titulo ſimile erexit Monaſterium in Inſula quæ inter Caſtellanam S. Petri, & Littoralem S. Nicolai ædes media ampliori circuitu conſurgit.

Aræ & Parietes Eccleſiæ tabulis exornantur, in quibus Pauli Calliari, Jacobi Palmæ & Franciſci Baſſani artificium elucet.

Ordo Plebanorum Eccleſiæ S. Sophiæ.

1182. Jacobus Lampardo. Subſcriptus in exemp. Privil. a Lucio III. conceſſi Henrico Patriarchæ Gradenſi anno 1184. & ex Cataſtico Eccleſiæ ad ann. 1191.

1206. Menſe Januarii. Petrus Eccleſiæ S. Sophiæ Plebanus quandam foli planitiem de jure, & in confinio ſuæ Eccleſiæ poſitam Antonio Cartura conceſſit annuo cenſu ſtatuto unius libræ Olei annuatim ſolvendæ Feria III. in Octava Paſchatis, qua die ſolemni pompa Divinæ Sapientiæ Titularis feſtiva commemoratio recolitur. Venditionis inſtrumentum rogavit Angelus Magno Clericus, & Notarius; eam deinde vacuæ terræ partem Leonardus Jacobinæ a Stupa Nepos, in cujus poſſeſſionem ex hæreditate devenerat, ſolemniter in Simeonis Mauri Epiſcopi Caſtellani manus ad Eccleſiæ S. Sophiæ jura redire voluit, donationis tabulas exarante Franciſco Paradiſo Notario die prima Octobris anno 1292. Ab Innocentio III. Judex Delegatus una cum Patriarcha Gradenſi in controverſiis inter Presbyteros S. Juſtinæ exortis. Videſis Epiſtolas ejuſdem Innocentii III.

1245.

1245. Stephanus. Ex Archivo Patriarchali in carta Petri Pini Epiſcopi Caſtellani.

1267. Antonius. Ex Archivo S. Joannis de Torcello; & ex Cataſtico Eccleſiæ.

1280. 7. Aug. Nicolaus Maurocenus. Ex Archivo S. Joannis de Torcello, in quo extat ſubſequens Inſtrumentum:

„ In Chriſti Nomine. Anno nativitatis ejusdem mil-
„ leſimo ducenteſimo octuageſimo indictione nona. Die
„ jovis VII. intrante auguſto in epiſcopali palatio Ca-
„ ſtellano preſentibus presbitero Michaele S. Marine
„ marco diacono S. Marie formoſe atque marco de
„ S. Martino ſubdiacono teſtibus & aliis. Conſtitutis
„ coram venerabili patre Dom. Bartholomæo Quirino
„ Dei & apoſtolica gratia Epiſcopo Caſtellano D. Ma-
„ rino Mauroceno filio q. D. Phylippi Mauroceni de
„ contrata S. Salvatoris ex parte una, ac D. Nicolao
„ ejus fratre plebano S. Sophyæ de Venetiis ex altera.
„ Cum idem D. Marinus diceret & proponeret olim
„ dediſſe predicto D. Nicolao fratri ſuo quatuor pu-
„ blica inſtrumenta exemplanda & teſtamentum etiam
„ matris ſue, que inſtrumenta idem Dom. Plebanus
„ ſibi reſtituere promiſerat data fide ſed nunquam ea
„ ſibi reſtituerit niſi teſtamentum predictum, & ideo
„ peteret ab ipſo D. Plebano fratre ſuo predicta in-
„ ſtrumenta ſibi reſtitui atque reddi predictus D. Ple-
„ banus reſpondit ac in verbo veritatis data fide in
„ manibus predicti D. Epiſcopi firmavit, & dixit de
„ inſtrumentis & cartis publicis que dictus ejus frater
„ petit habuiſſe ab eo hec ſolummodo quatuor inſtru-
„ menta videlicet dictum teſtamentum matris ſue,
„ unam cartam ſecuritatis promiſſe unam cartam....
„ & unam aliam cartam inciſam.
„ Ego Bartholomæus filius D. Federici a lectis D.
„ Roffini comitis de Lomelli auctoritate notarius pre-
„ dictis interfui & rogatus ſcripſi complevi & roboravi.

1293. Matthæus de Creſcentiis Not. & Aulæ Ducis Venet. Cancell. Teſtamentum rogavit anno 1293. Nataliæ Marci Vitalis de confinio S. Sophiæ olim uxoris, quæ domum ſuam poſt Agnetis Neptis obitum in tres dividi portiones juſſit:

„ Una quarum partium detur Clericis Eccleſiæ S. Sophiæ.
„ Alia detur Fratribus S. Annæ.
„ Et Tertia detur Fratribus S. Mariæ de Carmelo, ut orent pro anima mea.

1300. Ægidius Not. Ex teſtam. Joannis Boni de confinio S. Martini. Ex Arch. S. Martini.

1310. Nicolaus Archipresb. Congreg. S. Cantiani. Ex rogitis Michaelis Blancho Presb. S. Marinæ & Notarii.

1319. Dominicus Mozzius Not. Ex rog. Nicolai Belli Not. Clodien.

1338. Marcheſinus Eccleſiam ex Teſtamento reditibus auxit. Ex ejus Teſtam. & ex Cataſtico Eccl. ad ann. 1346.

1358. Jacobus Spada Not. Ex rog. ejusdem.

1386. Joannes Boninſegna Not. Presbyter primum S. Mauritii, inde Plebanus S. Sophiæ, poſtremo Plebanus S. Geminiani. Ex rog. Ejusdem.

1389. Petrus Niger Georgii filius Presbyter primum S. Leonardi indeque S. Fuſcæ & demum Pleb. S. Sophiæ Archipresb. Congreg. S. Sylveſtri & Not. Ann. 1393. die 1. Maii rogavit Teſtam. Laurentii Macaruffi, quo Eccleſiæ S. Sophiæ proventus aliqui pervenerunt.

„ Item volo, & ordino quod dictus ſ. Bertuccius Pa-
„ ter meus gaudere debeat eunctis diebus vitæ ſuæ
„ omnibus, & ſingulis fructibus, & redditibus, &
„ proventibus duorum meorum Manſorum cum Bu-
„ cho poſitorum in Villa de Zero, & quod dicti Man-
„ ſi nunquam poſſint vendi, donari, vel alienari,
„ nec aliquid de ipſis fieri, ſed poſt mortem dicti
„ Patris mei volo, & ordino quod omnes affictus,
„ & reditus & proventus perveniant ad Capitulum
„ præfatæ Eccleſiæ S. Sophiæ ſemper & in perpetuum,
„ & quod ea die qua ad dictum Capitulum perve-
„ nerint usque in ſempiternum debeat celebrari ſin-
„ gulo die una Miſſa per unum ex Sacerdotibus di-
„ ctæ Eccleſiæ pro anima mea, & q. Matris meæ &
„ meorum defunctorum & omni anno in die ſepul-
„ turæ meæ debeant facere Anniverſarium.

1433. Joanninus Rizzo Capell. Sancti Marci Not. Ex rog. ejusdem.

1443. Thomas de Thomeis Not. & Aulæ Ducal. Cancell. Vicarius Eccl. S. Marci & Archipresb. Cong. S. Canciani. Ex teſtam. Chriſtophori Mauri Ducis Venet. per ipſum rogato; & ex rog. ejusdem.

1476. Laurentius Bono Archipresb. Methamauci, Presb. S. Sophiæ, & S. Benedicti Vice Pleb. S. Benedicti, & noviſſime Pleb. S. Sophiæ Not. Ex rog. ejusdem.

1485. Jacobus Rizzo. Ex rog. Antonii Mando Presb. S. Sophiæ & Not.

1504. Laurentius Triviſano. Ex rog. Iſidori Bagnolo Pleb. S.S. Apoſtolorum & Not.

1517. Vincentius Stephanius. Ex rog. Hieronymi de Bonis Not.

1526. Thomas Blanchus Canon. Ducal. & Archipresb. Cong. S. Canciani. Poſſeſſionem iniit die IX. Junii anno 1527. Obiit 1570. annorum LXXXIV.

1570. Aloyſius a Turre Archipresb. Cong. S. Canciani. Obiit 1607. annor. LXXXVII.

1607. Dominicus Querengo Canon. Ducal. Obiit 1611.

1611. Joannes Turatto. Obiit 1644.

1644. Laurentius Crappi. Obiit 1668.

1668. Franciſcus Speranza Canon. Eccl. Ducal. & Provicarius Patriarchalis. Obiit 1677. apud Moniales S. Mariæ de Virginibus, quarum erat a confeſſionibus.

1677. Petrus Belloto. Obiit 1684.

1684. Dominicus Todeſcato. Obiit 1697.

1697. Thomas Curini, ſub cujus regimine renovatur Eccleſia. Obiit 1707.

1707. Petrus Leoni. Obiit 1737.

1737. Antonius Capretta Canon. Eccl. S. Marci.

DE

DE
ECCLESIA PAROCHIALI
SS. APOSTOLORUM.

SANCTUS Magnus Opiterginus Epiſcopus cum ex Langobardorum furore ſeptimo ſalutis ſæculo fugiens ad intima maris Adriatici ſtagna ſe recepiſſet, ibi latentes populos ad Chriſtianæ pietatis officia mirabili ſermonis, & exempli eloquentia excitavit. Venerabili itaque Viro ibi commoranti, & quadam die de more oranti (ut ex antiqua traditione receptum eſt) glorioſus Apoſtolorum Chorus apparuit, juſſitque, ut eo loci ubi duodecim grues congregatas reperiſſet, ibi ſub Apoſtolorum invocatione Baſilicam excitaret. Re ad Inſularum Tribunos relata, locoque, & ſigno, prout in viſione Sanctus Præſul acceperat adinventis, devoti populi ſtudio non multo poſt Templum ædificatum eſt, & Deo ſub Sanctorum duodecim Apoſtolorum titulo dedicatum.

Hujus ædificationis meritum Anonymus ſæculi XIII. Chronologus Familiæ Gardolicæ attribuit: *Gardocus Gardolicus fecit Eccleſiam ad honorem Sanctorum Apoſtolorum*; & in hoc conſonat alterius Chronicæ ſcriptor pariter anonymus, niſi forte ex primo tranſcripſiſſe veroſimiliter dicendus ſit.

Quæcumque hiſce viris tribuatur authoritas, ea certe tanti

non erit ponderis, ut cum multis poſt fundationem ſæculis ſcripſerint traditioni univerſali antiquiſſimæ præferri debeant. Conciliari tamen aliqua parte poſſent, nimirum ſi dicatur, hanc Familiam pecunia erogata primam ædificationem juvaſſe, vel Eccleſiam temporis injuria labentem nova molitione reſtituiſſe; quod probabilius videtur, præſertim cum nullum de aliqua hujus Ædis renovatione ad nos pervenerit documentum, quod ſæculum XVI. præcedat.

Ex Sanſovino accipimus, a Patritiis Familiis Ericcia, & Cornelia Templum conſtructum fuiſſe, ſed unde hoc hauſerit, incompertum. Circa annum Domini 1575. renovatum a fundamentis fuiſſe, & eo ipſo anno conſecratum teſtatur marmorea Epigraphes exteriori Templi faciei affixa.

„ Templum hoc Divi Magni temporibus conſtructum, &
„ noſtris quaſi labefactatum a fundamentis in ampliorem, & au-
„ guſtiorem formam reædificatum a Rmo. D. D. Antonio Gui-
„ do Tragurienſi Epiſcopo die Dominico Pridie Nonas Julii
„ MDLXXV. conſecratum fuit Vincentio Ravagnano Antiſtite
„ Venetiarum Cive.

Ex Catharinæ Corneliæ Cypri Reginæ munere ditata fuit hæc Eccleſia Oſſe Brachii S. Ametiſti Martyris in Cypro Inſula martyrio coronati; & conſimili dono pariter Jacobus Chiriarchus genere Cyprius obtulit Brachium S. Hilarionis Abbatis ex eodem Regno Cypri delatum, in quo ſanctiſſimus vir peregrinationis ſuæ curſum conſumavit. Gratum animum Cleri erga venerandi muneris donatorem teſtabatur olim ſepulcralis ſupralaudati Jacobi epigraphes, quam cum veteri lateritio pavimento inconſiderate ablatam, in novo marmoribus ſtrato Capitularium pietas exſculpi mandavit, ut perennis pii viri memoria perſeveret.

„ Jacobo Chiriarcho Cyprio, & poſteris ob munus Reliquiæ
„ S. Hilarionis Sepulcrum hoc gratitudinis ergo perpetuo do-
„ natum Anno MDCVII.

Alia præterea aſſervantur Divorum Lipſana, inter quæ præcipua religione articulus S. Annæ Deiparæ Genitricis, & SS. Martyrum Irenei, & Fauſti corpora, itemque Tiburtii & Candidi capita e Romanis cryptis delata.

Spectabile ingredientibus a dextera parte ſe ſe offert ſacellum, quod ex ſelectis marmoribus Divæ Luciæ Syracuſanæ Virgini,

gini, & Martyri Patritia Familia Cornelia conſtruxit, in quo ejusdem familiæ Heroes quamplurimi jacent tumulati.

Presbyteri quatuor, duo Diaconi, totidemque Subdiaconi titulati una cum Plebano Capitulare corpus efficiunt.

Series Plebanorum Eccleſiæ SS. Apoſtolorum.

1107. Martinus Sulmulus Presb. Vicar. SS. Apoſtolor. memoratur in Inſtrumento, quo Ordelaphus Faletro Dux conceſſit Patriarchæ Graden. Eccleſiam S. Archidani de Conſtantinopoli.

1230. Bartholamæus Not. Ex rog. ejusdem. Venditionem a Cruciferis factam rogavit anno 1254. 3. Maii.

1312. Marcus Bon Not. Ex rog. ejusdem.

1345. Raynerius. Ex codice ms.

1349. Nicolaus Bettino Not. Archipresb. Congreg. S. Canciani. Ex rog. ejusdem.

1369. Petrus de Natalibus ex Presbytero S. Vitalis Plebanus SS. Apoſtolorum, poſtea Epiſc. Equilinus, compoſuit vitas Sanctorum typis editas. Ex Ughel. Tom. X. col. 830. De eo pluries in hoc opere.

1371. Nicolaus Benedicto Not. ex Pleb. S. Agathæ Pleb. SS. Apoſtolorum, & Canon. S. Marci. Ex rog. Marini Pleb. S. Gervaſii.

1377. Paulus de Monte Serrato. Ex rog. Joannis Campioni Presb. S. Cantiani.

1379. Chriſtophorus Cralina Decretor. Doctor. Ex cod. ms.

1396. Dominicus de Muſca. Ex rog. Joannis Campioni presb. S. Cantiani.

1403. Marcus Placentino Canon. Baſilicanus Capituli S. Marci. Ex rog. Nicolai de Curſo Not.

1429. Marcus Baſilio Laurentii filius Not. Ex rog. ejusdem.

1431. Antonius Pelacano Archipresb. Congreg. S. Cantiani, Legatus ad Concilium Baſileæ pro Congreg. S. Cantiani. Ex Marino Sanuto, & ex rog. Joannis Rizzo Pleb. S. Sophiæ. Subdelegatus Apoſtolicus ab Eugenio IV. ut detentores bonorum Eccleſiæ Corcyrenſis ad reſtitutionem adſtringeret. Decretum referendum erit ad Eccleſiam S. Panthaleonis.

1472. Jacobus Berengo Canon. Venet. & Not. Ex rog. ejusdem.
1487. Victor Antonii filius. Ex rog. Ludovici Faleni Not.
1496. Iſidorus Bagnolo primum Canon. Corphienſis & Eccl. S. Marci beneficiatus; deinde Pleb. SS. Apoſtol. Canon. S. Marci, & Cancell. Ducalis, Archipresb. Cong. S. Lucæ. Ex rog. ejusdem. Obiit 1515. 23. Septemb.
1502. Matthæus. Ex Tabulario Eccleſiæ.
1515. Petrus Floriani Not. ex Diacono titulato & Plebano Sancti Joannis Novi Canon. Ducalis & Archipresb. Cong. S. Hermacoræ, inde anno 1515. M. V. 6. Januarii electus Pleb. SS. Apoſtol. Ex rog. ejusdem.
1526. Sanctus Marco ſeu Marcoſſo. Obiit morte ſubitanea die XIII. April. 1546.
1546. 30. Apr. Bernardinus de Victoriis Canon. Caſtell. Obiit ex buſtulis 3. Octob. 1570. Ex cod. Plancherii.
1570. M.V. 8. Januarii. Vincentius Ravagnanus, ſub quo conſecrata fuit Eccleſia, fuit Canon. S. Marci. Obiit 1589. Ex lapide Conſecrationis Eccleſiæ.
1589. Joannes Maria Bonarcier Canon. S. Marci. Obiit 1608. Ex Arch. Eccl.
1608. Aloyſius de Humanis. Obiit 20. Junii. Ex Arch. Eccl.
1619. Leonardus Guaina. Obiit 1630. 20. Nov. Ex Arch. Eccl.
1630. Jacobus Baſſo vixit menſes 6. Obiit ex peſtilentia ipſo anno.
1630 Petrus Nicolini. Obiit 1632. 24. Junii. Ex Arch. Eccl.
1632. Andreas Sala Archip. Cong. S. Cantiani Canon. Patriarchalis. Obiit 1661. 30. Sept. Ex Arch. Ecc.
1661. Joannes Philippi Canon. S. Marci Archip. Cong. S. Mariæ Matris Domini. Obiit 1683. 24. Decemb.
1683. Valentinus Stafeta Canon. Ducal. Obiit 1709. 12. Octob.
1709. Thomas Recaldini ex Canon. reſidente S. Marci Pleb. SS. Apoſtolor. iterumque Ducal. Canon. Obiit 1719. die 27. Novembris.
1719. Joſeph Fianello Archip. Cong. S. Angeli. Obiit 13. Octobris 1748.
1748. Angelus Maria Ruopelli. Ejus cura, dum hæc ſcribo, tectum Eccleſiæ & tabulatum illi inferius, quod pro fornice eſt, piorum eleemoſynis, quos ſuo exemplo excitavit, renovantur, parum enim aberant a ruina; nec ſine prodigio tamdiu ſubſtitiſſe in eo, quo erant ſtatu, Architecti aſſerunt.

DE

MONASTERIO

S. MARIÆ OLIM CRUCIFERORUM,

NUNC SOCIETATIS JESU.

CLETUM Grauſonium (vulgo Guſſoni) in proprio fundo Eccleſiam & Hoſpitale ſub S. Mariæ vocabulo excitaſſe, & Ordini Cruciferorum, qui nuper Venetias cum magna auſteritatis, & ſanctimoniæ fama advenerat, obtuliſſe, cum reliqui omnes rerum Venetarum Chronologi, tum in primis Andreas Dandulus aſſerit lib. 9. cap. 14. part. 17. ubi hæc habet: *Cletus Grauſoni Eccleſiam & Hoſpitale ſub S. Mariæ vocabulo in proprio fundo conſtruens Ordini Cruciferorum illa poſtea obtulit, cum terris & aquis coadhærentibus. Bonushavere Grauſoni ejus hæres deinde dotavit.*

Porro fundatio Eccleſiæ cum a Dandulo recenſeatur medio tempore inter electionem Adriani Papæ IV. ad Apoſtolicam Petri Sedem die III. Decemb. anno 1154. evecti, & donationem Leonardi Cornelii anno 1455. factam, neceſſario deducitur eo ipſo anno 1155. ineunte ædificatum fuiſſe Crucigeris Monaſterium. Tribus inde evolutis luſtris Bonushavere (eo nomine appellabatur Cleti ſupralaudati hæres) Grauſonius, ut inopem fa-

miliam

miliam reditibus ad ſuſtentationem adjuvaret, quædam prædia ſeu vineas prope Clodiam poſitas *Eccleſiæ de Cruciariis bonæ memoriæ Cleti*, pleno & irrevocabili jure dimiſit, donationis tabulam rogante Marco Eccleſiæ S. Leonardi Presbytero & Notario anno milleſimo centeſimo ſeptuageſimo menſe Decembris Indictione IV. quæ jam initium duxerat a Kalendis Novembris (A). Quamvis autem eo etiam ſæculo Cruciferi ſibi arrogantes tamquam de proprio Ordine dictum quidquid de hoſpitalium fundatione ubicunque legitur, exordia ſua a S. Cleti, quem Fundatorem jactabant, temporibus repeterent, quod in ipſa quoque Bonishaveri donatione notandum venit, revera tamen Cruciferos tunc temporis religioſi Ordinis formam non habuiſſe certo certius videtur. Commentum plane eſt immaginariæ antiquitatis aſſertio, qua ſe a Cleto Romano Pontifice fundatos, & a Cyriaco Jeroſolymorum Patriarcha, quum Helena Conſtantini mater Crucem invenit, inſtauratos fuiſſe gloriantur. Alexander III. qui Romæ ſedit Anno 1159. certam vivendi normam & regulam Crucigeris dedit, qui jam inde ab expeditionibus in Terram Sanctam nullo inter ſe vinculo connexi in Urbium Xenodochiis miniſtrabant ægrotis primo militibus, tum etiam omnibus, & crucem manu geſtabant, & veſtibus apponebant. Hæc ſatis ſuperque conſtant ex ſanioribus Criticis, & accuratioribus hiſtoriæ eccleſiaſticæ Scriptoribus. Jam vero certum eſt ex Venetis Chronologis ad unum omnibus Cruciferos Venetiis admiſſos Duce Dominico Mauroceno, qui obiit Anno 1156. ſcilicet triennio ante Alexandri III. aſſumptionem ad Petri Sedem.

Primum hoc Templum Crucigeris datum teterrimo incendio conſumptum fuit Anno 1214. die x. Januarii, ut docet mss. hiſtoria Ordinis Cruciferorum, quæ in Bibliotheca PP. Soc. Jeſu aſſervatur. Novum igitur Templum erectum eſt quod ad noſtra uſque tempora perduravit, donec eo diruto PP. Soc. Jeſu aliud elegantius ſubſtituerunt.

Anno MCCLIIII. die 3. Menſis Maii F. Vincentius Prior Eccleſiæ S. Mariæ Cruciferorum ſibi *conſentiente D. Raynerio Geno Inclyto Venetiarum Duce dictæ Eccleſiæ S. Mariæ advocatore* vendidit & tranſactavit cuidam *Icilino de Vicentia unam petiam terræ aqua ſuperlabente de Palude de jure & pertinentia ſupradictæ Eccleſiæ S. Mariæ in confinio S. Sophiæ poſitam* venditio-

tionem ipſam complente & roborante Bartolomæo SS. Apoſtolorum Plebano & Notario. Notatu dignum eſt, Raynerium Ducem ipſius Eccleſiæ S. Mariæ advocatorem appellari, cujus tituli appoſitione nuſquam, quod meminerim, inveni Duces fuiſſe nominatos. Tabulis ſubſcripſerunt ex Cruciferis Prior Cœnobii, Sacerdotes duo, Diaconus unus, decemque Laici, quod indicio eſt, Crucigeros ob ægrotantium famulatum Laicis præ Sacerdotibus abundaſſe, uti mos eſt etiam nunc in Religioſa Familia, quam Sanctus Joannes de Deo inſtituit. Suprarelatam paludis venditionem dilatandi Monaſterii S. Catharinæ cauſa peractam fuiſſe ex eo arbitror, quod autographum inſtrumentum in ipſius Monaſterii Sanctimonialium Archivo adhuc aſſervatur, ex quo deprومptum fuit (B).

Hoſpitale quod ex adverſo Monaſterii ædificari curaverat Cletus Grauſonus privilegiis & reditibus auxit Bertoldus Patriarcha Aquilejenſis, Priori & Fratribus Hoſpitalis ejusdem libere concedens, *ut in Curia de Medulo & de Medulis in perpetuum ligna pro foco ad opus & ſufficientiam dicti Hoſpitalis buſcare campullare, & accipere* poſſent. Præterea *manſos omnes ſitos in Villa de Cruce cum pertinentiis & juribus eorumdem Priori & Fratribus memoratis conceſſit*. Bertoldi donationem Gregorius in Patriarchali Sede immediatus ipſius ſucceſſor Venetiis degens anno 1256. ampliſſimis litteris confirmavit, quas Patriarchalis ſigilli pendentis juſſit munimine roborari (C).

Si conjecturas captare licet, crediderim Xenodochium hoc in ſuis exordiis pro infirmis & pauperibus utriusque ſexus inſtitutum Cruciferorum regimini fuiſſe ſubjectum. At temporis lapſu imminutis fortaſſe reditibus ſolas mulieres excepit. Quod ſolæ mulieres in eo degerent circa medium Sæculi xv. patet ex antiquo documento, quo Ludovicus de Dardanis Procurator & Sindicus Cœnobii Cruciferorum abſente Matthæo de Cremaſchis Generali Ordinis Priore Armellinam de Aragonibus honeſtam & piam mulierem in Prioriſſam hoſpitalis inſtituit quibusdam adjectis capitulis, ad quæ obſervanda pro meliori ipſius Hoſpitalis gubernio teneretur (D). Suppreſſis inde Crucigeris Procuratores D. Marci tutelam & regimen loci aſſumpſerunt, cumque eo tempore ſævirent bella, Viduis militum alendis deſtinarunt. Noſtro hoc ævo aliis etiam mulie-

ribus

ribus patet. Oratorium hoſpitalis Jacobus Palma totum depinxit.

Cœnobium jam ex vetuſtate partim partimque ex fortuito incendio conſumptum Crucigerorum ſtudio, & ære a fundamentis renovatum fuiſſe teſtatur marmorea epigraphes interioris Clauſtri parieti affixa.

„ Cœnobium Hoc Igne Et
„ Vetuſtate Conſumptum
„ In Auguſtiorem Hanc
„ Formam Crucigeri
„ A Fundamentis Erexerunt.
„ A. MDXLIII.

Utrunque incendium toti Religioni, ne dum Veneto Cœnobio fatale fuiſſe refert ſuperius enunciata ms. Chronica Monaſterii a Marco Antonio Boldù ejuſdem Ordinis alumno concinnata. Etenim propter bellorum tumultus & perſequutionum procellas Crucigeri Venetias veluti in tutum locum aſportaverunt undequaque inſigniores Reliquias & ſecretiores nobilioresque Ordinis chartas. Hæc omnia partim primo, partim altero incendio perierunt. Mirum itaque non eſt, quod pauca admodum hujus Eccleſiæ & Cœnobii ſuperfuerint monumenta.

Sed ut aliunde monumentorum inopiæ ſuppleam, ea colligo ex authoribus melioris notæ Baronio, Helyot, Maurolico, & aliis, quæ ad Cruciferos ſpectant, quouſque ſuppreſſi fuerunt, & in eorum locum Societas Jeſu ſuffecta. Alexander III. vel non omnes Crucigeros in corpus unum collegit, vel alii de novo exorti ſunt. Siquidem Pius II. annis poſt Alexandrum trecentis Conventum ut appellant Mantuæ indixit anno 1464. in quo actum eſt de bello Turcis infligendo, & tunc fertur in unum religioſæ familiæ Ordinem coaluiſſe quotquot ubique gentium Fratres Crucigeri erant. At Sæculis XIV. & XV. laxata in eorum Cœnobiis morum diſciplina, ne divitiis inſoleſcerent, multa Cœnobia in commendam, ut vocant, tranſierunt, atque inter cætera Venetum Cœnobium Cardinali Beſſarioni obtigit. Verum Pius V. Ordinem inſtauravit Anno 1568. reditibus reſtitutis & arctiore diſciplina inducta, Cruciferi tamen ſenſim ſenſimque ad priſtinos mores rediere. Quapropter Innocentius X. in Conſtitutione quæ incipit *Inſtaurandæ*, ex vigintiquinque Cœnobiis Cruciferorum unum ſupra viginti ſuppreſſit. Quatuor autem ſuperſtitibus habitum eſt veluti caput Cœnobium

nobium Venetum. Scimus enim extremis Ordinis temporibus totius Ordinis generalem Magiſtrum ſediſſe Venetiis, cum cæteroquin multo antea Clemens IV. qui Pontificatum iniit An. 1265. præcepiſſet Bononienſe Cœnobium haberi primum omnium caput. Ultimo tandem Alexander Septimus hæc ipſa quatuor quæ Crucigeris ſuperfuerant loca ſuſtulit, & litteris ad Carolum Caraffam Epiſcopum Averſanum ſuumque Venetiis Nuncium datis conceſſit Reipublicæ Venetæ ut in uſus militares contra Turcas bona Cruciferorum divenderet. Litteræ hujusmodi, quas recepto vocabulo vocant Breve, datæ ſunt die 29. Aprilis An. 1656. (E).

Nec mora, anno proxime inſequenti Societas Jesu, quæ propter turbas inter Paulum V. & Venetam Rempublicam Venetiis abierat, Menſe Majo anni 1606. cum reditum impetraſſet Cœnobium Cruciferorum emit. Scilicet coram Carolo Caraffa Apoſtolico Nuncio, & tribus Divi Marci Procuratoribus, qui præerant venditioni, Abbas Franciſcus Gallus haſtam tetigit manu, & nomine P. Hieronymi Claramontii Provincialis Soc. Jesu emit Cœnobium & fundum Cruciferorum ſolutis quinquaginta mille nummis argenteis; Veneti Ducatos vocant. Chartam venditionis rogati confecerunt Angelus Maria Piſcini & Joannes ejusdem Pater Notarii publici. Tum eadem emptionis die nempe Anno 1657. 2. Martii Claramontius Provincialis poſſeſſionem loci iniit. Iidem Notarii conceſſionem Eccleſiæ obſignarunt die 5. Septembris ejusdem anni, cujus dilationis cauſa fuit, quod circa uſum ſupellectilis ſacræ, circa jura quæ pertinent ad cœtus artium vulgo Scholarum in æde Cœnobii ſedem habentium, circa Miſſarum celebrationem juxta Eccleſiæ onera conveniendum erat, & conſtans rebus forma danda.

His rite peractis Societas Jesu Domum hic Profeſſam ſcilicet Provinciæ caput juxta inſtitutum Societatis redditibus carens, & niſi quatenus Scholas habet quidquam certi poſſidens illico fixit, ſtatimque ſua pietatis & litterarum munia in Templo, & Scholis adorta eſt ingenti qua prius & qua etiam nunc omnium Urbis Ordinum frequentia & commendatione.

Admirabili Dei remuneratoris diſpoſitione hæc eveniſſe cenſendum, quod in ædes a Familia Gauſſonia excitatas, atque dotatas induceretur is religioſus ordo, in quo non ita pridem

ſanctiſſime obierat Apoſtolicus vir, ex eadem familia progenitus, virtutibus, & martyrio charitatis inſignis. Fuit hic Marcus Guſſonius Nobilis Venetus, qui anno 1601. Societati Jesu adſcriptus dum Patavii tyrocinium ageret, ex gravi morbo quocum morte luctaretur invocato Divi Aloyſii Gonzagæ patrocinio repente convaluit. Sacris inde miſſionibus addictus, ut Ferrarienſis agri ruſticos Chriſtiana catecheſi aliisque Chriſtianæ pietatis exercitiis erudiret, incommoda, atque inter ſe plurimum diſſita loca pedes ſemper, & miſerrime victitans circumobivit. Eximia autem hujus viri charitas tunc potiſſimum enituit, cum ex gravi annonæ caritate Ferrarienſes aliique finitimi populi per hyemem præſertim adeo laborarunt, ut paſſim jacentes in viis & compitis inopes ſeminudi frigore & fame necarentur. Adfuit languentibus charitas viri Apoſtolici, & quidquid animis, quidquid corporibus levandis deſiderari poterat, ubique indefeſſus cumulatiſſime præſtitit. Derelictos & longa inedia propemodum enectos cibis & veſtibus undequaque quæſitis mirabili charitatis officio recreavit, ardentiſſime exoptans, ut tantæ calamitati omni ope ſubveniret. Famem conſequuta eſt lues teterrima, quæ multos mortalium horrendum in modum demeſſuit. Ea ſævius in Ferrariæ finibus graſſante Cardinales Sacchetti, & Magalotti alter Legatus, alter Archiepiſcopus Ferrarienſes, quibus eximia Marci virtus perſpecta eſſet, illum Noſocomio (vulgo Lazzaretto) Vallis obſcuræ præſidem deſtinarunt. Viri Sancti laboribus æque ac orationibus tribuitur, quod ibi vis morbi reſtincta ſit cito. Nec mora tamen, Figerolum mittitur, ut eadem munia ad animorum & corporum ſalutem excerceat; malum enim ibi gliſcebat in dies latius, eo quia illi qui ægrotis opitulari & poterant, & debebant, metu perculſi diffuggiſſent. Immane igitur laborum onus in ipſo ſtatim adventu in ſe recepit, cui aliquandiu ferendo incredibile videtur parem illum fuiſſe. Pio autem animi ardore vires addente indeſeſſæ charitatis officium quotidiana nec interupta ſollicitudine tamdiu pertulit, donec contage lurida vulneratus, cum dies aliquot in ſummis doloribus patientiſſime exegiſſet, Kalendis Auguſti Anno 1631. ſpiritum Deo reddidit.

Templum a Cruciferis erectum vetuſtate cœpit fatiſcere; quapropter Jeſuitæ anno 1715. illud per partes diruere, & novum ſubſtituere tribus continenter luſtris properarunt; quod ſi orna-

men-

menta ſpectes, inter prima Urbis Templa merito recenſetur. Civium Venetorum Eleemoſinis debetur hæc ædes ſacra, prout docent duæ in marmore inſcriptiones, quæ hinc inde in loco edito & conſpicuo Eccleſiæ viſuntur, & hæc enunciant.

„ D. O. M.
„ Templum vetuſtate dirutum Pio Venetorum Civium ære
„ Trium Luſtrorum Labore Societas Jesu A Fundamentis ex-
„ citavit Anno MDCCXXVIII.

„ D. O. M.
„ Templum Deiparæ Aſſumptæ Aris marmoreis Lapideo &
„ ſerico apparatu Pietas Veneta Decennio exornavit Anno
„ CIƆIƆCCXXIX.

Quanquam autem Templi ornamenta Civium etiam pietati tribuantur, fatendum tamen eſt deberi maxima ex parte Maninæ familiæ ad hujusmodi Religionis opera ſemper pronæ. Nimirum Sacellum majus & auguſtum in ea Altare, tum Cathedram concionatoriam, intercolumnia quæ periſtromata repræſentant, pavimentum ſelecto marmore ſtratum, fornicem eximia venuſtate deauratum, & lapideam Eccleſiæ faciem, hæc omnia Maninæ gentis pietas fieri curavit. Inter reliqua Altaria duo eminent, & artis induſtria, & materiæ pretio, quorum unum Aſſumptioni Deiparæ, alterum D. Ignatio Soc. Jesu Fundatori eſt ſacrum. Primum Paulus Quirinus D. Marci Procurator, alterum Victor Grimanus Senator ære proprio exſtruxerunt.

Ditatur hoc Templum inſignoribus Reliquiis, Mauſoleis, & Tabulis pictis. Quoad Reliquias occurrit in primis Corpus S. Barbaræ, quod hactenus fuit perenne Controverſiarum argumentum. Scilicet diſceptatur, utrum hic an apud Moniales S. Joannis Torcellani quieſcat verum Corpus S. Barbaræ Virginis & Martyris Dioſcori Nicomedienſis Filiæ. Hanc litem diremit primum Fortunatus Ulmus in ſuo ms. libro de Translatione S. Barbaræ Torcelli facta, mox eruditiſſime Franciſcus Antonius Zaccaria Societatis Jesu Sacerdos in elucubratiſſima diſſertatione adhuc ms. & niſi prius publici juris facta fuerit, meum erit ubi de Divi Joannis Torcellani Monaſterio agetur eandem exhibere. Interea de S. Barbara, cujus Lipſana in hoc Soc. Jesu Templo aſſervantur, iſthæc ſunt certa. Cum Alexander IV. Ro-

Z 2 manam

mariam Sedem, & Petrus Pinus Venetam Caſtellanam occuparent Raphael Baſilius Anno 1258. navi ſua oneraria cui præerat Conſtantinopolim appulit Balduino II. Byzantii imperante. Ibi a Cuſtode Eccleſiæ S. Salvatoris ubi quieſcebat, Corpus cujusdam S. Barbaræ obtinuit, illudque nocte in navim translatum Venetias detulit. Raynerius Zenus Dux, qua erat in Cruciferos benevolentia, quorum hoſpitale ſæpe ſæpius inviſebat, Vincentii Cruciferorum Prioris hortatu operam dedit ut Raphael Baſilius pretioſum adeo theſaurum dono Crucigeris daret, quod non ægre admodum eſt conſequutus. Exinde Alexander IV. Officium hujus S. Barbaræ Sacello Ducali & Cruciferorum Eccleſiæ conceſſit, nec tamen hanc Martyrem appellavit. Conſtat etiam Anno 1582. die 21. Septembris ex hoc ſacro Corpore os avulſum fuiſſe & Guillelmo Gonzagæ Mantuano Duci enixe petenti S. C. conceſſum fuiſſe.

Petrus Calotius Clugienſis ex Ordine Prædicatorum, cujus amplum opus de vitis Sanctorum ms. extat in Bibliotheca SS. Joannis & Pauli Venetiarum, ubi Divæ Barbaræ acta & paſſionem enarravit, hæc de ejus translatione recenſet: "Deinde „ corpus B. Barbaræ in Conſtantinopolim eſt delatum tempo„ re Juſtiniani Imperatoris, & in Eccleſia S. Salvatoris, quæ „ Græce dicitur loco paſtu collocatum. Anno vero Dominicæ „ Incarnationis 1208. die 12. Aprilis temporibus Alexandri Pa„ pæ IV. & D. Raynerii Zeno Ducis Venetiarum Raphael Ba„ ſilius Civis Venetiarum cum ſua navi, quæ dicebatur *S. Fe„ lix* & alio nomine *Bucha in capite* in Conſtantinopoli per „ annum commoratus multo tempore deſiderans corpus ſacro„ ſanctæ Barbaræ invenire, & Venetias aportare, Quadam die „ venit ad Eccleſiam memoratam, & Fratrem Simeonem il„ lius loci Priorem cum magna reverentia allocutus ſecretum „ voluntatis ſuæ aperuit; & ſubito divina gratia ambo facti „ ſunt voluntatis ejusdem. Et præparatis neceſſariis ad tam „ pretioſum corpus collocandum cum maxima reverentia & „ honore ad navim portaverunt, & navis ipſa Divina Cle„ mentia favente in quinquaginta diebus Venetias pervenit & „ dictus Raphael ſanctum Corpus Eccleſiæ Sanctæ Dei Genitri„ cis Virginis Mariæ Cruciferorum obtulit humiliter, ac de„ vote, & a Pontificibus & Abbatibus, & Clero præcedente, „ ac ſubſequente multitudine maxima virorum ac mulierum

„ pro-

„ proceſſionaliter cum Crucibus, & Vexillis, cum hymnis &
„ canticis & laudibus glorioſis in dicta Eccleſia collocatur,
„ ubi miracula ad ejus invocationem crebra ſunt. Nam Joan-
„ nes de loco qui dicitur Abbatia per trium annorum ſpatium
„ a Dæmonio miſerabiliter vexatus ita ut eum aliquando in
„ aquam, aliquando in ignem mitteret, ut ſuffocaret, deductus
„ ad ſanctum corpus orantibus omnibus qui aderant, & imploran-
„ tibus Virginis ſanctæ ſuffragium, elapſo mediæ horæ ſpatio
„ miſericorditer liberatus eſt, magnifice glorificans Deum Om-
„ nipotentem, qui eum meritis ſuæ Martyris liberavit. Quæ-
„ dam puella de contrata B. Marci per annum, & dimidium
„ privata lumine oculorum, cui non poterat medicorum ſuf-
„ fragio ſubveniri, Dei adjutorio invocato, & meritis B. Bar-
„ baræ Virginis lumen recepit, laudans, & glorificans Dei
„ miſericordiam, qui eam per Beatam Barbaram illuminavit.
„ Mulier de Parochia S. Mariæ Magdalenæ manuum pedum-
„ que officio deſtituta, ita ut ad ſublevandam propriæ naturæ
„ miſeriam aliorum auxilio indigeret, quadam die ad Eccle-
„ ſiam ubi jacet corpus S. Barbaræ deportata implorans miſe-
„ ricordiam Dei, ut meritis B. Barbaræ membrorum ſibi offi-
„ cium redderetur, illico ab oratione ſurgens invenit membra
„ ſua prius paralitica ſanata ſuo corpori officioſiſſime mini-
„ ſtrare, propter quod magnis vocibus glorificavit Deum &
„ Sanctam ſuam. Semperbona de Contrata SS. Apoſtolorum
„ multo tempore cœca fuit, nec aliquo medicamine potuit
„ adjuvari; veniens autem ad ſepulcrum S. Barbaræ toto men-
„ tis affectu invocans miſericordiam Dei, ut ei meritis B. Bar-
„ baræ ſubveniret, extemplo illuminata eſt. Alia puella de Ci-
„ vitate Ferrariæ per unum annum & dimidium cœca fuit,
„ quæ ad ſepulcrum S. Barbaræ a parentibus deducta, illis, &
„ aliis Salvatoris clementiam per merita S. Barbaræ imploran-
„ tibus cum lacrymis, & ſuſpiriis devote illico fuit divinitus
„ illuminata, & feliciter ſtatui priſtinæ ſanitatis reſtituta. Al-
„ truda Matrona de Parochia S. Jeremiæ incurvata artubus,
„ ita ut nec oculos poſſet ad Cœlum levare, acceſſit ad ejus
„ tumulum ſic plicata, & invocata miſericordia Redemptoris,
„ & adjutorio B. Barbaræ erecta eſt, Deum glorificans, & Vir-
„ ginem glorioſam.

Eadem ferme vulgavit Matthæus Palmierius Florentinus in Libel-

Libello cui titulus *Hiſtoria della Translazione del glorioſo corpo della Beata Vergine e Martire S. Barbara di Nicomedia*, in quo etiam addit Emmanuelem Imperatorem Conſtantinopolitanum Duci Venetiarum Vitali Michaeli per ipſius Ducis Legatos Epiſcopum Equilinum & Manaſſem Baduarium dono miſiſſe ipſius Divæ pedem argento ornatum, quem Dux ad Sancti Laurentii Parthenium, ubi ſoror ejus Abbatiſſæ munere fungebatur deduci imperavit; Translationem Divæ Barbaræ ex antiquiori Calotii enarratione Palmarium deduxiſſe certum eſt, ex qua pariter hauſerunt Petrus de Natalibus, Jacobus de Voragine, Franciſcus Sanſovinus, Alſonſus Vigliegas, Ludovicus Zucconius, & alii, quorum aſſertio Calotii narrationi innixa in hujus Scriptoris ſolam authoritatem reſolvitur; & tot ac tanta nomina, quæ obtruduntur, unicum Calotium valent, qui lapidem poſuit, in quem cæteri pedem impegerunt; hoc notant etiam eruditiſſimi Antuerpienſes Biographi multis in locis. Palmerio fides minuitur ex iis quæ ſubdit: *Dal qual corpo per grazia particolare furono levate le oſſa di un braccio e donate all' Abbadeſſa di S. Antonio di Torcello erano all' ora date Monache Agoſtiniane Lateranenſi, che di poi poſte in commenda fu dato il luogo alle Beneditine del Monaſterio di S. Chriſtina di Amiano & in Torcello traſportate*. Nusquam enim Monaſterium Divi Antonii Torcellenſis incoluerunt Sanctimoniales Auguſtiniani Inſtituti, nunquam illud idem eſt ad commendam deductum, unaque tantummodo monialis ex Divæ Chriſtinæ Amianenſis Cœnobio ſuperſtes ab Abbatiſſa Divi Antonii Torcellenſis in filiarum ſuarum numerum recepta fuit.

Cranium etiam S. Sabinæ Martyris una cum Phiala vitrea ejus ſanguinis plena. Legitur in ms. Hiſtoria Cruciferorum de qua ſuperius memini, ſanguinem hunc conſtanter quotannis hyeme liquari, & per æſtatem congelari conſueviſſe.

Femur S. Chriſtophori Martyris magnitudinis plane admirandæ. Memorat eadem ms. hiſtoria extitiſſe advenam, qui viſo femore fidem nollet adjungere quod humanum eſſet. At dum pedem e Templo effert, contrahi cum dolore ingenti experitur. Pœnitet hominem ſuæ incredulitatis, & thecam femori argenteam voto promittit. Tum vero e veſtigio contractio pedis & dolor diſſipantur, cujus miraculi memoria dicitur litteris antiquiſſimis thecæ argenteæ impreſſa.

Præ-

Præterea Spina ex Corona Domini.
Plura Oſſa SS. Innocentium ſub Herode Martyrum.
Caput S. Lanfranchi Epiſcopi Cantuarienſis ex Ordine S. Benedicti, cujus Divus Anſelmus fuit diſcipulus & in Epiſcopatu ſucceſſor.
Caput S. Maximini Martyris.
De Cranio S. Gregorii Nazianzeni Doctoris.
Os S. Laurentii Levitæ & Martyris.
Oſſa SS. Cornelii & Cypriani Mm.
De Oſſe Brachii S. Barnabæ Apoſt.
Dens S. Blaſii Epiſc. Mart. cum phiala ex jaſpide Orientali.
De Oſſe S. Joannis Chryſoſtomi.
De Oſſe S. Ignatii Lojolæ.
Corpora S. Venantii M. Itemque plurima alia Sanctorum Martyrum Oſſa, e Cœmeteriis Romanis educta.

Inter celebriores tabulas pictas, quibus Eccleſia & Sacrarium abundant memorari debet in primis illud artis, ut vocant, miraculum *Nox Titiani*, Tabula ſcilicet, in qua Divus Laurentius noctu craticulæ impoſitus repræſentatur. Accedunt Aſſumptio Virginis Tintoretti penicillo expreſſa, quæ in Ara ipſi Deiparæ ſacra viſitur. Tum ejusdem Authoris Circumciſio Dominica, quæ eſt in Sacrario, ubi pariter ſita eſt Nativitas Domini opus Pauli Calliarii, aliaque celebrium authorum inſignia opera.

Dignius omnium mauſoleum Sacrarii januæ ad Templi partem ſuperimpoſitum Paſchalis Ciconiæ eſt, quem perhibent in Ducem aſſumptum dum ferventius in Eccleſia Cruciferorum pro Republica oraret. Eo Duce Venetum Dominium multa domi foriſque præclara geſſit. Marmorea Paſchalis ſtatua ſuper urnam ſepulchralem parieti appoſitam jacet ſupina, & inferius legitur hæc inſcriptio:

„ *Paſchalis Ciconiæ Venetiarum Principis memoriæ ſempiternæ.*
„ Qui poſt Remp. domi foris e dignitate ſæpius adminiſtra-
„ tam poſt Cretenſem Inſulam cui per decennium ſummo cum
„ Imperio præfuit in Navali ad Echinadas prælio incolumem
„ reſervatam, qua cauſa Cydones illi Statuam in foro E. C.
„ Patriæ ſuæ tandem Princeps mira omnium conſenſione crea-
„ tus eam pariter per decennium tanta aſſiduitate & diligen-
„ tia gubernavit, ut de ejus commodis atque utilitatibus non

„ prius

„ prius finem fecerit, quam animam efflaverit, & ad Superos
„ cum diu æternitati ſuæ interfuiſſet, non ſine opinione ſan-
„ ctitatis Evolavit. Obiit die 11. Aprilis MDXCV. Etatis ſue
„ anno LXXXV. Menſ. x. di. XXV. Paſchalis Ciconia ex fratre
„ Nepos mœſtiſſimus P. C.

A lateribus Inſcriptionis quatuor ſed hinc inde binæ areolæ ſunt in quibus hæc verba diſtributa leguntur.

„ Velut alter Simeon manibus Chriſtum excepit
„ Et velut alter David Cretæ in Bello
„ Patavio in peſtilentia
„ Et Patriæ in fame præſto fuit.

In latere Eccleſiæ quod huic e regione opponitur erectum eſt Mauſoleum Horatio Farneſio, cujus in Rempublicam merita enunciat appoſita urnæ marmoreæ inſcriptio.

„ Horatio Farneſio præſtantis animi ſummæ ſpei Principi
„ Transalpinæ Militiæ Præfecto Navalis victoriæ ad Helleſpon-
„ ti Fauces Tropheis inclito non avitam modo ſed Summo-
„ rum Ducum Gloriam æquaturo niſi imperatoriæ indolis flo-
„ rem Fata ante dies rapuiſſent Senatus ob navatam ſtrenue
„ operam remigeſque & Milites non ſemel a Duce Parmenſi
„ ejus Fratre benigne transmiſſos grati animi M. P. A. MDCLXVI.

Super urnam Horatii ſtatua ſurgit erecta, & baculum militaris imperii dextera, enſem ſiniſtra tenet.

Tertium mauſoleum occupat integrum Eccleſiæ internum latus, in quo eſt Janua major. Si marmora & Architecturam ſpectes nihil poteſt auguſtius inveniri. Memoriam Priami & Joannis & Andreæ trium virorum ex gente Legia Clariſſimorum continet. Media inſcriptio ſic habet:

„ Priamo Legio Andreæ Filio D. M. Procuratori cujus
„ cum incredibilem vitæ integritatem, tum eximiam in
„ adminiſtranda Republica Sapientiam poſteritas omnis ita
„ in perpetuum prædicabit ut ea admirari facilius poſſit quam
„ imitari. Joannes Filius Eques Comes ac Procurator fecit
„ C. Vixit Annos LXXXVIII. Obiit VI. Idus Septembris
„ MDLVII.

Aliæ duæ inſcriptiones totidem urnis marmoreis ſuppoſitæ & ad latera ſejunctæ videntur quarum hæc ſunt verba:

„ Joanni Legio Priami F. Eq. Comiti D. M. Procuratori
„ apud Carolum IX. Galliarum Carolum V. Romanorum, Re-

„ ges

„ ges legationibus perfuncto In Dalmatia contra Turcas Sum-
„ mo cum Imperio in Patria tutanda ſuadenda Forti pruden-
„ ti pio Joannes Andreæ Proc. F. Tanto Avo. V. A. Lxxiv.
„ Obiit Nonas Martias Mdxxc.

„ Andreas Legius D. M. Procurator, Eximias parentis Joan-
„ nis Equitis Procuratoris Virtutes admiratus Dignitate par-
„ ta amplitudine ſervata felicitate quæſita Eternam tandem
„ Lxxviii. Etatis anno Eſt adeptus vi. Kal. Nov. cIɔIɔcIV.
„ Joannes Filius Patri monumenta paravit.

His addi debent tres lapides ſepulchrales, quorum primus parieti in Sacello S. Franciſci Xaverii eſt affixus & de Catherino Zeno Viro in Republica Clariſſimo hæc enunciat.

„ Katarinus Zeno Pet. Fi. Poſt Leg. ad Turc. Imp. Functa cum
„ iiii. Conſs. Ageret obiit. Vixit Annos Lxxvii. Ni. Fi.
„ M. P. M. dlvi.

Alter vero in media Eccleſiæ area poſitus elogium exhibet Cl. V. Bernardini Zendrini ibidem tumulati.

D. O. M.

„ Bernardini Zendrini Camu:ni Ph. & M. D. Seren. Reip.
„ Venetæ Mathematici & aquarum inſpectoris Oſſa hic re-
„ quieſcunt Obiit A. Mdccxlvii. Ætatis ſuæ Lxviii. H. M.
„ Moer. N. S.

Tertius denique memoriam profert Bonifatii Baronii de religioſa hac domo optime meriti, cujus renovationis exordia ex ejus ære legato deducta ſunt anno Mdccxxxxvii.

„ Bonifatius Baroni De Domo Veneta Soc. Jesu Ære Leg.
„ Opt. Mer. Obiit vii. Idus Nov. cIɔ. Dccxlv.

Parieti Eccleſiæ in Clauſtro collocatum adjacet Sacellum Chriſto Redemptori a Georgio Georgio Equite erectum ut ex affixa ſignificatur Epigraphe.

„ Altare Hoc Chriſto Redemptori Georgius Georgio Eques
„ quondam Joannis Et Comes Zumel Erexit. Aloyſius Geor-
„ gio quondam Conſtantini Comes Ex Fratre Nepos, Et So-
„ lus Hæres Clauſtris Ferreis Cinxit, Pavimento Ornavit Et
„ Centum Ac Viginti Ducatos Annuos in Eleemoſinam pro
„ Miſſa quotidie in perpetuum celebranda, Paramentis, Cereis,
„ Utenſilibus, Aliiſque Ad ejusdem Ornatum Neceſſariis Le-
„ gavit. Monimentum Hoc Poſitum Die Prima Menſis Martii
„ Anno Mdclxxxviii.

A Societate in Venetam ditionem reſtituta hæc eſt Chronologica ſeries Præpoſitorum domus profeſſæ.

1657. 6. Dec. Camillus Rodengus Brixienſis Vicepræpoſitus.
1658. 1. Novemb. Paulus Caſati Placentinus. Hic idem ille eſt ſcriptis phyſico mathematicis clarus, quem ut in multis claſſicum commendat Wolphius Tom. V. de præcipuis ſcriptis Mathematicis. Eo etiam nomine orbi chriſtiano notus, quod illum Romanus Pontifex ad Chriſtinam Svecorum Reginam miſit cum de amplectenda Religione catholica cogitaret. Religioſiſſimi autem æque ac doctiſſimi Viri pietas & doctrina tantum opus perſecerunt. Iterum 1663. Menſe Majo.
1661. 1. Novemb. Jo: Baptiſta Aldrovandus Mantuanus.
1664. 29. Octob. Geminianus Ganzerla Mirandulanus, qui ſingulari prudentia præditus, dum regimen producit obiit 25. Octob. 1668.
1668. 29. Novemb. Octavius Rubeus Piſaurenſis.
1671. 22. Decemb. Gottardus Bellhomus Caſtilionenſis.
1675. 19. Febr. Aloyſius Gonzaga ex Marchionibus Mantuæ. Iterum 1. Febr. 1683.
1679. 3. Januarii. Alphonſus Novara Ferrarienſis.
1686. 18. Apr. Gabriel Pioveneus Venetus.
1689. 29. Septemb. Hieronymus Piatti Bergomas.
1692. 6. Decemb. Hieronymus Correjus Venetus.
1696. 11. Apr. Livius Pagelli Vicentinus.
1699. 1. Sept. Jacobus Pioveneus Venetus ſuprамemorati Gabrielis Frater. Iterum 27. Aug. 1716.
1702. 22. Novemb. Bartholomæus Terizengus Cremonenſis.
1708. 7. Octob. Camillus Guglienzius Veronenſis.
1710. 20. Julii. Franciſcus Albani Brixienſis. Nulli hic Theologorum ſuo ævo ſecundus habebatur.
1713. 18. Maii. Donatus Mora Venetus. Hic ingreſſum in Sinas per Moſcoviam fruſtra tentaverat. Divino ſcilicet conſilio patriæ ſuæ reſervabatur, in qua ad mortem usque morum innocentia & ſingulari prudentia claruit, omnibus Urbis ordinibus æque carus.
1719. 16. Dec. Bartholomæus Antonius Turco Veronenſis.
1723. 11. Jan. Odoricus Zuanera Brixienſis.

Sub

Sub ejus regimine obiit magna cum ſanctitatis fama Andreas Alcenago, de quo pro ejus in urbem noſtram meritis liceat mihi pauca hæc apponere grati animi monumentum.

Andreas Alcenago Veronæ ann. 1651. nobili genere natus dedit nomen Societati Ann. 1670. Poſt humaniores, & ſeveriores litteras Placentiæ Bononiæ Romæ in Scholis traditas, Miſſionem ad Indos, quam toties enixe poſtulaverat, lætus tandem obtinuit. Sed dum Januam feſtinans venit, ut navim conſcendat, hanc portu ſolviſſe dolens intelligit. Fuit hæc provida Numinis diſpoſitio ut Venetiæ ſeptem integris luſtris quot vixit tanto viro gauderent. Philoſophiam & Theologiam primum docuit, diſcipulis ingenii excellentia, & morum ſanctimonia æque admirandus. Tum Evangelici Operarii munia obire cœpit, in quibus omnium religioſarum virtutum ampliſſima exempla præbuit. Aſſiduum in illo Orationis ſtudium in qua noctes integras tranſigebat, ex qua intima cum Deo converſatione, tanta erat vultus & affectuum conſtans tranquillitas, ut ne leve quidem commotioris animi ne dum perturbati ſignum unquam ediderit. Candorem ſinceræ mentis, demiſſionem hominis ſibi deſpicatiſſimi, benignitatem adverſus omnes in ipſo occurſu præſeferebat. Cum infimis pauperibus libentiſſime verſabatur, eorumque ſuſcipiebat cauſas, & egeſtatem quacunque poſſet ratione ſublevabat, ita ut dixiſſes illum præ mendicis negligere divites, licet a proceribus vel expiandæ conſcientiæ, vel exquirendi conſilii cauſa certatim expeteretur. Quo rarius tamen Procerum terebat limina, eo majore illorum benevolentia celebrabatur, vixque credibile eſt quantam ab iisdem pecuniæ vim ultro datam ad levandam egentium inopiam collegerit. Carcere detentos, & ad Triremim damnatos ſibi præ cæteris juvandos delegit, & quanto quisque facinoroſior, & perditior erat, tanto illum complectebatur amantius. Contigit ut peſſimus ex illis alapam in ejus faciem impingeret nulla alia de cauſa niſi quia eleemoſinam in alios etiam

dividendam ſibi totam erogari vellet. Re comperta exarſit ira Magiſtratus, & pœnam non ita levem diſponebat, ſed interceſſit vir ſanctus, & qui tacitus publicam illam injuriam pertulerat, eloquens fuit ad Judicem in veniam flectendum. Ægrotis in carina jacentibus & ob loci anguſtias valde proximis, medius & pronus accubabat, ut mærentes conſolaretur, & peccati reos ad pœnitentiam provocaret. Tot laborum oneri Miſſiones in continenti addebat, & pagos centum decem pluribus ſucceſſive annis excoluit ad ultimum uſque ſenium, donec tandem dierum & operum plenus ex Pleuritide obiit Venetiis die 20. Decembris 1724. Annos natus 73. quorum 35. Venetiis fuit. Morti proximus hæc identidem repetebat oculis in Cœlum converſis: Auge dolorem ſed auge amorem. Ad lectulum morientis ſæpius acceſſerunt Venetus Patriarcha, Nuncius Apoſtolicus, Regii Oratores, & Urbis Proceres, ut Viri Sancti Benedictionem referrent. Ille non de ſe ſed de ſuis Pauperibus ſollicitus eorum miſerias ſublevandas omnibus commendabat. Eo mortuo luctus ingens tota urbe fuit, dolentibus præſertim pauperibus ereptum ſibi amantiſſimum Patrem. Ad viſendum in Eccleſia cadaver frequens acceſſit multitudo, & ii ſibi beati videbantur, qui fruſtulum ex ejus veſtibus obtinere a Domeſticis poſſent.

1726. 19. Januarii. Dyoniſius Origius Mediolanenſis.

1729. 28. Febr. Gabriel Aloyſius Pioveneus Venetus; cujus frater e Societate Jesu Sacerdos Petrus nomine celeberrimus in re nummaria ſcriptor Farneſiani Muſæi nummiſmata eruditiſſime digeſſit, & explicavit, opus in actis Eruditorum Lipſiæ magnopere Commendatum: & quoniam obiter rem litterariam attigi, juvat de Joanne Baptiſta Prati Veneto ejusdem ſocietatis, qui hoc tempore obiit, mentionem ingerere. Sacras iſte diſciplinas altiores in Mantuana univerſitate uſque ad ſenium profeſſus eſt ſummo cum omnium ordinum plauſu. Philoſophicum compendium rerum delectu laudatiſſimum typis edidit.

1732.

1732. 2. Julii. Joannes Papaſava Patavinus.
1735. 26. Decemb. Maximilianus Gonzaga ex Marchionibus Mantuæ.
1739. 6. Apr. Joannes Antonius Bernardi Patavinus.
1742. 5. Sept. Cæſar Martinenghus Brixienſis. Eo Domum Profeſſam regente inſtitutæ ſunt Miſſiones Urbanæ, quas populus avide arripuit, & quibus ſe mirifice juvari etiamnum profitetur. Debentur hæ pietati Joannis Campelli Nobilis Bellunenſis, qui præter hoc pium opus ducentos mille argenteos erogavit in pauperes, ut theſaurum non deficientem ſibi compararet in Cœlis.
1745. 9. Dec. Stanislaus Duglas Scotti Cremenſis.
1749. 8. Maii. Joannes Baptiſtas Brighenti Brixienſis.

Bonus habere Gauſonus donat Eccleſiæ S. Mariæ de Cruciariis quasdam vineas poſitas in Paleſtrina & prope Clugiam.

A.

1170. Decembris.

Ex Archivo Patriarchali.

IN Nomine Dei & Domini noſtri Jeſo Chriſti Amen. Anno à Nativitate ejusdem milleſimo centeſimo ſeptuageſimo, Menſis Decembris Indictione IV. Rivoalti.

Cum convenit unicuique cogitare, qualiter omnis homo de bonis, & malis, quæ fecit in hoc mundo rationem in die judicii reddere debeat de eo. Nullus de bonis factis poteſt ſalvari, niſi Divina gratia intercedente. Quapropter ego Bonus habere Gauſonus de confinio S. Sophiæ cum multociens revolverem in animo meo, quid darem Deo & ejus genitrici Virgini Mariæ Eccleſiæ de Cruciaris bonæ memoriæ Cleti poſita inter Murianum & Rivum S. Apoſtoli pro peccatorum noſtrorum atque propinquorum noſtrorum, & pro redemptione animæ meæ, & patris & matris meæ offero, & concedo atque tranſacto Deo, & iſtæ Dei Eccleſiæ S. Mariæ cum meis heredibus totum meum alodo, (*a*) quod habeo, & mihi pertinet habere in territorio qui dicitur paleſtrina tam aquam, quam terram. Et ſimiliter in loco qui dicitur Coreglo. Uno capite de meo alodo firmat in mare, & alio capite firmat in canale majore pupulare qui diſcurit iſto canale uſque alavolta de boſco de Peleſtrina. Uno latere de prædicto meo alodo terra & aqua firmat in terra S. Zachariæ & alio latere firmat in terra S. Marci. Et ſimiliter totum meum alodo, quod ego habeo, & mihi pertinet habe-

(a) *Alodus Alodii Alodium Aladium* & ſimilia idem ſignificant ac fundus, vel prædium, ut fuſe notat Ducangius in Gloſſario littera A.

habere in territorium de Clugia in loco qui vocatur Campo ſimiliter in iſta Dei Eccleſia S. Mariæ de Cruciaris Do, & concedo atque tranſacto. Habeat autem iſtum alodum cum omni virtute & poteſtate, (*b*) quam ego habeo tam cum cartulis quam ſine cartulis in iſta Dei Eccleſia S. Mariæ do & concedo, atque offero habendum, tenendum, poſſidendum, & quidquid ſibi placuerit faciendi nullo ſibi homine contradicente. Salvo tamen ut illi homines, qui ſunt in prædicta Dei Eccleſia per tempora debeant dare pro anima mea omni anno uſque in perpetuum uno bigoncio de vino per unamquamque Congregacionem de Rivoalto, (*c*) & illi ſcilicet de illis congregationibus debeant facere meum anniverſarium. Quod ſi unquam tempore contra hanc meam præſentem offercionis cartam ire temptavero incidat ira divina in nos, & in omnibus illis quicunque aliquid inde ſubtrahere vel reinuere præſumpſerit & ſint anathemate trecentorum decem & octo patrum (*d*) conſtricti, & inſuper componant iſta Dei Eccleſia S. Mariæ de Cruciaris auri libras quinque, & hæc offercionis carta ſemper maneat in ſua firmitate.

Ego Bonus Habere Gauſonus qui hæc fieri rogavit.

Ego Marcus Eccleſiæ Sancti Leonardi Presb. & Not. complevi & roboravi.

(b) Virtus & poteſtas idem ſonant cum jure & poſſeſſione uti habetur in vita S. Romualdi per Divum Petrum Damianum conſcripta. Cap. xxxv. *cuncta ſuæ virtutis offerunt prædia*; Et cap. xxxix. *Non longe à Caſtro. predii in virtute Raynerii* Vide Annotationes ad opera S. Petri Damiani Ædit. Venet. Tom. II. pag. 223.

(c) De Congregationibus Cleri Sæcularis loquitur, de quibus ſermo erit aliquando.

(d) Phraſis hæc quæ Anathema Concilii Primi Nicæni minatur apud Græcos magis quam apud Latinos in uſu erat.

Prior & Fratres Cruciferorum vendunt petiam Terræ de Palude Icilino de Vicentia.

B.

1254. 3. Maii.

Ex Archivo Monaſterii S. Catharinæ Venetiarum.

IN Nomine Dei Æterni Amen. Anno ab Incarnatione Domini Noſtri Jeſu Chriſti 1254. Menſis Madii die tertio intrante Indictione duodecima Rivoalti. Manifeſtum facimus nos Frater Vincentius Prior Eccleſiæ S. Mariæ Cruciferorum una cum Fratribus noſtri Conventus, quorum nomina inferius continentur, conſentiente Nobis Domino Raynerio Geno inclito Duce Venetiarum dictæ Eccleſiæ S. Mariæ advocatore cum noſtris Succeſſoribus, quod ab hodie in antea in Dei nomine damus, Vendimus, atque tranſactamus tibi Icilino quondam de Vicentia nunc habitatori in Confinio S. Silveſtri, & tuis heredibus, & pro heredibus, ſeu poſteris tuis in perpetuum poſſidendi, vel quicquid placuerit faciendi, hoc eſt unam petiam Terræ aqua ſuper labente de palude, quæ eſt de jure, & pertinentia Supradictæ Eccleſiæ S. Mariæ in Confinio S. Sophiæ poſitam, ſecundum quod firmat unum ſuum caput in via communi lata pedes octo, ſuper quam viam poteſtatem habere debes jactandi Revetenem latum pedes tres cum gronda, & grondali, quæ via diſcurrit uſque ad pontem communem, per quem tranſitur uſque in aliam viam communem latam de pedibus octo, quæ diſcurrit uſque ad alium pontem com-

munem,

munem, qui tenet unum ſuum pedem ſuper Terram Philippi da Molino, per quam Terram omnes, qui de dicta noſtra palude habuerint, poteſtatem habere debent ire, & redire uſque ad callem communem, per quem homo poteſt ire, tam ad Eccleſiam S. Sophiæ quam ad Eccleſiam S. Felicis, & aliud ſuum caput firmat in noſtra palude, unum ſuum latus firmat in Neguſente, & aliud ſuum latus firmat in Andrea Arcadore; Quæ verò petia Terræ habet in latitudine ſua paſſus octo, & in longitudine ſua paſſus viginti. Hanc itaque ſupradictam, & predeſignatam petiam Terræ aqua ſuper labente, quam nuper elevare feciſti cùm omni longitudine, & latitudine ſua cùm capitibus, & lateribus ſuis, cùm Callibus quoque, & viis ſuis cùm acceſſu & egreſſu ſuo per Terram, & per aquam, atque cùm omnibus ſuis habentiis, & pertinentiis, ſeù adjacentiis ſuis tibi damus, vendimus, atque tranſactamus amodò intromittendi, habendi, tenendi, vendendi, dandi, donandi, dominandi, commutandi, & in perpetuum poſſidendi, vel quicquid inde tibi placuerit faciendi, cùm vigore, & robore de omnibus Cartis novis, & veteribus ad ipſam petiam Terræ pertinentibus nullo tibi homine contradicente; Prætium autem placitum, & definitum exinde nobis dediſti libras denariorum Venetiarum vigintiſeptem; Quapropter plenam, & irrevocabilem ſecuritatem facimus nos ſupradicti Prior, & Fratres dicti noſtri Conventus, quorum nomina inferius continentur cùm noſtris ſucceſſoribus tibi præfato Icilino, & tuis heredibus, quatenùs tàm de ſupradicta petia Terræ, quàm & de ejus prtetio ſecurus, & quietus permaneas in perpetuum, quia nihil inde remanſit, unde te amplius requirere, aut compellere valeamus per ullum ingenium; Salvo, eo quod omni anno in perpetuum in feſto S. Mariæ de Septembri nobis, & noſtris ſucceſſoribus tu cùm tuis heredibus, & ſucceſſoribus, qui dictam Terram habuerint dare, & deliberare debetis ſolidos denariorum Venetiarum tres prò cenſu ipſius petiæ de Terra; Quod ſi contrà hanc Venditionis, & ſecuritatis Cartam ire tentaverimus, tunc emendare debeamus cum noſtris ſucceſſoribus tibi, & tuis heredibus, & ſucceſſoribus totum ſupradictum tuum prætium in duplum, & inſuper auri Libras quinque, & hæc Venditionis, & ſecuritatis Carta in ſua firmitate permaneat. Signum ſupradictorum Prioris, & Fratrum dicti Conventus S. Mariæ, qui hæc fieri rogaverunt; Nomina quorum Fratrum ſunt iſta. Presbiteri Petrus, & Vitulinus, & Ugolinus Diaconus; Fratrum Laicorum nomina ſunt iſta; Joannes, Henricus, Vincentius, Joannes, Paſchalis, Nicolaus, Thomàs, Beraldus, Martinus, Jacobinus, & Belotus.

Ego Rainerius Geno Dei Gratia Dux avocator S. Mariæ m. m. ſubſ. &c.

Ego Marinus Subdiaconus S. Apoſtolorum Teſtis.

Ego Nicolaus Subdiaconus S. Apoſtolorum Teſtis.

L. S. V. Ego Bartholamæus S. Apoſtolorum Præsbiter Plebanus & Notarius complevi, & roboravi &c.

Gregorius de Monte Longo Patriarcha Aquilejenſis donationes a Bertoldo prædeceſſore ſuo factas Monaſterio Cruciferorum de Venetiis confirmat.

C.

1256. 25. Auguſti.

Ex Archivo Civitatis Tarviſinæ.

GRegorius Dei Gratia S. Sedis Aquilegienſis Patriarcha univerſis tam præſentibus quam futuris in perpetuum. Si loca religioſa, & pia, in quibus nomen Domini piis obſequiis jugiter exaltatur, in iisque humiliter petuntur à nobis, ampliare diligamus, & gratum per hoc Deo præſtare obſequium, & Animæ noſtræ credimus preparare profectum. Cum igitur bonæ memoriæ Bertoldus Prædeceſſor noſter penſatis deliberatione pia beneficiis multis, quæ in hoſpitali Domus S. Mariæ Cruciferorum de Venetiis continue infirmis, & pauperibus erogantur, Priori, & Fratribus Hoſpitalis ejusdem libere conceſſiſſet, ut in curia de Medulo, & de Medatis in perpetuum ligna pro foco ad opus, & ſufficientiam dicti Hoſpitalis buſcare, campullare, (*a*) & accipere poſſint ſine ulla contradictione, & conditione cujusquam excepto quod de bannitis nemoribus ad nos ſpectantibus occaſione hujusmodi tollere non deberent. Nos pro reverentia glorioſæ Virginis, cujus nomen in hoſpitali prædicto glorioſe invocatur, & dilectorum in Chriſto Prioris & Fratrum hoſpitalis ipſius devotis ſuplicationibus favorabiliter excitati, quod per eundem prædeceſſorem noſtrum factum eſt in hac parte, ſicut in confecto exinde publico Notarii ipſius ſigillo pendenti munito vidimus plenius contineri, ratum, & gratum habemus, & pro nobis noſtrisque ſucceſſoribus in perpetuum confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus; Præterea manſos omnes ſitos in Villa de Cruce cum pertinentiis & juribus eorumdem, ipſos dilectus Filius Magiſter B. quondam Vicedominus auctoritate & mandato præfati prædictis mr. conceſſit Priori, & Fratribus memoratis, ſicut in confectis exinde patentibus ipſius Vicedomini litteris ſuo ſigillo ſignatis contineri videmus Priori, & Fratribus antedictis pro Animæ noſtræ remedio uti fruendos concedimus, & tenore præſentium confirmamus. In quorum omnium ſtabilem, & perpetuam firmitatem preſentes litteras noſtras inde fieri fecimus, & ſigilli noſtri pendentis munimine roborari.

Datum Venetiis Septima exeunte Auguſto Anno 1256. Indictione 14.

Ego Jo: de Varrago Sac. Pal. Notarius hoc exemplum ſumptum ex authentico privilegio &c.

(a) Hæ voces *buſcare* & *campullare* nec in Gloſſario Ducangii inveniuntur ſignificant autem ex vernaculo deducte *ſcindere* & *evellere*.

Lud-

Ludovicus de Dardanis Sindicus Monaſterii S. Mariæ Crucifero- rum Armelinam de Aragonibus in Prioriſſam Hoſpitalis eidem Monaſterio ſubjecti inſtituit.

D.

1445. 25. Januarii.

Ex Archivo Monaſterii S. Jacobi de Muriano.

IN Nomine Dei Æterni Amen. Cum ſit quod per mortem q: D. Magdalene Zacaria olim Prioris Hoſpitalis pauperum Monaſteri Domine Sancte Marie Cruciferorum de Venetiis oporteat novam ejusdem Hoſpitalis & pauperum priorem eligere: Idcirco tum de probitate, moribus, & vita honeſtæ mulieris D. Armelinæ de Aragonibus relictæ qu: . . . . ab innumeris nobilibus & civibus matroniſque hujus almæ & inclytæ civitatis preſertim circumhabitantibus idem Hoſpitale facta fuiſſet indubitata fides: qui attentis, & circumſpectis virtutibus, quibus predita eſt prefata D. Armelina, & qua uſa eſt erga Hoſpitale, & Monaſterium predictos bene agendo: bene procurando pro locis ipſis cum elemoſinis, caritate amore & devotione plurimum rogaverunt, & interceſſerunt pro ea apud Specialem & generoſum D. Ludovicum de Dardanis procuratorem & ſindicum antedicti Cœnobii & Monaſterii ac hoſpitalis: cujus eſt muneris ex conſuetudine & obſervantia priorem, & pauperes in loco ipſo conſtituere, ac deputare, prout cunctis notum eſt: abſente Reverendiſs. D. Matthæo de cremaſchis generale & priore dicti Monaſterii, ſed preſentibus & aſtantibus Ven. D. Fratribus Chriſtophoro Vicario ipſius Reverendiſſimi D. Generalis & Prioris & Archangelo Fratre ac confratre ejusdem R. D. Generalis & Prioris cum ceteris confratribus ipſius Monaſterii, nec non & Nicolao Georgii negociorum geſtore Monaſterii ſepedicti cum pluribusque notabilibus, & civibus & perſonis: Prefatus D. Ludovicus Dardanus, premiſſa miſſe celebratione & invocato Sancto Spiritu in nomine Patris, & Filii, ad honorem & laudem Beatiſſime matris Marie ac Sanctiſſime Crucis, nec non Beatiſſimi Marci, ac Ludovici omniumque Sanctorum ac Sanctarum Elegit eam D. Armelinam præelectam inter alias mulieres id implorantes, eamque datis & aſſignatis clavibus domus & hoſpitalis predictorum Conſtituit priorem ipſius hoſpitalis in vita ſua, cum honoribus, preeminentiis & utilitatibus ſolitis, oneribus, & laboribus conſuetis. Adjectis etiam capitulis infraſcriptis Quibus ipſa D. Armelina prior tenetur & debeat obedire, & illa obſervare, obſervari cuſtodirique facere, quemadmodum in illas inferius plane legitur atque deſcribitur; onus ejus conſcientiæ ſuperinde imponendo ad bene beateque gubernandum pauperes dicti hoſpitalis vitam ducendo & duci faciendo per pauperculas hoſpitalis prout religioſa & devota mens requiret amorem, quietem, pacem & caritatem inter eas ponendo, & conſervando, ſicuti facere debet & tenebitur & faciendum eſt & ſperatur; Ipſa D. Armelina preſente devote & maximo cum animi affectu, & caritate acceptante ut ſupra, & infra & dicta obſervare obſervarique facere pro viribus promittente de quibus omnibus ipſe partes rogaverunt me notarium infraſcriptum publicum conficere inſtrumentum: teſtibus quibus ſupra preſentibus.

Capitula de quibus ſupra hæc ſunt, videlicet:

Primo: *Che debiate far reſidentia & continua habitatione nela caſa del ditto hoſpedale ſolita habitatione dele priore.*

II. *Che cum vui non togliati in caſa fiolo, nura, nè parenti, & maxime donna, ne garzona, ſalvo per voſtra compagnia e ſervicii neceſſarii di caſa una fanteſca, over maſſara, over compagna, che non abbia menor etade de anni XL.*

III. *Che le porte del hoſpedale maiſtre ſiano ſempre ſerate a ore ventiquatro e le chiave ſiano la notte appreſſo de vui, over voſtra vicegerente.*

IV. *Che non laſſati habitar cum le povere perſona alguna in ditto hoſpedale, ſalvo in caſo d'infirmitade, e che ſia donna de età de anni XL. o più.*

V. *Che in caſa voſtra, & per le Celle delle povere non intri, ne pratichi frati de alguna ſorte, nè ordene per alguna caſone, & biſogno ſalvo el Reverendo Padre prior, over qual de ſuoi frati ſua paternità conſtituiſſe per confeſſione e beneficii ſpirituali in caſo de infirmitade.*

VI. *Che ogni mattina juxta el laudabile conſueto antiquo preſente epſa priora o ſua vicegerente, vadino, o facino andare le povere del hoſpitale al altare della Madona de eſſo hoſpitale a rendere gratie a quella; & pregare Dio per el ſtato della noſtra Illuſtriſſima Signoria, libertà & conſervatione del Moneſtier, e per le Anime de chi gli hà ſtatuito tanto bene, dicendo cadauna deſſe inginocchioni cinque* Pater noſter *e cinque* Ave Maria *a riverentia della Santiſſima Croce & Paſſione del noſtro Signore Jeſu Chriſto; Tri per la SS. Trinitade, & ſette per le ſette allegrezze della Madona.*

VII. *Che ogni Domenica ala meſſa, che ſe diſe in hoſpitale, ſe debiano atrovare tutte le povere, & quella aldire devotamente cum le ſolite ſue oratione.*

VIII. *Che a ſeptimana, over meſe faciate, che le povere a do a do quelle cioè ſe poſſino exercitare debbiano tegnir mundo, & ſcovato tutto l'andedo de ditto hoſpitale, tra luna e laltra porta, e non tegnire animale de alguna ſorte nelle ſue celle excepto qualche gatto.*

IX. *Che per quel pocho tempo uſareti el voſtro exercitio, ne da poi rezevate donna de alguna ſorte in caſa, ne ſotto el coperto del hoſpitale pregnante, nè parturiente, ne in cuſtodia, nè fioli, nè fiole utriuſque ſexus de algun a nutrir.*

X. *Che quello ve trovareti aver in caſa a voſtra morte de mobele, cioè leti, Cavazali, Cuſſini, coltre, Linzuoli, & drapamenti de lino ſia & rimanga al moneſtier prædittо per l'anima voſtra; de lo reſto del voſtro ne faciati a beneplacito.*

XI. *Che vui in algun tempo, ne Caſo ſimilmente le povere del ditto hoſpedale non debiano intrar, ne andar in altre parte del moneſtier e Chieſia ſalvo nel caſſo della Chieſia & primo inclauſtro per honeſta & bona exemplarità de altri.*

Lecta, & publicata per me Notarium infraſcriptum Venetiis in Hoſpitali prædicto Anno ab Incarnatione Domini MCCCCXXXXV. die xxv. Januarii Indictione XIII. præſentibus quibus ſupra teſtibus rogatis.

Ego Ludovicus Reginus filius D. Jacobi publicus Imper. authoritate Notarius præmiſſis omnibus præſens fui, & rogatus hanc cartam ſcripſi, meque meo aſſueto ſigno ſubſcripſi, & nomine roboravi.

Ale-

Alexander Pp. VII. datis ad Carolum Caraſſam Epiſcopum Averſanum Legatum Apoſtolicum litteris mandat, ut bona Ordinis Cruciferorum jam ſuppreſſi Reipublicæ Venetæ concedantur in uſus militares contra Turcas.

E.

1656. 29. Aprilis.

Ex Tabulario Domus Profeſſæ Soc. Jeſu Venetiarum.

ALEXANDER PAPA VII.

VEnerabilis frater ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Nuper nos ex certis tunc expreſſis cauſis, Ordinem Fratrum Cruciferorum nuncupatorum, in quo non niſi quatuor Monaſteria ſupererant, quia ex Vigintiquinque Monaſteriis, quibus dictus Ordo in univerſum conſtabat, viginti, & unum in vim Conſtitutionis Fæl. rec. Innocentii Pp. Decimi Prædeceſſoris noſtri, quæ incipit, *Inſtaurandæ*, prius ſuppreſſa fuerant, nec non Congregationem Canonicorum Regularium Sancti Spiritus Venetiarum, quæ unum tantum Monaſterium redactum ad paucos Canonicos Regulares cum aliquot hoſpitiis, ſive membris habebat una cum omnibus ipſorum Ordinis, & Congregationis Dignitatibus, Offitiis, ac Miniſteriis, omnique conventualitate, titulo, eſſentia, ac denominatione extinximus, ſuppreſſimus, & abolevimus, Ac univerſa eorumdem Ordinis, & Congregationis ſuppreſſorum reſpectivè, Bona mobilia, & immobilia, tam ſacra, quam prophana, Conventus, Monaſteria, hoſpitia, ſeu membra, Domos, Vineas, prædia, Canones, reſponſiones, fructus, Introitus, & jura quæcunque, ubicumque locorum exiſterent, noſtræ, & Sedis Apoſtolicæ diſponi in uſus, & opera pia per eos, quibus id à nobis, & Sede prædicta commiſſum foret convertenda reſervavimus. Prætereà Fratribus, Ordinis, & Perſonis Congregationis Suppreſſorum hujuſmodi, qui, & quæ tunc vivebant, & in eisdem Ordine, ſeu Congregatione reſpectivè profeſſionem emiſerant, facultatem tranſeundi ad aliam quamcunque Religionem, ab eadem Sede approbatam, in qua benevolos invenirent receptores, aut remanendi in ſæculo in habitu Clerici Secularis ſub juriſdictione, & obedientia ordinariorum locorum, ubi eos morari contigeret, cum proviſione eorum Fratrum Ordinis ſuppreſſi prædicti ſingulis pro alimentis in ſumma quadraginta ſcutorum monetæ Romanæ ſuper certis Bonis, aut redditibus ipſius Ordinis ſuppreſſi; Perſonis vero dictæ Congregationis ſuppreſſæ pro victu, & aliis neceſſariis, in ſumma Ducatorum centum Monetæ Venetæ currentis ſingulis, ſuper certis Bonis, aut redditibus ejuſdem Congregationis ſuppreſſæ reſpectivè annis ſingulis donec viverent, ſeu aliunde ſufficienter eis proviſum foret per dictos ordinarios aſſignanda tribuimus, & impartiti ſumus. Poſtremò ne Eccleſiæ dictorum Ordinis, & Congregationis Suppreſſorum debito deſtituerentur ſervitio, ſed ſartæ tectæ cuſtodirentur, eiſdem ordinariis locorum commiſſimus, & mandavimus, ut Cappellanos deputarent cum competenti mercede etiam ſuper certa re de Bonis prædictis reſpectivè aſſignanda, per quos miſſarum, & aliis omnibus ſatisfieret, ac ipſis Eccleſiis debitus cultus, & veneratio conſervetur. Utque ipſi Ordinarii Inventarium tam ſacræ, quam prophanæ ſuppellectilis ad Ordinem, &

Congregationem ſuppreſſos prædictos ſpectantis accuratè conficerent, ac providerent, ne à quoque occultari, occupari, aut inde amoveri ullatenus poſſet, niſi, & donec à nobis, ſeu Sede prædicta aliter provideretur, & alias prout in binis noſtris in ſimili forma Brevis Die 28. præſentis menſis Aprilis expeditis Litteris, quarum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & verbatim inſertis haberi volumus, uberius continetur. Ad hec alias vigore memoratæ Conſtitutionis ejusdem Innocentii Prædeceſſoris in Statu Reipublicæ Venetorum plures parvi Conventus diverſorum Ordinum & Congregationum tam Mendicantium, quam non Mendicantium ſuppreſſi remanſerunt, quorum Bona nullis certis uſibus hucusque applicata fuerunt. Cum autem ſicut dilecti filii Nobiles Viri Dux, & Reſpublica prædicta Venetorum nobis nuper exponi fecerunt ipſi ab undecim annis citrà Bellum à Turcarum Tiranno ſibi illatum pro defenſione ſuarum dictionum ſuſtinuerint; Nunc verò ejusdem Reipublicæ facultates dicti Belli occaſione ità accitæ ſint, ut eidem Bello imposterum propulſando non ſint ſuffecturæ, ac proinde manifeſtum immineat periculum, ne Regnum Cretæ Chriſtianum ab eodem Tiranno penitus occupetur, niſi dicta Reſpublica opportuno aliundè ſubſidio adjuvetur. Hinc eſt, quod nos, qui pro Commiſſo nobis à Domino Curæ Paſtoralis offitio omnibus viribus omnique ſtudio aſſiduè contendimus, ut res Chriſtiana ab Infidelium invaſionibus defendatur, & ſecura conſervetur, Reipublicæ prædictæ de alicujus ſubventionis auxilio in præmiſſis providere, ipſosque Ducem, & Rempublicam pro paterno noſtro erga eos affectu, ſpetialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares Perſonas à quibusvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti aliisque Eccleſiaſticis Sententiis, Cenſuris, & Pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt ad effectum preſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes; ſupplicationibus eorum nomine nobis ſuper hoc humiliter porrectis, inclinati, omnia, & ſingula Bona in Statu memoratæ Reipublicæ Venetorum (exceptis Sacris) exiſtentia, tam Ordinis Fratrum Cruciferorum, & Congregationis Canonicorum Regularium Sancti Spiritus Venetiarum, quam parvorum Conventuum in eodem ſtatu exiſtentium, ut præmittitur, ſuppreſſorum in ſubſidium memorati Regni Cretæ, & expeditionis contra Turcas prædictos, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuo applicamus. Ac tibi per easdem preſentes committimus, & mandamus, ut per te ipſum vel per Commiſſarios à te ſpecialiter deputandos Bona hujusmodi quamprimum vendas, detractis tamen prius detrahendis, tam pro alimentis Religioſorum nunc viventium in Ordine, & Congregatione ſuppreſſis prædictis juxtà ſupradictas noſtras Litteras, quam pro ſervitio, & manutentione Eccleſiarum eorumdem Ordinis, & Congregationis, nec non parvorum Conventuum, atque onerum illis reſpectivè incumbentium ſupportatione, & pretium indè redactum deponi facias penes Edem ſacram, vel Perſonam fide, & facultatibus idoneam, itaut exinde extrahi minimè poſſit, niſi cum mandatis propria tua manu ſubſcriptis cum expreſſione cauſæ, & uſus, in quem pecunia erit eroganda, qui quidem uſus non ſit alius, quam pro ſubſidio, & expeditione antedictis. Decernentes præſentes litteras validas, & efficaces exiſtere, & fore, neque ſub quibusvis ſimilium applicationum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, aut contrariis diſpoſitionibus unquam comprehendi, aut comprehenſas cenſeri, ſed ſemper ab illis exceptas & quoties *illæ* emanabunt toties in priſtinum & validiſſimum ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenariè reintegratas, ac etiam ſub poſteriori data per dictos Ducem & Rempublicam eligenda, de novo conceſſas intelligi, ſuosque, denarios, & integros

gros effectus ſortiri , ac obtineri , & iisdem Duci , & Reipublicæ & aliis ad quos ſpectat & pro tempore ſpectabit pleniſſimè ſuffragari . Sicque in præmiſſis per quoſcunque Judices Ordinarios, & Delegatos , etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores , & S. R. E. Cardinales , etiam de Latere Legatos , & alios quoslibet quavis auctoritate , & poteſtate fungentes, & functuros , ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi , & interpretandi facultate , & auctoritate judicari , & definiri debere , ac irritum & inane quicquid ſecùs ſuper his à quoque quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari . Non obſtans, quatenus opus ſit, de jure quæſito non tollendo, nec non de exprimendo vero valore in ſimilibus applicationibus illisque committendis ad partes , vocatis quorum intereſt, & aliis noſtris, & Cancellariæ Apoſtolicæ regulis, ac Rec. mem. Pauli II. & aliorum Romanorum Pontificum Predeceſſorum noſtrorum de rebus Eccleſiæ non alienandis, & illarum alienationibus committendis , aliisque Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis & Conciliaribus , ac omnibus, & ſingulis, quæ in prædictis noſtris litteris voluimus non obſtare , cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 29. Aprilis MDCLVI. Pontificatus Noſtri Anno Secundo.

G. Gualterius.

A tergo { Venerabili Fratri Carolo Epiſcopo Averſano nunc & pro tempore exiſtenti noſtro, & Apoſtolicæ Sedis in Dominio Venetorum Nuntio.

DE

DE
ECCLESIA PAROCHIALI
S. CANCIANI & SOC. M. M.

COMMUNI quodam Venetis Parœciis fato tempus, quo D. Canciani Eccleſia fundata fuit, & Fundatoris nomen Majorum noſtrorum incuria per tam longum annorum fluxum alta jacent oblivione ſepulta. Credibile eſt Barbaris per Pannoniam in Italiam irruentibus Aquilejenſes patria profugos in intimi maris Adriaci æſtuaria conceſſiſſe, ibique ortam recenter urbem incolentes Templum in gratiarum actionem D. Canciano poſuiſſe ejusque ſociis, qui apud Aquilejam Martyrii agonem compleverant.

Meminit hujus Eccleſiæ in ſuo Chronico Dandulus lib. x. cap. 7. p. 2. aſſerens Angelum Maltraverſum Patriarcham Gradenſem a Romano Pontifice Pallium accepiſſe, quo uteretur ſolemnioribus diebus, & Sanctorum Sylveſtri & Canciani feſtivitatibus, ex qua eximii Chronologi relatione deducendum eſt antiquis illis temporibus conſueviſſe Patriarchas Gradenſes in feſto S. Canciani ſolemne ſacrum in ipſius Eccleſia celebrare, ut pote quæ ex Innocentii Tertii conceſſione etiam per Honorium pariter Tertium roborata jurisdictioni Gradenſi fuit ſubjecta, ſeu potius confirmata, quam veritatem teſtatur abunde

ipſius

ipſius Innocentii privilegium, quo Divi Canciani Eccleſiam una cum aliis tam Venetæ ditionis, quam Orientalis Imperii non tam Patriarchæ Gradenſi ſubordinat, quam ſubordinatas confirmat, ut patet ex ipſius privilegii verbis: *ſicut eas juſte poſſides*. Sed de his fuſius ad Eccleſiam S. Sylveſtri, ubi de Patriarchis Gradenſibus.

Marmorea epigraphes Sacrarii parieti affixa edocet Eccleſiam hanc Conſecrationis decus obtinuiſſe anno Mcccli. die xx. Maii per Marcum Aquilejum, & alios duos innominatos Epiſcopos.

M°C°C°C°L°I · DIE · VIGESIMO MESIS
MAII · ꝯSECRATA · FVIT · ISTA · EC
CLESIA · SANCTI · CANCIANI · P · DNM
MARCV · EQVILLIVS · EPM · ⁊ · P · DV
OS · ALIOS · EPOS · TPR LVCIANI ·
ÇENO · HVIVS · ECCLIE · PLEBANI

Faciem Eccleſiæ ſitu & vetuſtate conſumptam narrat Marcus Antonius Sabellicus de ſitu Urbis lib. 2. ſed modo in honeſtiorem formam redacta eſt, atque ejus interior ſtructura marmoreis aris, decentique ornatu innovata luridam antiquitatis ſpeciem, quam præferebat amiſit. In ea Septem Altaria exurgunt, quorum princeps in Sacello majori Euchariſtica myſteria ſervans Divis Titularibus dicatum eſt. Ad dexterum aræ majoris latus Sacellum, quod modo Divi Philippi Nerii titu-

lo

lo inſignitur antiquitus Divo Venerando Martyri primum mox Sacratæ ex Dominica Corona Spinæ dedicatum fuit, ut ipſius Eccleſiæ documenta teſtantur.

Anno enim 1515. cum Plebanus & Capitulum S. Canciani Hieronymo Lauredano, qui Divi Canciani Eccleſiam (ut ipſe de ſe aſſerit) ſua induſtria ornaverat, & illuſtraverat *Altare, ſive Capellam ſub vocabulo S. Venerandi poſitam & fundatam in dicta Eccleſiæ prope portam ſacriſtiæ pro ſe & hæredibus* dediſſent certis ſtatutis conditionibus (A); Plebanus S. Joannis Novi Venetiarum cui rem Leo X. Romanus Pontifex Apoſtolico Diplomate demandaverat, donationem ipſam diligenti informatione præhabita, atque Apoſtolico Decreto interpoſito laudavit, & approbavit die 11. Junii ejusdem anni milleſimi quingenteſimi decimiquinti (B). Sacellum hoc Divo Venerando celebri apud Turonenſes Martyri dicatum fuit ex inſigni ejus Reliquia, jam enim inde ab antiquiſſimis uſque temporibus ab omni omnino hominum memoria remotis aſſervatur in hac Eccleſia Sacra, & religioſe colenda Reliquia, pars ſcilicet Cranii, ſeu totum ferme Occiput S. Venerandi M. cujus quoque feſtivam diem ritu duplici, & ſolemni Divinorum Offitiorum cantu ab immemorabili traditione ſingulis conſtanter annis celebrat ipſius Eccleſiæ Clerus die 14. Novembris.

Quibus autem modo vel cauſa denominatio Sacelli S. Venerandi in titulum S. Spinæ tranſierit poſt annum 1505. incompertum. Ex regeſto actuum Capitularium ad annum 1631. Sacellum ipſum *prope portam Sacriſtiæ* ſub vocabulo *S. Spinæ* nuncupatum a Capitulari Collegio die 7. Auguſti Sebaſtiano Rinaldi Plebano reſtaurandum utique & ornandum conceditur. Hic ex animi ſui devotione marmoream aram erexit, quam Divo Philippo Nerio recenter inter Sanctos adſcripto dedicavit, cumque a Patribus Congregationis Oratorii Romanæ inſignem e Sancti præcordiis reliquiam obtinuiſſet, eo pretioſo pignore aram ditavit. Primum hoc fuit in Urbe Veneta Altare Divi Phllippi Nerii nomine conſecratum.

Loco dictæ Capellæ ſibi conceſſæ Hieronymus Lauredanus & Joannes Petrus Pulverinus ſibi dari exoptarunt *Capellam poſitam in dicta Eccleſia a parte dextra Capellæ magnæ apud portam parvam Chori ipſius Eccleſiæ ſub titulo S. Luciæ*. Notandum eſt tamen Sacellum hoc ſitum dici *a parte dextera Capellæ*

pellæ Magnæ reſpectu habito ad reſpicientes ex adverſo Altare majus, quandoquidem cum ad Cornu Epiſtolæ poſita ſit, profecto ex proſpectu lævam partem tenet Aræ Principis. Votis annuit Capitulum firmatisque prioris inſtrumenti conditionibus Divæ Luciæ Sacellum in familiarum Lauredanæ & Pulverinæ jura deduxit, conceſſione in ſolemnes tabulas redacta die 18. Febr. anno 1517. Robur addidit Antonii Contareni Patriarchæ Venetiarum judiciale decretum, quo die IX. Martii ejusdem anni commutationem a Capitulo factam authoritate Patriarchali interpoſita confirmavit (C).

Divæ Luciæ Sacellum in poſſeſſionem deinde Patritiæ Familiæ Vidmanæ privatis conventionibus ceſſit. Hæc laudabili pietate magnificam aram ex ſelectis marmoribus extruxit, ad quam Corpus Divi Maximi (de quo mox infra dicendum) alibi in Eccleſia minus decenti modo quieſcens deduci curavit. Ex hoc evenit ut Sacellum veteri amiſſo titulo deinceps cœperit Divi Maximi nomine nuncupari.

Reliqua quatuor ejusdem Eccleſiæ Altaria ad nobiliorem formam ex pario marmore conſimili opere recenter redacta ſunt circa annum 1730. Plebano Sebaſtiano Molino, cujus pietas ære erogato plurimum ad ea perficienda contulit; ipſorum autem unum habet titulum S. Mariæ compatientis, alterum SS. Joſeph & Antonii, tertium olim D. Rochi, modo vero SS. Joannis Nepomuceni, & Rochi, quartum denique prius S. Lucæ Evangeliſtæ, nunc autem Sacratiſſimi Cordis JESU; in omnibus autem Eccleſiæ Altaribus (uno excepto S. Maximi, quod ipſius marmoream exhibet figuram) Icones ſunt religioſo & devoto opere depictæ.

Viget de hac Eccleſia apud aliquos confuſa traditio, olim apud ipſam circa XIII. vel XIV. ſæculum habitaſſe quasdam Sanctimoniales, ſeu *recluſas* fœminas. Res nullo adhuc certiori documento innixa ex tenui admodum indicio arguebatur, ex quibusdam ſcilicet domunculis Eccleſiæ proximis, quæ modo juri Parochiali Eccleſiæ ſubjectæ ad modum parvi Xyſtri diſpoſitæ ſunt, & in iis deprehenditur hians quædam feneſtrula veluti ad uſum tornatilis rotæ (ut mos eſt apud Sanctimoniales) conſtructa & efformata. Quamvis tamen nullo validiori fundamento talis traditio inniteretur, inveriſimile tamen non

eſſet ex hoc aſſerere apud Eccleſiam olim degiſſe aliquas Deo inſervientes mulieres; ſiquidem publica nos & privata monumenta docent primis poſt decimum Eccleſiæ Sæculis apud quasdam Parochiales Eccleſias, immo etiam in ipſarum veſtibulis vel tectis habitaſſe quasdam pias *Virgines recluſas*, quæ Eremitæ, & a vulgo *Pizzochere* vocabantur. Harum noviſſimæ fuerunt, quæ prius ſupra tectum ædis SS. Hermagoræ & Fortunati degentes, indeque in confinio SS. Gervaſii & Protaſii translatæ pium Aſceterium conſtruxerunt Virginum Sanctimonialium ſub regula D. Auguſtini in ſtrictiori obſervantia militantium, ad quas odore virtutum allecta univerſa civitas trahitur, ut orationum ſuffragia imploret.

Frequentiorem fuiſſe uſum conſtruendi apud quasdam Eccleſias talium Virginum conſervatoria deſumitur ex antiqua diligentis Anonymi authoris Chronica ms. circa annum 1400. compoſita; atque ſæpius hoc idem commemorat Venetarum rerum collector Marcus Antonius Sabellicus in ſuo libello de ſitu Urbis; in prima enim regione ubi ad S. Nicolai de Mendiculis ædem perventum eſt, *Tres* ait *ſupra veſtibulum Virgines muro clauſæ* (ecce veterum recluſarum exemplar) *quarum una hodie ob creditam ſanctitatem quaſi futurorum præſciam vulgo, ut audio, matronæ conſulunt*; & deinde poſt pauca: *Agnetis vetuſta ædes modice aſſurgit, cui perexiguum Virginium accubat*. Ex quo etiam patet diverſimode juxta Eccleſiarum uſum conſtructa fuiſſe domicilia, in una enim Virginium erat ſupra veſtibulum, in altera vero ædi *accubabat*. Liceat autem hic obiter attingere, quæ de his *recluſis* ſupra veſtibulum S. Nicolai enarrat Dominicus Codaglius Ord. Prædic. in ſuo de Fundatione Monaſterii S. Crucis Venetiarum libello; in ipſo enim aſſerit quamdam Virginem nomine Sophiam ejusdem monaſterii Fundatricem fuiſſe, eoque optime diſpoſito, rigidioris vitæ deſiderio incenſam ad D. Nicolai ædem cum ſocia nomine Angela Avogara tranſiiſſe, ibique in Templi ipſius veſtibulo anno 1475. de Jacobi Franciſci Plebani aſſenſu in ſanctioris vitæ exercitiis vitam transegiſſe usque ad annum 1490. in quo mortalitatem complevit.

Ex his autem talium Virginum domiciliis adhuc Sabellici tempore extantibus atque ex ſupra recenſito Divi Hermacoræ

(de

(de quo nihil apud Sabellicum) facile eſt coligere apud plures Eccleſias olim conſtructa fuiſſe Virginia, ubi *recluſæ* Deo deſervirent.

Rei fidem augent nonnulla privata quidem ſed fide digniſſima documenta, quæ in antiquis codicibus Monaſterii S. Mariæ Servorum adhuc aſſervantur. In his enim præter cætera eleemoſynæ recenſentur quas ab his *recluſis* Viginibus multoties receperunt Ordinis Servorum Patres, ſive in primæva ſui fundatione, ſive pro Eccleſiæ atque Cœnobii ſtructura. Eas inter nominatim ad annum 1391. recenſentur hæ, quæ ad ſacram Divi Cantiani ædem morabantur. Ex quo antiquiſſimo & authentico regeſtu indubia fide firmatur veritas hujuſce traditionis. Anno 1742. everſo Sacrarii ſolo indeque effoſa terra, ut novum conſtrueretur Sacerdotibus humandis Sarcophagum, reperta ſunt plurima defunctorum cadavera, quæ ex propria configuratione comperta ſunt fœminarum fuiſſe, unde ex veroſimili illatum, ibi ipſarum recluſarum (quæ ex adverſo Sacrarii morabantur) olim ſitum fuiſſe Cœmeterium. Quod autem talium uſus recluſarum non ſolum apud Venetos, ſed etiam in reliquis orbis Chriſtiani partibus iis temporibus pie vigeret, ex multiplici ſeu hiſtoriarum ſeu monumentorum aſſertione colligitur.

Templi facies, ut ſuperius dictum eſt, renovata hac notatur epigraphe.

„ Faciem Hujus Eccleſiæ ruinas minantem Michaelis To-
„ maſi ære Codicillari voluntate legato R. Bernardus Pontel-
„ lius Plebanus, & Petrus Retanus piæ diſpoſitionis executores
„ in hanc formam reſtaurari fecerunt Anno Domini MDCCVI.
„ Menſ. Novemb. Addente marmoream effigiem, ac impenſa-
„ rum ſupplementum Margarita Cuoghi Vanteylinghen Te-
„ ſtatoris conſobrina.

Præclaris Eccleſia hæc nobilitatur Reliquiis, quas inter omni veneratione digniſſima Sacra Dominicæ Coronæ Spina, cujus officium ex S. R. C. decreto datum eſt Clero hujus Eccleſiæ Feria VI. poſt Octavam Corporis Domini recitari, qua die ſolemni pompa, atque frequenti popolorum concurſu Sacratiſſimi Cordis JESU feſtiva commemoratio celebratur.

Os Brachii S. Clementis Papæ & Martyris.

Cranium S. Venerandi Turonenſis M.

Oſſa Sanctorum Cantiani & Cantianillæ Mm.
Os S. Domitiani Abbatis.
Corpus S. Chriſti Martyris Candidi adventitio nomine e Cryptis Romanis educti, aliaque plurima Sanctorum Martyrum oſſa ſub ara Sacratiſſimi Cordis Jesu quieſcentia.

Ex antiqua etiam traditione receptum eſt, in hac Eccleſia priſcis temporibus repoſitum fuiſſe corpus Sanctæ Savinæ Martyris, cujus adhuc effigies in antiquo Codice Eccleſiæ depicta viſitur palmam Martyrii inſigne, atque Vexillum manu referens, unde Veneto vernaculo dicta *S. Savina della Bandierola*. Nulla præter vulgarem hanc traditionem de ipſa in Archivis Eccleſiæ mentio. Anno 1711. dum pro nova ara magnificentius extruenda antiqua proſterneretur Divis Joſepho & Antonio ſacra, in ipſius menſæ vacuo nonnulla oſſa reperta ſunt integram ferme humanæ ſtructuræ molem componentia, confuſe tamen & absque ullo ordine jacentia. Iis appoſita Crux erat ex albo & rudi ligno, paſſimque cernebantur vitrea fragmenta ſanguine conſperſa, qualia ex Cœmeteriis Romanis cum ſacris martyrum lipſanis aliquando eruuntur. Cum vero nulla alia apparerent ſigna, vel ſcripta, quæ majus exhiberent rei teſtimonium, prudenti conſilio actum eſt, ut in novi altaris menſa eodem prorſus modo reponerentur, quo pridem inventa fuerant.

Præcipua veneratione tamen in Eccleſia aſſervatur corpus integrum, & incorruptum S. Maximi, quem & Martyrem, & Epiſcopum Emonienſem in Iſtria fuiſſe antiqua iſtius Eccleſiæ monumenta perhibent; eumque ſub Decio Imperatore poſt varios ſæviſſimos cruciatus in confeſſione Domini perſeverantem lapidibus obrutum illuſtrem martyrii coronam eſſe aſſequutum. Hujus autem Sancti nomen cum fuerit multis Catholicæ fidei Athletis commune, ejusque feſtum in variis Eccleſiis diebus diverſis ſolemne fuerit; hinc orta eſt pene inextricabilis actuum, & paſſionis ejus obſcura confuſio; unde non ſolum ejus Pontificia dignitas, ſed civitas nativitatis, & martyrii, genuina paſſionis dies, acta quoque ejus certaminis inter varias ubique obortas difficultates verſantur, quæ a pleriſque viris, ſed præcipue ab eruditiſſimis Antuerpienſibus Hagio-

giographis mire tractata ſunt ad dies 30. Aprilis, & Maii quintamdecimam.

Corpus itaque S. Maximi jam ab anno 1146. die decima Octobris reconditum fuerat una cum corpore S. Pelagii in Æde Cathedrali Æmonienſi, vulgo Civitatis Novæ in Iſtria, tempore Adami ejuſdem Sedis Epiſcopi, ut inſtruimur ab hac Epigraphe ſuper eorum tumulum exſculpta, quam refert Ughellus Tom. V. Ital. Sacr. de Epiſcopis Æmonienſibus: " Anno Dominicæ Incarnationis MCXLVI. VI. Idus Octobris recondita „ ſunt hæc Sanctorum Corpora Pelagii, & Maximi tempore „ Adami Epiſcopi." Cum autem proceſſu temporis varias ob cauſas Epiſcopatus Æmonienſis primum Eccleſiæ Parentinæ unitus fuerit anno 1424. ab Eugenio IV. indeque aliquos poſt annos videlicet circa annum 1451. Venetæ Eccleſiæ a Nicolao V. aſſociatus (licet inde anno *1466.* ut habet Ughellus proprios ſicut antea receperit Epiſcopos, quibus etiamnum gaudet) factum eſt, ut ſicut in prima Eccleſiarum conjunctione S. Maximi cultus ad Parentinos propagatus fuit, ita in ſecunda anſam præbuerit, & commodum cuidam Patricio Veneto Baduariæ gentis transferendi Venetias ſacrum Maximi corpus, quod in Eccleſia S. Cantiani Mart. in cujus Parœciæ confinio domus illius ſita eſt, collocavit. Cujus Translationis traditio ex quodam ms. *legenda* vulgus appellat, eruitur, quæ in ipſa S. Cantiani Eccleſia aſſervatur & a Bolandianis Tom. VII. Maii in Commentario Hiſtorico de S. Maximo ad numerum 8. producitur: "Sacrum hoc & miraculoſum Corpus progreſſu tem„ poris ab aliis devotis, & piis Chriſtianis ab Urbe Aſiæ „ translatum ſuit ad Citanovam & inde per devotum quemdam „ Nobilem Venetum translatum Venetias & collocatum in Ec„ cleſia S. Cantiani, ubi adhuc miraculis illuſtre quieſcit.

Cum S. Maximi corpore acta quoque ipſius tranſiere ex Civitate nova Venetias, quæ poſtea ad uſum Eccleſiaſtici Officii redacta ſunt, & usque ad correctionem Romani Breviarii Clero S. Cantiani inſervierunt ad Divini Officii penſum exſolvendum. Eadem ferme ſunt cum iis quæ de S. Maximo in Aſia Martyre referunt eruditiſſimi Antuerpienſes Hagiographi ad diem 30. Aprilis, & Pater D. Teodoricus Ruinart inter acta ſelecta Martyrum pag. 133. editionis Venetæ, exceptis tantummodo circumſtantiis de loco paſſionis, & officii conditione; Ma-

ximum

ximum enim, quem ſupralaudati authores exhibent *Laicum negotii ſui curam gerentem in Aſia Provinciæ paſſum*, monumenta Veneta, & Parentina adſtruunt *Epiſcopum Paſtorem gregis Jeſu Chriſti apud Aſiam civitatem lapidibus obrutum*.

Hæc Veneta, de quibus apud Bollandianos ſola mentio ingeritur, damus integra qualia extant in quodam vetuſto ejuſdem Eccleſiæ codice, iiſque a latere ea apponimus quæ in actis ſelectis Ruinart diſcrepare videntur, indeque ſubnectimus acta quæ in Epiſcopatu Eccleſiæ Parentinæ aſſervantur in Matutinales lectiones diſpoſita, quæ tamen parum a Venetis diſſimilia eſſe noſcuutur.

Lectiones Venetæ ms.

Decius Imperator, volens *deſtruere & ſuperare* legem Chriſtianorum, *per univerſum orbem decreta conſtituens*, ut omnes Chriſtiani recedentes a Deo vivo & vero, Dæmoniis ſacrificarent: qui vero noluiſſent, ſuppliciis ſubjacerent. *Eodem tempore* famulus Dei Maximus *ſemetipſum in publicum oſtendit*. qui *comprehenſus* oblatus eſt Optimo Proconſuli apud Aſyam *civitatem. quam ingreſſus Proconſul, Maximum detentum & ſibi præſentatum interrogatus*, dixit: quis vocaris? *cui reſpondit*, Maximus *vocor*. Proconſul dixit, cujus conditionis es? *Sanctus* Maximus *reſpondit*: ingenuus natus, ſervus vero Chriſti *ſum*. Proconſul dixit, quod officium geris? *B.* Maximus reſpondit: homo ſum *paſtor Domini mei Jeſu Chriſti*. Proconſul dixit, chriſtianus es? *S. Epiſ-*

Ex Actis ſelectis apud Ruinart.

opprimere vel ſuperare.

decreta conſtituit per univerſum orbem.

Eo tempore.

Maximus, vir ſanctus, ultro ſe palam oſtendit. Erat plebejus negotii ſui curam gerens. Comprehenſus igitur. apud Aſiam. Proconſul dixit ad eum.

Reſpondit.... dicor.

Maximus dixit

ſum...... redundat

B. deeſt... plebejus, meo negotio vivens. *aliter* vacans. in cod. Sangerm. ſe *Levitam* eſſe reſpondet: ſed codex eſt interpolat.

copus

copus Maximus reſpondit, *&* *dixit:* & ſi peccator, Chriſtianus tamen, *&* *Chriſti ſervus* ſum. *Tum* Proconſul dixit, *cognoviſti decreta Principum*, quæ nuper advenerunt. Beatus Maximus reſpondit, quæ? Proconſul dixit: ut omnes chriſtiani, relicta ſuperflua ſuperſtitione, cognoſcant rerum principem, cui omnia ſubjacent, & ejus Deos *adorare debeant*. *Sanctus vero Epiſcopus* Maximus reſpondit, iniquam Regis ſeculi iſtius prolatam ſententiam cognovi, & ideo me palam oſtendi. Proconſul dixit, ſacrifica Diis. *Sanctus* Maximus reſpondit, ego non ſacrifico niſi ſoli Deo, cui me ab ineunte ætate ſacrificaſſe congratulor. Proconſul dixit, ſacrifica ut ſalveris, *ne te variis faciam tormentis interire*. *B. Dei Servus* Maximus reſpondit, hoc eſt, *quod opto;* propterea me tibi manifeſtavi, ut tandem carens miſerabili ac temporali vita *perpetuam acciperem coronam*. Proconſul juſſit tunc fuſtibus cædi, cumque cæderetur, dicebat ei, ſacrifica Maxime, ut ab his libereris tormentis. *Beatiſſimus* Maximus reſpondit, hæc non ſunt tormenta, quæ pro nomine Dei *ſufferuntur*, ſed ſunt unctiones *Servorum ſuorum*. quod ſi receſſero *a divinis* præceptis,

Non cognoviſti decreta invictiſſimorum Principum,

& ejus Deos adorent.

Sacrifica ergo Diis

ut ſalveris, quod ſi nolueris, variis faciam te deficere tormentis.

quod ſemper optavi

æternam reciperem (ſcil. vitam)

pro nomine D. N. I. C. inferuntur

a Domini mei......

quibus

quibus in fide evangelica eruditus ſum, tunc in me vera & perpetua tormenta manebunt. Proconſul *audiens hoc*, juſſit eum in equuleo ſuſpendi, *&* *torqueri*. Cumque torqueretur, dicebat ad eum Proconſul, jam *recede* ab inſipientia tua, & ſacrifica ut *vitam* lucreris. *Beatus Epiſcopus* & M. Maximus reſpondit, *vitam* lucrabor, ſi non ſacrificavero: quod ſi ſacrificavero, perdo *animam meam*. *Proconſul juſſit iterum in equuleo levatum graviter exungulari, ita ut carnes una cum ſanguine in terra defluerent*. *Cumque Martyr Domini diceret:* Nullum mihi nec fuſtes, nec ungulæ, nec ignis dant ſentiendi dolorem, quia in me manet gratia Chriſti, qui me ſalvum faciet in æternum, omnium Sanctorum orationibus, qui in hac colluctatione concertantes, veſtras *ſprevere* inſanias, nobisque virtutum exempla reliquerunt. Tunc Proconſul dedit in eum ſententiam, dicens: *Cum divinis* legibus aſſenſum noluit commodare, ut magnæ Deæ Dianæ ſacrificaret, ad *terrorem* reliquorum Chriſtianorum, jubeo ipſum lapidibus obrui. Et ſic raptus eſt a Miniſtris Diaboli *juſſu Proconſulis*. *Sanctus vero Maximus* gratias agens Deo Patri per Chriſtum filium ejus,

quibus ſum de Evangelio ejus eruditus

Tunc Proconſul juſſit

jam reſpice, miſer animam

animam meam

eam. Mihi enim nec fuſtes nec ungulæ nec ignis ſentiendi dant dolorem, quia in me manet gratia Chriſti, quæ me ſalvum faciet in æternum, omnium Sanctorum orationibus, qui in hac colluctatione certantes, veſtras ſuperaverunt inſanias, nobisque virtutum exempla reliquerunt.

Eum, qui ſacris legibus

ad metum reliquorum Chriſtianorum obrui lapidibus præcepit divina clementia raptus eſt athleta Chriſti.

qui

Qui eum dignum *tale* judicavit *martyrio compellentibus ergo eum Miniſtris Diaboli* ductus eſt *extra civitatem Aſiæ ibique* lapidibus cœſus reddidit *Deo* ſpiritum: *ſepultusque eſt a Chriſtianis juxta murum civitatis, memoria nominis ejus a fidelibus deſuper ædificata*.

certando Diabolum ſuperare. Juſtusque foras muros lapidibus cœſus reddidit Spiritum. Paſſus eſt autem famulus Dei Maximus apud Aſiam Provinciam &c.

„ Reperitur in Legendario ſtante in Epiſcopatu ſive Sacriſtia
„ Domi Parenti in libro vetuſto & antiquo a K 124.

„ LECTIO PRIMA.

„ *Incipit paſſio Beati Maximi Epiſcopi, & Martyris.*

„ DECIUS Imperator volens legem premere, vel ſuperare
„ legem Chriſtianorum decreta conſtituens per univer-
„ ſum Orbem. Ut omnes omnino Chriſtiani recedentes a Deo
„ vivo, & vero Demoniis ſacrificarent, qui vero noluiſſent
„ ſuppliciis ſubjacerent; Et pro tempore Vir Sanctus famu-
„ lus Dei Maximus ſemetipſum oſtendit, erat vero Plebanus
„ negotii ſui curam agens comprehenſus igitur, oblatusque
„ optimo Proconſuli apud Aſyam.

„ LECTIO SECUNDA.

„ PROCONSUL dixit ad eum, quis vocaris? qui, Maximus.
„ Proconſul dixit, cujus conditionis es? Beatiſſimus Ma-
„ ximus reſpondit. Ingenuus natus, ſervus vero Chriſti. Pro-
„ conſul dixit quod officium geris? Sanctus Maximus reſpon-
„ dit. Homo ſum Plebanus mei negotj. Vocans Proconſul
„ dixit Chriſtianus es? Beatus Maximus Epiſcopus reſpondit
„ etſi peccator Chriſtianus tamen. Proconſ. dixit cognoviſti
„ decreta invictiſſimorum Principum quæ nuper advenerunt.

„ LECTIO TERTIA.

„ SANCTUS Maximus reſpondit, quæ: Proconſul dixit, ut
„ omnes Chriſtiani relicta ſuperflua ſuperſtitione cogno-

„ ſcant verum Principem, cui omnia ſubjacent, & ejus Deos
„ adorent. Beatiſſimus Epiſcopus Maximus reſpondit: iniquam
„ regis ſeculi iſtius prolatam ſententiam cognovi, & ideo me
„ palam oſtendi. Proconſul dixit, ſacrifica Diis. Sanctus Maxi-
„ mus reſpondit ego non ſacrifico, niſi ſoli Deo, cui me ab
„ ineunte ætate ſacrificaſſe congratulor. Proc. dixit, ſacrifica,
„ ut ſalveris, ne te variis faciam tormentis interire. Beatus
„ Maximus Epiſcopus reſpondit: Hoc eſt, quod opto propte-
„ rea me manifeſtavi, ut eadem carens miſerabili & tempo-
„ rali vita perpetuam acciperem coronam.

„ LECTIO QUARTA.

„ PROCONSUL juſſit eum fuſtibus cœdi; cumque cœderetur
„ dicebant ei; ſacrifica Maxime ut ab his libereris tor-
„ mentis. B. Maximus m. reſpondit, hæc non ſunt tormenta,
„ quæ pro nomine Domini ſufferuntur, ſed ſunt unctiones
„ ſervorum ſuorum. quod ſi receſſero a divinis præceptis, qui-
„ bus in fide Evangelii eruditus ſum in me vera, & per-
„ petua tormenta manebunt. Proc. audiens hoc juſſit eum in
„ equuleo ſuſpendi & torqueri.


„ LECTIO QUINTA.

„ CUMQUE torqueretur, dicebat ad eum Proc. jam recede
„ ab inſipientia tua & ſacrifica ut animam lucreris S.
„ m. Maximus reſpondit animam lucrabor ſi non ſacrificave-
„ ro; quod ſi ſacrificavero perdo animam. Nihil enim nec fu-
„ ſtes, nec ungulæ, nec ignis dant ſentiendi dolorem, quia
„ in me manet gratia Chriſti, qui me ſalvum faciet in æter-
„ num omnium Sanctorum ſuorum orationibus, qui in hac
„ colluctatione concertantes veſtram ſprevere inſanias, vobiſ-
„ que virtutum exempla relinquerunt.

„ LECTIO SEXTA.

„ TUNC Proconſul dedit in eum ſententiam dicens, cumque
„ divinis legibus aſſenſum noluit commodare, ut magnæ
„ Deæ Dianæ ſacrificaret, ad terrorem reliquorum Chriſtia-

„ no-



Effigies incorrupti corporis Sancti Maximi Episcopi Æmoniensis, et Martyris, quod colitur in Ecclesia Sancti Canciani Venetiarum.

„ norum jubeo ipſum lapidari. Et ſic raptus eſt a Miniſtris „ Diaboli. S. Maximus Epiſc. gratias agens Deo Patri per „ Chriſtum filium ejus qui eum dignum tali judicavit Marty- „ rio, certantibus contra eum miniſtris Diaboli, ductus eſt fo- „ ras, & lapidibus cœſus reddidit ſpiritum.

Cui autem certo fundamento innitatur ejus Paſtorale officium, quo antiquam Æmonienſem Eccleſiam gubernaſſe traditur, vel quomodo ex loco ubi agonen conſumavit deductum ſit ejus corpus ad Civitatem Novam ſeu recentiorem Æmoniam, incompertum adhuc eſt, & res iis premitur difficultatibus ut inextricabilis videatur; in tot etenim longioris ævi viciſſitudinibus, & graviſſimis earum Provinciarum calamitatibus, quibus frequentius præcipue ex Avarorum, & Sclavorum incurſionibus afflictæ fuerunt, mirum non eſt, ſi ex monumentorum deficientia ſola modo perſeveret conſtans Eccleſiarum traditio. Huic profecto nihil obſtare deberet epigraphes ab Epiſcopo Adamo ad tumulum SS. Pelagii & Maximi appoſita, ubi ex ſolis Divorum nominibus recenſitis, abſque ulla vel martyrii vel muneris mentione deducunt Bolland. quod veroſimiliter nihil de iis ulterius compertum tunc erat; ſiquidem eo temporis ſat habebatur in Eccleſia, ut quiſquam Sanctus & haberetur, & coleretur, ſi ejus nomen marmore inſculptum foret, quod in pluribus ſimilibus monumentis etiam Romanis invenitur, ipſaque arca S. Maximi, in qua a ſæculo repoſitum fuit ejus corpus in æde S. Cantiani, ſola hac brevi epigraphe inſcribitur *Corpus S. Maximi*, quamvis ejus corpus Epiſcopali habitu indutum appareat, ipſiusque Officium de Martyre ex immemorabili conſuetudine celebretur. Plurimas difficultates, quæ rem obſcurioribus tenebris offundunt, jam probe callui; longiores ſunt, quas afferunt Bollandiani ad recenſitas dies 30. Aprilis, & 15. Maii Ughel. Tom. v. Ital. Sac. in Epiſcopis Parentinis, quaſque etiam augere videntur Baronius ad annum 254. num. 24. & Tillemontius Tom. III. pag. 345. Not. 16. & Ruinart pag. 132. edit. Ven. ſupralaudatus. Cum autem authores Martyrii locum in Aſia aſſignent, & Epiſcopale officium excludant, primæ difficultati occurrit Jo: Ludovicus Sconlebius, qui non Aſiam, ſed Aſſiſiam, ſeu Aſſeſiam legendum putat, quam Ptolomeus in Liburnia collocat, in Japidia Plinius, multiſque eruditis rationibus opinionem ſuam

ſuſius confirmat, ut videre eſt in ejus libro Saliſburgi edito anno 1674. ſub titulo Æmonæ vindicatæ, quam ipſi etiam Bollandiani cum authoris laude referunt ad diem 15. Maii: " Ex „ qua modo diruta urbe Aſſiſia occaſione Barbaricarum in Pan„ nonias excurſionum, quibus Æmona illa expoſita etiam fuit, „ unum, alterumque corpus ex iis, quæ Æmonæ fuerant, ac „ nominatim S. Maximi deportari in Civitatem Novam Hi„ ſtriæ potuerit.

Hanc eruditiſſimi Viri opinionem aliqua ex parte infirmat *Optimi* proconſulis nomen, a quo Aſiam proconſularem adminiſtratam fuiſſe tradunt Acta Martyrum Lampſacenorum ad diem xv. Maii; cum enim Aſſiſia ſeu Aſſeſia ad Pannoniam vel ad Noricum pertineat, nusquam ad eas provincias regendas proconſulem miſſum fuiſſe legitur. Aſia vero Regio *in Aſia* eo nomine veluti proprio appellata, quæ Phrygiam, Myſiam, Cariam, & Lydiam complectabatur, Proconſulis imperio ſubjecta erat.

Ut ut res ſe habeat, ſive Maximus ab Æmonienſibus primum, tum a Venetis cultus fuerit ille, quem Acta ferunt Martyrii palmam reportaſſe in Aſia Provincia, ſive hæc Acta perperam eidem tributa fuerint; traditio tamen Æmonienſium Iſtrorum vetuſtiſſima Martyrem ipſum exhibet ſimulque Epiſcopum. Unanimi & vetuſtiſſimæ Eccleſiarum Æmonienſis Parentinæ & Venetæ traditioni favere videtur antiquiſſimus codex ms. celeberrimæ Bibliothecæ Colbertianæ, in quo dum referuntur ipſius Martyris Acta, Maximus Martyr Epiſcopale munus geſſiſſe traditur, ut videre eſt apud Ruinart in annotationibus ad Acta Martyrii.

Inter tot diverſarum opinionum ambages, quibus rei certa veritas varia difficultate obſcuratur, utilius & pietati magis conſentaneum eſſe duxerim, præſertim quia non de ſanctitate, ſed de conditione viri dubium ſit, antiquas, & ab immemorabili tempore receptas Eccleſiarum traditiones in ſua ſimplicitate relinquere, magis quam peregrinis quæſtionibus piam antiquamque populorum devotionem perturbare; non enim, ut aſſerunt Bollandiani, hujus opinionis author fuit, vel primarius promotor Nicolaus Manzolus in *deſcriptione Iſtriæ cum vitis Sanctorum Provinciæ illius*, multo enim tempore præceſſerunt Manzolum monumenta Veneta, ex quibus & ex Petro Equilino

lino ſe Maximi paſſionem collegiſſe teſtatur ipſe Manzolus in editione Veneta, quod quidem a Ferrario factum eſt in catalogo SS. Italiæ, ut ipſe fatetur ad dies 29. Maii, & 10. Octobris, ubi pro Decio perſecutore forſitan ex æquivoco Diocletianum ingerit. Cum Venetis quoque Maximum Martyrem & Epiſcopum longe ante Manzolum crediderunt Januenſes.

Porro ex nominis convenientia, quo claruerunt in Catholica fide complures ſanctitate eximii viri, autumarunt etiam aliqui Maximum in Eccleſia S. Cantiani adſervatum Epiſcopum fuiſſe Regio-Lepidi, cujus feſtiva dies in R. M. apponitur die 27. Novembris; in quem pariter errorem nimis inconſulto lapſus eſt Nicolaus Manerbius Venetus pius Monachus Camaldulenſis, qui ad vitas Sanctorum per Jacobum Voraginem Archiepiſcopum Januenſem conſcriptas, & a ſe in Italicum idioma deductas appoſuit etiam vitam S. Maximi Epiſcopi Regiolepidi C. addens corpus ejus ex Regienſi S. Petri Eccleſia, in qua depoſitum fuerat, translatum fuiſſe Venetias ad D. Cantiani Templum ubi virtutibus, & miraculorum fulgoribus inceſſanter reſplendet.

Tale nominis æquivocum anſam præbuit cuidam Regienſi Civi ex illaudabili devotione audax facinus perpetrandi: intempeſta ſiquidem nocte furtive Eccleſiam ingreſſus, & ad tunc ligneam S. Corporis arcam approperans caput ejus abſcidit, Regiumque detulit, ut Sancti ejus Urbis (prout falſo reputabat) Epiſcopi & tutelaris inſigni reliquia patriam decoraret. Detecto furto Dominium Venetum per Oratores ſuos a Pontifice qui tunc temporis erat Sixtus V. impetravit, ut minis Apoſtolicis cogerentur ſacri pignoris detentores ablatum caput ſacro corpori reſtituere, quod & factum eſt, deductumque Clodiam venerabile caput, inde per Epiſcopum Clodienſem relatum eſt ſolemni pompa Venetias die 21. Novemb. adveſperante die, & in Ducali Divi Marci Baſilica inter feſtivas populi acclamationes repoſitum. Ibi ad majorem aram inter luminarium lampadarumque ſplendores, muſicoſque concentus ad populi undequaque accurrentis venerationem expoſitum eſt tota ſubſequenti die, donec die 23. quæ Mercurii fuit, celebrata prius per Spalatenſem Archiepiſcopum cum cantu Miſſa, Venerandum S. Maximi caput ipſo Principe & Senatu comitante ſolemni ſupplicatione cum utriusque Cleri interventu

ſub

ſub Umbella ad Divi Cantiani Ædem adportatum eſt, ibique ſacro corpori non ſine effuſis totius urbis gratulationibus, atque gaudiis rurſus appoſitum; cujus translationis feſtivam memoriam quotannis ipſius Eccleſiæ Clerus in Miſſa peragit ipſa die 22. Nov. recurrente. Ne tamen Regienſis Epiſcopi preces aliquid ex ſacris lipſanis enixe poſtulantis irritæ redderentur, placuit Veneto Senatui Sacri corporis partem digitum nempe ei concedere, ut devotioni ejus aliquo modo ſatisfieret.

„ *1588. 26. Novembre.*
„ *Al Reverendiſs. Veſcovo di Reggio.*

„ Essendosi aggiunto al debito riſpetto della interceſſione
„ del Sommo Pontefice il molto deſiderio, che vive in noi
„ di far coſa grata a V. S. Rma. intorno a quello che con sì ef-
„ ficace inſtanza del ſuo religioſo affetto ci ha richieſto, hab-
„ biamo voluto, ſuperando la molta ſtretezza, e difficultà che
„ in ciò ſi apponeva per le leggi noſtre concederle per divozion
„ ſua, & del populo alla ſua cura commeſſo un dito del Cor-
„ po di S. Maſſimo da conſegnarſi a riceverlo in nome di lei
„ di quel modo, che parerà al Reverendiſs. Patriarcha Noſtro
„ & tornando a ringraziarla dell' incomodo preſo in indurci
„ la Teſta del ſudetto Santo, le deſideriamo dal Signore Dio
„ ogni proſperità.

Sed qualiscunque tandem ſit Divus Maximus, apud Nos illud ſatis ſuperque conſtat meritis apud Deum plurimum valuiſſe; quandoquidem ejus Corpus mira prorſus incorruptione ſervatum eſt incolume. Poſt elapſa tot ſæcula adhuc viſitur cadaver ejus carne nullibi aut deficiente aut depreſſa, quod certe non hominum induſtria ſed divinæ Omnipotentiæ vis ſola potuit efficere.

Sed quoniam de hoc Sancto tantum attigi, quantum ſinit antiquitas tenebris involuta, æquum eſt aliquid adjicere de ænea Cruce ejus pectori ſuperpoſita, qua cum delatus eſt Venetias, & in Divi Cantiani Templo repoſitus. Ex ære fuſo confecta eſt, non ſolida ſed intus vacua, perinde ac ſi Reliquias ſinu complecti deberet. Externa Crucis ſuperficies eſt aſpera figuris proſtantibus non Cruci appoſitis, ſed ex eadem materia reſultantibus; circa figuras græcæ litteræ ſunt: ſed figurarum & caracterum aliqua tantum interrupta veſtigia ſuperſunt, quippe at-

tritus

tritus ex continuo benedicendi uſu per longam adeo annorum ſeriem omnia ferme delevit. Neque enim mediocris eſt populi frequentia ad Sanctum colendum, cujus opem tam præſentem experiuntur.

Attentius intuenti apparet in parte una Crucifixi imago, qualis rudioribus ſæculis ſolebat exprimi. Hinc inde duo capita ſunt, ſed ita diminuta & conſumpta ut non niſi levibus conjecturis, quas captare nolim, locum relinquant. Chriſti Domini brachiis inferius adjacens viſitur linea ducta, quæ partem horizontalem alterius Crucis interius efformatæ indicat; ejuſdem Capiti ſuperincumbit Crux parva, quæ una cum aliis duplicem nec tamen plene perfectam Crucem conſtituit. Id moris in Crucibus elaborandis maxime invaluit apud Orientales Eccleſias, & frequenter occurrunt in nummis cadentis Imperii & antiquis monumentis. Ipſum Divi Marci Venetiarum Templum multas id genus Cruces exhibet. Non abſimilem Monaſterio S. Germani dono datam memorat Clariſs. Montfauconius in Palæogr. Græc. pag. 309.

Inter Crucis titulum & Chriſti caput eminent duo emiſpheriola Solem & Lunam quæ repræſentant, ſive id factum fuerit ad memoriam Eclipſis quo natura horrorem deicidii teſtata eſt, ſive ut Chriſtum & Eccleſiam ſignificent; hanc enim Symboli rationem poſt Anaſtaſium Sinaitam illis tribuere licet. In celebri Dyptico eburneo prius Monaſterio Rambonenſi ſeu Arabonæ in Marchia Anconitana oblato, & deinde in domeſtico Muſeo Cl. V. Philippi Buonarroti Senatoris Florentini aſſervato, inſculptas videre eſt ad partis ſuperioris latera Solis & Lunæ imagines ſub humana viri & mulieris figura dolentium. Dypticum hunc præclaris adnotationibus illuſtravit ſupralaudatus Buonarrotus in Calce obſervationum ad vitrea fragmenta pag. 257. ubi & de dypticorum uſu & authoritate eruditiſſime diſſerit, addens quoque hæc in alia conſimili Icone quæ apud Civitatem Auſtriæ ſeu Fori Julii aſſervatur, & in pictura quam Lambeſus lib. 2. offert, conſpici.

Crucifixi pedes clavis ſeparatim terebrantur. Hoc etſi modo communiori fidelium opinioni diſſentaneum videtur, antiquioribus tamen ſæculis apud plures Chriſtianos in frequentiori uſu fuit. Celebris eſt inter cæteras imago Crucis Chriſtum quatuor clavis non ſuperpoſitis ſed ſeparatis pedibus affixum


fixum exhibens, quam Osfridus Weiſſemburgenſis in Fuldenſi Cœnobio B. Rabani Mauri diſcipulus lib. v. Voluminis Evang. antiquis Rythmis Theotiſcis a ſe compoſiti præfixit, quamque Petrus Lambecius Comment. de Auguſta Bibliotheca Cæſarea Vindoforenſi lib. 2. cap. 5. pag. 432. diligenter diſineatam expoſuit. Volumen autem Evangeliorum inſeruit Schilterus Tom. I. pag. 317. Theſauri antiqu. Teutonic. De Chriſto Domino ſic Crucifixo S. Gregorius Turon. de gloria Mart. cap. 6. S. Birgitta in revelat. Juſtus Lipſius lib. 2. de Cruce cap. x. Joannes Ciampino part. 2. Veterum monum. Tab. 14. ad num. 2. & 4. & Paulus Aringhius Romæ ſubterraneæ Tom. II. lib. iv. cap. 47. pag. 406.

Pars quæ ex adverſo opponitur continet imaginem hominis bene barbati & erecte ſtantis. Capiti *Nimbus*, ut vocant, circumducitur, dextera benedicentis in modum elata, læva volumen pectori admotum retinet. Sic Veterum Muſiva opera Chriſtum Dominum, SS. Petrum & Paulum alioſque præſeferebant, ut notat erud. Ciamp. Talari interiori tunica tegitur cui ſuperinductum eſt pallium, ſub quo ſiniſtra librum tenens latet. Hujusmodi veſtium meminit Ducangius in Diſſertat. de Imperator. Conſtantin. numismatibus; pluraque etiam a Ciampino exempla afferuntur. In hac eadem Crucis facie tres ſunt imagines dimidiatæ inferiori a pectore parte deficiente. Prima impoſita quodammodo eſt capiti majoris figuræ & utraque manu mundum geſtat ſeu globum Crucigerum, de quo agit Ducangius; & prima vice expreſſus creditur in nummis Valentiani, quum Imperator renunciatus eſt Ann. 364. Crediderim Artificem voluiſſe exhibere Chriſtum Dominum ea corporis habitudine, ſub qua vulgo Salvator a nobis dicitur. Reliquæ duæ imagines ſeorſim occupant duo extrema in horizontalibus Crucis brachiis. Hominem dixeris ad ſiniſtram, fœminam vero ad dexteram, ſed eas imagines attritus ita ferme delevit ut nihil de iis niſi ariolando aſſerere liceat.


Ex utraque Crucis parte litteræ aliquæ ſeu potius litterarum veſtigia conſpiciuntur, quæ conjecturis magis quam explicationibus locum præbent; Græcæ hæ ſunt quales rudioribus ſæculis efformabantur; quæ a peritiſſimo in Grajo ſermone viris attentius inſpectæ hac interpretatione donatæ ſunt.

Super









Super Crucifixi Domini caput in titulo Crucis

K X C

Κύριε Χριςὲ Cῶσον

Domine Chriſte ſalva vel aliud quid ſimile.

Sub ejusdem Crucifixi brachiis HΣCΩ XPH

Prima quæ ſe ſe offert verborum horum explanatio eſſe videtur hæc *Jeſus Chriſtus:* verum in ea duo non levis ponderis errores deteguntur ſiquidem loco litteræ H bis reponenda eſſet littera I, atque in fine prioris verbi omnino inutilis eſſe videretur Ω. Itaque conſultius erit ſic interpretari

Ἡ Σταύρωσις Χρήσιμος

Crucifixio Pretioſa

Ex altera parte ad caput Salvatoris globum Crucigerum manutenentis litteræ apparent omnino exeſæ, quæ taliter explicantur:

ΘΕΟΣ *Deus*

A lateribus imaginis volumen ſiniſtra tenentis

ἉΓΙΟΥ ΜΑΞΙΜΟΥ ὉΜΟΛΟΓΗΤΟΥ

ideſt

Sancti Maximi Confeſſoris

Has ex aliorum ſenſu Grajarum vocum explanationes exhibeo. Proportio, figura & ipſa Crucis materialis confectio artificis ignorantiam teſtantur ampliſſime. In primis vero Characterum inciſorum indoles manifeſto indicio eſt, hoc opus poſt ſæculum Decimum elaboratum fuiſſe, quo tempore barbaries, eique inſeparabilis comes Ignorantia longe lateque in Europa dominabantur. Illud maximo eſt argumento Chriſti caput cernere ſpinea nudum corona; hoc enim iis ſæculis adeo uſitatum fuit, ut vix aut nusquam reperire datum ſit Crucifixi effigiem per quatuor ſæcula decimum ſubſequentia elaboratam, quæ ſpinis circumdata appareat. Tunc temporis Cruces hujusmodi vocabantur collariæ, ſeu pectorales, (ut Ducangius in Gloſs. ad voces Crux & Cruceola) Ab Epiſcopis aliisque etiam pendentes a collo geſtabantur more antiquiſſimo & ubique paſſim recepto, ut eruitur ex Actis Synodi ſecundæ Nicenæ aliisque authoribus quamplurimis. Non abludet fortaſſe a vero qui noſtram hanc Crucem æream ab Adamo Æmoniæ Epiſcopo corpori S. Maximi fuiſſe ſuperimpoſitam dicat, quum anno milleſimo centeſimo quadrageſimo ſexto illud una cum corpore

S. Pelagii peculiari ſepulcro condidit. Quapropter Venetias & ipſa cum ſacro pignore cui adnectebatur delata, quippe contactu ſanctificata, ad uſum benedicendi fideles traducta eſt. Sed cum quæ diximus tum de S. Maximo tum de Cruce hac, quæ aliquo certe pacto ad illum ſpectat, committenda ſint eruditis in Eccleſiaſtica antiquitate, quos inter nemini ſunt ſecundi Antuerpienſes Biographi, idcirco nihil hic pro certo ſatis & explorato affirmare auſim.

Series Chronologica Plebanorum Eccleſiæ Sancti Cantiani.

1041. Menſe Junio. Celſus Vicarius Eccleſiæ S. Cantiani. Ex Archivo Patriarchali.

1044. Joannes Presb. Vicarius S. Cantiani ſcripſit an. 1044. 15. Febr. Ind. XIII. donationem quam fecit Urſus Urſiolus Patr. Graden. Petro Caroſo Monacho Benedictino de Monaſterio S. Georgii de Pineto, Ex Ital. Sac. Tom. X. col. 76.

1293. Nicolaus Delphinus Pleb. Plebis de S. Cantiano, de quo conqueritur Bonifacius Parentinus Epiſc. ut de ſuo debitore. Ex carta exiſtente in lib. 1. Arch. Parentini. Idem anno 1296. die XII. Junii Delegatus Papæ in cauſa Bonifacii Parentini Epiſcopi cum Pleb. S. Mariæ Formoſæ.

1328. Nicolaus Renius Pleb. Not. & Aulæ inclyti Ducis Venetiarum Cancell. teſtis fuit in ſententia Patr. Graden. Ex Arch. S. Antonii de Torcello. Idem anno 1337. die XII. Octob. teſtis in Inſtrumento, quo Fr. Franciſcus Ramponus Bononienſis Ord. Servor. alumnus Cenetenſis Epiſcopus inveſtivit Procuratores S. Marci de Dominiis terrarum quas habebant Domini de Camino. De univerſo Veneto Clero optime meritus obiit anno 1348. ejusque ſepulcrale elogium Cleri ejusdem Præſidentes exculpi in pavimento Eccleſiæ curarunt anno 1587.

„ Nicolao vitæ integritate, doctrina & religione „ inſigni hujus Eccleſiæ Plebano, ac Ser^mi^. Venetia„ rum Principis Canc. deque hujus almæ Urbis Clero

„ ro ob ejus præclara munera optime merito, Cle-
„ ri ejusdem pientiſſimi præſides Monumentum hoc
„ poſuere Anno 1587.

1349. Lucianus Zeno Not. Eccleſiam conſecrari curavit anno 1351. Obiit die XII. Julii 1381. ut ex ejus ſepulcrali epigraphe.

„ MCCCLXXXI. Menſe Julii die 12. Indictione 9. Se-
„ pulchrum Vener. Viri Domini Luciani Zeno Ple-
„ bani hujus Eccleſiæ S. Cantiani, cujus anima requie-
„ ſcat in pace.

1372. Gratianus de Gratianis Not. Archidiac. Graden. & Capell. S. Marci. Ex rog. ejusdem.

1399. Marcus Dandulo Archipresb. Congreg. S. Cantiani. Ex rog. Jacobi Ciera Pleb. S. Joannis Chryſoſtomi & Not. Eo Eccleſiam adminiſtrante anno 1407. Capitulum S. Cantiani Patr. Graden. immediate ſubjectum in Patriarchali Palatio in Capella ejusdem Palatii rite congregatum elegit ad titulum ipſius Eccleſiæ, *in qua non erat certus clericorum numerus*, Pasqualinum quondam Jacomelli de Venetiis; ipſamque electionem Joanni Patriarchæ præſentavit. *Qui quidem Reverendiſſimus Pater dictam electionem tanquam canonice celebratam authoritate ordinaria confirmavit. Ipſumque Paſqualinum electum inſtituit in Clericali titulo prælibato.*

„ In nomine Domini. Amen. Anno ab ipſius Na-
„ tivitate 1407. Indict. 15. die x. menſis Decembris.
„ Venerabiles & diſcreti Viri Domini Presbiteri Mar-
„ cus Dandulo Plebanus & Donatus quondam Jaco-
„ bi de Venet. Bartholomeus quondam ...... de Mu-
„ riano Chriſtophorus f. Rizardi de Lindoniis Sacer-
„ dos, & Thomas Gratiano, & Georgius Diaconus
„ de Quritia perpetui beneficiati Collegiatæ Eccle-
„ ſiæ S. Cantiani de Venetiis Domino Patriarchæ Gra-
„ denſi immediate ſubiectæ, Caſtellanæ Dioceſ. in
„ Patriarchali Palatio in Capella ejusdem Palatii ad
„ Capitulum congregati, facientes & conſtituentes
„ ad præſens totum Capitulum dictæ Eccleſiæ, cum
„ nullus alius eſſet ad preſens qui de jure deberet ad

„ dictum Capitulum convocari, nominibus eorum „ & dicti Capituli unanimiter & concorditer, in præ- „ fatæ Eccleſiæ, in qua non eſt certus Clericorum nu- „ merus ad Titulum ipſius Eccleſiæ elegerint Paſqua- „ linum ſ. Jacomelli de Venetiis; & ut hujusmodi ele- „ ctio ſuum debitum conſequatur effectum præſenta- „ verint eundem Paſqualinum Reverendiſs. in Chri- „ ſto Patri, & Dom. D. Joanni permiſſione divina „ Sanctæ Sedis Graden. Dalmatiæque Primati, eidem- „ que ſupplicaverint, quatenus hujusmodi electionem „ confirmare, & ipſum electum de hujusmodi Cleri- „ cali Titulo inſtituere dignaretur; qui quidem Re- „ verendiſs. Pater dictam electionem tanquam cano- „ nice celebratam auctoritate ordinaria confirmavit „ ipſumque Paſqualinum electum inſtituit in Cleri- „ cali titulo prælibato; auctoritate qua ſupra com- „ mittens per hoc præſens publicum Inſtrumentum „ Ven. Viro Dom. Presbytero Gabrieli ab Equis Ple- „ bano Eccleſiæ S. Moyſis dictæ dioceſ. ibidem pre- „ ſenti quatenus dictum Paſqualinum in tenutam & „ corpoream poſſeſſionem dicti Clericalis tituli, ju- „ riumque & pertinentiarum ipſius, auctoritate præ- „ fati Domini ponatur pariter & inducatur, ſibique „ de ipſius Clericalis Tituli fructibus, redditibus, pro- „ ventibus, juribus, & obventionibus faciat integra- „ liter reſpondere. Contradictores quoslibet &c.

„ Et Ego Lucas ſ. Laurentii Puccii de Zaffis Eccleſiæ S. „ Sylveſtri de Venetiis & Venetus Not. &c.

1421. Joannes de Martinis. Ex rog. Michaelis Balbi Pleb. S. Mariæ Matris Domini & Not.

1429. Sanctorius q. Georgii de Pellignano. Ex ejusdem teſta- mento.

1433. Joannes Maerno. Ex Matricula Scholæ S. Jo: Baptiſtæ in Eccl. S. Hermacoræ.

1438. Thomas de Prandis. Ex rog. Joan. Rizzo Pleb. S. So- phiæ. Tranſiit ad Plebanatum Eccl. S. Auguſtini.

1445. Jacobus Belli. Ex rog. Matthæi Chaime Plebani San- ctæ Marinæ.

1476. Petrus Urſo. Ex Arch. Eccleſiæ.

1498. Victor Urſo. Ex eodem Archivo.

1504. Demetrius Ferrugius. Ex rog. Iſidori Bagnolo Pleb. SS. Apoſtolorum. Obiit 4. Julii 1530.

1531. Natalis Amphileno Pleb. S. Antonini elect. ad Plebanatum S. Cantiani utraſque Parecias retinuit; ut legitur in lib. Archivii ſignato num. 1.

In Dei Æterni Nomine Amen 1531. 29. *Auguſti*. *Commemorationem poſſeſſionis Plebanatus S. Cantiani celebravi Ego Natalis Amphilenus Plebanus S. Antonini Venetiarum. Fabricæ autem S. Cantiani prædicti ſumptus declarare curavi* &c. De eo hæc inſcriptio legitur Turri ſacræ affixa.

„ *Deo Optimo Max: Auſpice* MDXXXII. *Kal. Martii Nata-*
„ *lis Amphilenus Divi Cantiani Antiſtes ſua diligen-*
„ *tia ac Parochianorum ope* X. *ſui Plebanatus Anno*
„ *condidit*. Fuit Canon. Caſtell. Obiit 29. Mart. 1550.

1550. 9. Apr. Laurentius Pegolotus J. U. D. prius Pleb. S. Trinitatis. Obiit 5. Aug. 1556. Ex Arch. Eccl. Vacavit Eccl. menſ. quatuor.

1556. 15. Decemb. Aloyſius Arſeus Presb. S. Martini tenuit Plebem dies XXV. poſtea renuntiavit. Vir eruditus edidit Comœdias Ariſtophanis in carmina Jambica verſas, aliaque opuſcula. Obiit 13. Junii 1566. Presb. ultimus S. Martini.

1556. M. V. 10. Januar. Andreas de Leoninis claudus. Obiit 12. Novemb. 1563.

1563. 22. Novemb. Gaſpar Oldroinus Capell. S. Severi. Obiit 14. Maii 1570.

1570. 26. Maii. Matthæus Mioni gibbus. Obiit 12. Mart. 1572.

1572. Michael Maſſarius Canon. Caſtell. Obiit 1586.

1587. Dominicus Thomaſini Canon. Caſtell. Obiit 1605.

1605. Sebaſtianus Rinaldi Canon. Patr. primum, deinde Ducal. Eccl. Prothonot. Apoſtol. In Sacello ad dexteram Aræ Majoris monumentum ſibi Fratri & poſteris poni mandavit, ut teſtatur marmorea epigraphes ad latera Sacelli appoſitæ.

„ D. O. M.
„ Sebaſtianus Rinaldi Prothonotarius Apoſtolicus hujus Ec-
„ cleſiæ Plebanus, ac ſua diligentia inſtaurator, Pa-

„ triar-

„ triarchalis, & poſtremo Ducalis Eccleſiæ S. Marci
„ Canonicus, ac Reverendiſs. Congregationis S. Can-
„ tiani Archipresbiter adhuc in humanis ſacellum,
„ monumentumque hoc defuncto fratri, ſibi poſteris-
que poſuit. Obiit vero die Sexto Idus Febr. MDCIL.

1649. M. V. Thomas Zappi. Obiit 10. Septemb. 1656.

1656. Joannes Maria Gratarolus Canon. Ducal. Prothonotar. Apoſt. Archipresb. Congreg. S. Cantiani. Ejus pietatem teſtantur duæ lapideæ inſcriptiones ad ſuperiorem partem parietum in Sacello Sancti Philippi Neri appoſitæ:

„ Jo: Maria Grattarolus hujus Eccleſiæ Antiſtes ejusdem
„ Cong. Archip. Divi Marci Canon. taliſque Confrat.
„ ſodalis Divo Philippo Neri Sacellum hoc, & al-
„ tare legavit.

„ Tanti muneris ſilentium a piiſſimo donatore juſſum hoc
„ marmore ſolvi hæc pia Sacerdotum caterva deman-
„ davit, hinc animi largitatem, pietatis in Deum,
„ devotionis in Sanctos hoc ſaxum intuentes erudit.

Januæ quæ ad Sacrarium aditum præbet ſuperſtat marmoreum ipſius ſimulacrum cum hoc elogio.

„ D. O. M.

„ Jo: Maria Grattarolus Templi hujus Antiſtes Prothonot.
„ Apoſtolicus Divi Marci Canon. ac Reverendiſs. Con-
„ gregationis S. Cantiani Archip. hanc vetuſtate tem-
„ poris collabentem januam in ampliorem & elegan-
„ tiorem formam ære proprio reducere curavit An-
„ no Domini MDCLXXVIII. Obiit 20. Novemb. 1686.

1686. Antonius Magno, cujus hæc eſt emortualis inſcriptio.

„ D. O. M.

„ Sub hoc parvo lapide Magnus jacet Antonius Paſtor
„ nobis ovibus tam charus quam Deo. Obiit III.
„ Non. Novembris 1688.

1688. Joannes Maria Prævio. Hic omnia bona ſua pauperibus & Eccleſiæ ex Teſtamento legavit. Obiit 1702. 11. Martii. Marmoreum ejus ſimulacrum in Eccleſia viſitur cui ſubjacet hoc elogium.

D. O. M.

„ D. O. M.

„ Jo: Mariæ Prævio digniſſimo Eccl. Plebano munificen-
„ tia in eandem Eccleſiam & pauperes ſpectatiſſimo
„ commiſſarii ex teſtamento monumentum hoc po-
„ nendum curarunt A. D. MDCCII.

1702. Bernardus Pontello elect. Canon. S. Marci ipſa electionis ſuæ die migravit in Cœlum Tertio Nonas Septemb. 1712. Tumulatus cum hoc elogio.

„ Bernardi Pontello ſingulari pietate in ſeipſum, in Ec-
„ cleſiam, in pauperes, ſempiternæ memoriæ Anti-
„ ſtitis cineres. Obiit tertio Nonas Septembris an-
„ no MDCCXII.

Eo Eccleſiam adminiſtrante Eccleſiæ proſpectus præ vetuſtate collabens pio Michaelis Thomaſi Legato, ut ſupra dictum eſt, renovatur. Obiit die III. Septembris 1712.

1712. Sebaſtianus Molino Canon. Ducal. cujus ſtudio marmorea Altaria ædificantur. Obiit 30. Novemb. 1738.

1738. Antonius Caſella. Obiit 2. Julii 1746.

1746. Franciſcus Guerra eximiæ miſericordiæ Vir cuncta, quæ ex honeſtis laboribus comparaverat, pauperibus vivens erogavit, & moriens legavit. Tarviſii obiit die 8. Novembris 1747. cujus corpus Venetias delatum lacrymis egenorum parentantibus in Eccleſia tumulatum eſt.

1746. Dominicus Tamagnonius. Eccleſiam divite ſupellectile, & organi pneumatici renovatione ornari curavit.

Ple-

„ triarchalis, & poſtremo Ducalis Eccleſiæ S. Marci
„ Canonicus, ac Reverendiſs. Congregationis S. Can-
„ tiani Archipresbiter adhuc in humanis ſacellum,
„ monumentumque hoc defuncto fratri, ſibi poſteris-
que poſuit. Obiit vero die Sexto Idus Febr. MDCIL.

1649. M. V. Thomas Zappi. Obiit 10. Septemb. 1656.

1656. Joannes Maria Gratarolus Canon. Ducal. Prothonotar. Apoſt. Archipresb. Congreg. S. Cantiani. Ejus pietatem teſtantur duæ lapideæ inſcriptiones ad ſuperiorem partem parietum in Sacello Sancti Philippi Neri appoſitæ:

„ Jo: Maria Grattarolus hujus Eccleſiæ Antiſtes ejusdem
„ Cong. Archip. Divi Marci Canon. taliſque Confrat.
„ ſodalis Divo Philippo Neri Sacellum hoc, & al-
„ tare legavit.

„ Tanti muneris ſilentium a piiſſimo donatore juſſum hoc
„ marmore ſolvi hæc pia Sacerdotum caterva deman-
„ davit, hinc animi largitatem, pietatis in Deum,
„ devotionis in Sanctos hoc ſaxum intuentes erudit.

Januæ quæ ad Sacrarium aditum præbet ſuperſtat marmoreum ipſius ſimulacrum cum hoc elogio.

„ D. O. M.

„ Jo: Maria Grattarolus Templi hujus Antiſtes Prothonot.
„ Apoſtolicus Divi Marci Canon. ac Reverendiſs. Con-
„ gregationis S. Cantiani Archip. hanc vetuſtate tem-
„ poris collabentem januam in ampliorem & elegan-
„ tiorem formam ære proprio reducere curavit An-
„ no Domini MDCLXXVIII. Obiit 20. Novemb. 1686.

1686. Antonius Magno, cujus hæc eſt emortualis inſcriptio.

„ D. O. M.

„ Sub hoc parvo lapide Magnus jacet Antonius Paſtor
„ nobis ovibus tam charus quam Deo. Obiit III.
„ Non. Novembris 1688.

1688. Joannes Maria Prævio. Hic omnia bona ſua pauperibus & Eccleſiæ ex Teſtamento legavit. Obiit 1702. 11. Martii. Marmoreum ejus ſimulacrum in Eccleſia viſitur cui ſubjacet hoc elogium.

D. O. M.

„ D. O. M.
„ Jo: Mariæ Prævio digniſſimo Eccl. Plebano munificen-
„ tia in eandem Eccleſiam & pauperes ſpectatiſſimo
„ commiſſarii ex teſtamento monumentum hoc po-
„ nendum curarunt A. D. MDCCII.

1702. Bernardus Pontello elect. Canon. S. Marci ipſa electionis ſuæ die migravit in Cœlum Tertio Nonas Septemb. 1712. Tumulatus cum hoc elogio.

„ Bernardi Pontello ſingulari pietate in ſeipſum, in Ec-
„ cleſiam, in pauperes, ſempiternæ memoriæ Anti-
„ ſtitis cineres. Obiit tertio Nonas Septembris an-
„ no MDCCXII.

Eo Eccleſiam adminiſtrante Eccleſiæ proſpectus præ vetuſtate collabens pio Michaelis Thomaſi Legato, ut ſupra dictum eſt, renovatur. Obiit die III. Septembris 1712.

1712. Sebaſtianus Molino Canon. Ducal. cujus ſtudio marmorea Altaria ædificantur. Obiit 30. Novemb. 1738.

1738. Antonius Caſella. Obiit 2. Julii 1746.

1746. Franciſcus Guerra eximiæ miſericordiæ Vir cuncta, quæ ex honeſtis laboribus comparaverat, pauperibus vivens erogavit, & moriens legavit. Tarviſii obiit die 8. Novembris 1747. cujus corpus Venetias delatum lacrymis egenorum parentantibus in Eccleſia tumulatum eſt.

1746. Dominicus Tamagnonius. Eccleſiam divite ſupellectile, & organi pneumatici renovatione ornari curavit.

Plebanus & Capitulum S. Canciani concedunt Hieronymo Lauredano, & Joanni Petro Pulverino Sacellum S. Venerandi in eadem Eccleſia poſitum.

A.

1505. 10. Martii.

Ex Archivo Eccleſiæ.

IN Chriſti nomine Amen. Anno Nativitatis ejusdem milleſimo quingenteſimo quinto decimo die vero duodecimo Menſis Martii Indictione tertia, convocato venerando Capitulo Parochialis & collegiatæ Eccleſiæ S. Cantiani Venetiarum in quo interfuerunt Reverendus Plebanus & Reverendus D. Presbiter Bernardinus de Gusmatis Plebanus Sanctæ Mariæ Novæ Venetiarum, Dominus Presbiter Franciſcus Urlandinus & Dominus Presbiter Matheus de Scutis omnes tres Presbiteri titulati & perpetui beneficiati dictæ Eccleſiæ S. Cantiani & Dominus Presbiter Martinus de Scutaro Diaconus, & Dominicus Presbiter Alexander Falconus Subdiaconus titulatus dictæ Eccleſiæ S. Cantiani omnes habentes vocem in dicto Capitulo & ipſum totum Capitulum repreſentantes comparuit & ſe preſentavit coram ipſo Capitulo Magnificus & generoſus vir Dominus Hieronymus Lauredano qu. Magnifici Domini Dominici ſuo ac nomine & vice; & Joannis Petri Polverini a Sirico, & ibidem dicto nomine petiit, & humaniſſime requiſivit quatenus dictum Capitulum ſibi concedere debeat ex devotione quam dicti Magnificus D. Hieronymus & Ser Joannes Petrus habent erga dictam Eccleſiam S. Cantiani Capellam fundatam in dicta Eccleſia Sancti Cantiani ſub vocabulo Sancti Venerandi prope portam Sacraſtiæ prefatæ Eccleſiæ, ut ipſe Magnificus Dominus Hieronymus & ipſe Ser Joannes Petrus poſſint, & valeant ipſam capellam ſibi ornare juxta voluntatem, & devoctionem ſuam in ea que ſibi facere lapideum monumentum pro reponendo ipſorum cadavera poſt obitum ſuum quando exiverint ex hac vita modis, & conditionibus ac obligationibus infraſcriptis. Inde ipſa petitione intellecta dictum Capitulum tam libentiſſime admiſit & exaudivit veluti gratum, & memor beneficiorum continenter preſtitorum per ipſum Magnificum Dominum Hieronymum Lauredanum affetuoſo animo, & paterna pietate cuilibet de dicta Eccleſia, & Eccleſiæ ipſi, & cum in futurum Deo concedente majora ipſum facere non diffidit modo ſuperſit vita attendendo, quod dicta Eccleſia S. Cantiani laboribus, & induſtriis, ac indulgentiis ab Apoſtolica Sede ejus cauſa & medio impetratis ipſius Magnifici Domini Hieronymi fuerit & ſit ornata illuſtrata ac reſformata, & divinis offitiis aucta non ſine &c. aliqua impenſa propria ipſius Magnifici Domini Hieronymi & recognoſcendo ſemper gratum animum, & beneficium ipſius Domini Hieronymi erga ipſam Eccleſiam tenore hujus publici & authentici Inſtrumenti per ſe & ſucceſſores ſuos perpetuo dedit & conceſſit dicto Magnifico Domino Hieronymo Lauredano præſenti & pro ſe ac nomine & vice prefacti Ser Joannis Petri Pulverino ſtipulante & recipiente ac pro heredibus ſucceſſoribus eorum dictam Capellam S. Venerandi ut ſupra poſitam, & fundatam in dictam Eccleſiam S. Cantiani prope portam ejus Sacriſtiæ cum ſuo altari palla, ac omnibus & ſingulis rebus ea ad præſens quomodolibet exiſtentibus cum Plenaria auctoritate & poteſtate dictam Capellam cum heredibus & ſucceſſoribus ſuis perpetuo utendi, ornandi, muro incruſtandi, reſtaurandi & fabricandi pallam & Altare ac omnia alia ulcimenta, & ornamenta neceſſaria & quæ facere pla-

placuerit ipſi Magnifico D. Hieronymo pro ſe dicto nomine faciendi; prætereà in ea faciendi unum monumentum ſit prædictorum Dominorum Hieronymi & Joannis Petri Pulverino ſuprafcriptorum ac Pulverini Fratris ipſius Ser Joannis Petri jam defuncti heredum ac ſucceſſorum cujuslibet eorum apponendo ſuper dictum monumentum ſua epitaphia & inſignia ſupra dicta Capella ipſius magnifici Domini Hieronymi Lauredano, & omnia alia denique faciendi in dicta Capella pro ejus ornatu ac viſu ipſorum Dominorum Hieronymi Lauredano, & Joannis Petri Pulverino & heredum & ſucceſſorum ſuorum quæ ſibi facere placuerit omnibus impenſis ipſorum Dominorum Hieronymi Lauredano & Joannis Petri Pulverino ac laboribus & ad omne eorum libitum; & hoc quia dictus Magnificus Dominus Hieronymus Lauredano per ſe & dicto nomine pro elemoſina ſcribere & conſignare promittit & ſe obligat ipſi Capitulo S. Canciani tantum Capitalis aut montis veteris, aut montis noviſſimi pro ut ipſi Capitulo magis placuerit, & ad omne ipſius Capituli libitum & voluntatem quantum ſibi reddat in anno & in ratione anni de prode ducatos tres auri; quod quidem Capitale prefactus Magnificus D. Hieronymus pro ſe & dicto nomine in caſu quod in futurum aliquod impedimenti, aut ſiniſtri ſuper eo accideret non teneatur, nec obligatus ſit conſervare, & manu tenere liberum & expedictum ipſi Capitulo, ſed ſit & eſſe debeat cum omni ſuo prode ipſius Capituli cum omni ſuo beneficio aut maleficio ſibi quomodolibet incumbenti imperpetuum, verumtamen ipſe Magnificus Dominus Hieronymus promittit in vita ſua facere & taliter opperari quod ipſum Capitulum habebit omni anno vivente ipſo D. Hieronymo dictos Ducatos tres auri omni prorſus obſtaculo & contraditione remotis, obligationibus tamen & conditionibus infraſcriptis videlicet quod dictum Capitulum ex adverſo teneatur & obligatum ſit in perpetuum ſingulis annis in dicta Eccleſia S. Canciani facere tria aniverſaria videlicet poſt mortem prefacti Magnifici D. Hieronymi, cujus vitam Deus proroget per multos annos, in die ſui obitus unum Anniverſarium cum ſua Miſſa Mortuorum decantata: Item facere unum Anniverſarium poſt mortem ſupranominati Ser Joannis Petri Pulverino in die ſui obitus ſimiliter cum ſua Miſſa Mortuorum decantata: Item unum Anniverſarium cum dicta Miſſa Mortuorum decantata in die obitus ſuprafcripti qu. Ser Pulverini jam Defuncti, ut ſupra incipiendo facere preſens anniverſarium pro Anima ipſius qu. Ser Pulverini cum dicta ſua Miſſa Mortuorum decantata in die vigeſimo ſecundo Decembris proxime venturi & ab inde in antea ſuceſſive de anno in annum inperpetuum in omni vigeſimo ſecundo die Decembris in quo dictus qu. Ser Pulverinus diem ſuum clauſit extremum omni prorſus exceptione remota. Dans & concedens dictum Capitulum ipſi Domino Hieronymo pro ſe & dicto nomine omnimodam auctoritatem & facultatem preſens Inſtrumentum cum omnibus & ſingulis in eo contentis, & annotatis corroborari, & confirmari facere cum omnibus ſolemnitatibus in ſimilibus conſuetis & neceſſariis per Sanctam Apoſtolicam Sedem, & hoc quando, & quotiens ipſi Domino Hieronymo videbitur, & placuerit: quod quidem Inſtrumentum & omnia & ſingula ſupraſcripta partes prædictæ nominibus ſupraſcriptis per ſe heredes & ſucceſſores ſuos promiſſerunt attendere, & obſervare & non contrafacere vel venire per ſe vel alium aliqua ratione & cauſa ſub obligatione omnium ſuorum dictis nominibus bonorum præſentium, & futurorum.

Actum Venetiæ in Sacriſtia Eccleſiæ Sancti Canciani Prædictæ præſentibus Domino Præsbitero Baptiſta Filio qu: Andrea de Gambonis Manſionario in dicta Eccleſia, & Ser Sebaſtiano q: Ser Jo: Petri de Imodellis Aromatario de Contrata Sanctæ Mariæ Novæ teſtibus vocatis & rogatis &c.

Locus ſigni Notarii. Ego Daniel Jordanus, qu. D. Victoris Publicus Imperiali,

riali, & Venetiarum auctoritatibus Notarius ſuprascript. omnibus & ſingulis interfui aliqua rogatus ſcripſi ſed aliis occupatus negotiis per alium mihi fidum in hanc publicam formam redigi feci & in fidem me ſubſcripſi ſigno nomineque meis appoſitis conſuetis &c.

Ex hoc autem Conceſſionis Inſtrumento aliud Venetæ non admodum remotæ antiquitatis infertur monumentum, aſſuetum ſcilicet per id temporis fuiſſe duobus ſub diverſo titulo Eccleſiis deſervire; cum enim ipſe Bernardinus de Guſmatiis, qui ut primus Presbyter S. Canciani ſubſcripſit ſupra relatæ conceſſioni nominetur etiam Plebanus S. Mariæ Novæ; manifeſte apparet geminæ in una perſona ſervitutis offitium; quod etiam ex pari exemplo oſtenditur viſitatum etiam in Dieceſi Torcellana in Inſtrumento Anni 1496. quando Presbiter Franciſcus de Rubeis Plebanus S. Martini, uti Presbiter primus titulatus S. Donati de Muriano ſubſcripſit donationi factæ ab Eccleſiæ S. Donati Capitulari Collegio; Dominæ Mariæ de Arlatis Eccleſiæ & Fundo S. Andreæ ad conſtruendum Virginum Aſceterium, quod modo vocatur S. Marcus, & S. Andreas.

Plebanus S. Joannis Novi delegatus Apoſtolicus confirmat conceſſionem Sacelli S. Venerandi factam à Capitulo S. Canciani Hieronymo Lauredano.

B.

1515. 2. Junii.

Ex Autographo in Archivo Eccleſiæ.

IN Chriſti Nomine Amen. Anno Nativitatis ejusdem milleſimo quingenteſimo quinto decimo Inditione tertia die ſecundo menſis Junii Pontificatus vero Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri Domini Leonis Divina providentia Pape Decimi Anno tertio conſtitutus perſonaliter coram me Notario, & teſtibus infraſcriptis. V. N. D. Hieronymus Lauredano qu. Magnifici Domini, per ſe & nomine Ser Joannis Petri Pulverino pro rattificatione, & approbatione Inſtrumenti rogati manu mei Notarii infraſcripti inter ſe, & Capitulum Eccleſiæ S. Canciani Venetiarum, de & ſuper conceſſione Capellæ Sancti Venerandi in dicta Eccleſia poſitæ ſub modis, & forma in ipſo Inſtrumento latius contentis, & expreſſis ſub die, & Milleſimo pro ut in eo exhibuit, & effetualiter præſentavit Reverendo Domino Petro Floriano Plebano S. Joannis Novi Venetiarum breve Apoſtolicum ſub annulo piſcatoris clauſum & ſigillatum Atergo cujus ſcriptum eſt *dilectis Filiis Archipresbitero Auxerenſi* (*a*) *in Dioceſi Torcellana commoranti, & Plebano S. Joannis Novi Venetiarum* (*b*) *vel eorum alteri*. Intus vero dicti Brevis, ut ſupra aperti in ejus Margine de ſupra ſic ſcriptum habetur: *Leo Papa X.* cujus tenor de verbo ad verbum talis eſt. *Dilectis Filiis Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem mittimus vobis ſupplicationem præſentibus introcluſam manu dilecti Filii noſtri* L. Cardina-

(*a*) Auxerenſis ex Civitate Epiſcopali *Auxerum* Italice Oſero in Inſula ejusdem nominis poſita quam Pomponius Mela *Abſorum* Ptolomeus vero *Arſorum* appellat.

(*b*) Anno 1515. Plebanus erat in Eccleſia S. Joannis Novi Petrus Florianus, qui eo ipſo Anno & menſe obiit.

dinalis Agenenſis (*c*) *in præſentia noſtra ſignatam volumusque & vobis committimus, & mandamus, ut vos vel alter veſtrum vocatis vocandis ad illius executionem procedatis juxta ejus continentiam, & ſignaturam. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris Die quinto Maii* 1515. *Pontificatus noſtri Anno tertio F. Caſtilioneus* cum ſupplicatione introcluſa tenoris ut infra videlicet Beatiſſime Pater cum devotus orator veſter Hieronymus Lauredanus Laicus nobilis Venetiarum ſuis laboribus, & induſtria Eccleſiam S. Canciani dictæ civitatis ornaverit, & ab eo non parum illuſtrata fuerit, idcirco Plebanus, & perſonæ Capitulares dictæ Eccleſiæ cupientes oratorem præfactum recognoſcere, capitulariter congregati, ut moris eſt præfacto oratori, ac etiam devoto oratori veſtro Joannis Petro Pulverino etiam laico ejusdem civitatis, quoddam Altare ſive Capellam ſub vocabulo S. Venerandi poſitam, & fundatam in dicta Eccleſia prope portam Sacriſtiæ pro ſe & heredibus ſucceſſoribus eorum dederunt, & conceſſerunt cum plenaria auctoritate, & poteſtate utendi Capellamque hujusmodi ornandi ac monumentum in illa conſtruendi, & epitaphia, ac inſignia oratorum affigendi pro ut ipſis placuerit, ipſique oratores fructus redditus, & proventus ejusdem Eccleſiæ ſive Capellæ uſque ad tres ducatos auri annuatim ſub certis modo, & forma adaugere promiſſerunt, hac conditione, quod dictæ perſonæ capitulares ſingulis Annis inperpetuum in dicta Eccleſia tria anniverſaria facere teneatur videl. poſt mortem dicti Hieronymi & Joannis Petri oratorum prædictorum duo reſpective in die obitus ipſorum, & tertium in die obitus Pulverini Fratris Jo: Petri oratoris ſic, vel aliter prout in Inſtrumento Publico de ſupra de partium conſenſu confecto, cujus tenorem etiam plenius continetur, cujus Inſtrumenti confirmationem per Sedem Apoſtolicam fiendam licentiam petendi dictum Capitulum oratoribus præfactis dederunt eo conceſſerunt. Ut igitur conceſſio prædicta eo magis ſubſiſtat, quo majore fuerit robore munita ſupplicant igitur humiliter Sanctitatis veſtræ oratores præfacti quatenus eorum ſecuritati oportune providentes, ac ſpecialem gratiam facientes aliquibus probis viris in partibus illis, ut ſe de commiſſione omnibus & ſingulis ſummarie ſimpliciter, & de Plano &c. etiam ſolafacti veritate incepta diligenter informent, & ſi premiſſa veritate ſubniti repererint, omnia, & ſingula in dicto Inſtrumento contenta approbent, & confirment ſupleant, quoad omnes, & ſingulos deffectus tamquam facti ſigni forſitan intervenerint in eiſdem plenamque roboris firmitatem obtinere decernant ac Sanctitatis veſtræ & Apoſtolicæ Sedis auctoritatem interponant pariter & decretum, per inde ac ſi illa conceſſiſſet committere & mandare dignemini de gratia ſpeciali conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis ac dictæ Eccleſiæ ſtatutis & conſuetudinibus ceterisque incontrarium facientibus, non obſtantibus quibuscumque, quæ licita ſint, & honeſta. Conceſſum ut petitur in præſentia Domini noſtri Pape. Joannes Caſertanus; & per breve ſanctitatis veſtræ ac ſupplicatione introcluſa. Conceſſum. Joannes Caſertanus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Pridie Idus Aprilis. Anno tertio. Petens nominibus ut ſupra ipſum, Reverendum Dominum Plebanum ad pretenſi Brevis Apoſtolici prædicti & dictæ ſupplicationis juſta ipſius brevis tenorem procedi debere ſtantibus verbis quæ Atergo ipſius brevis leguntur vid. Archipresbitero Auſſerenſi & Plebano S. Jo: Novi Venetiarum vel eorum alteri & clauſula dicti brevi, ut

(*c*) Leonardus Groſſus Roboreus (de la Rovere) S. R. E. Cardinalis Epiſcopus Aginnenſis nuncupatus Nepos Sixti IV. ex Sorore, de quo vide *Tom. II. pag* 928. *Galliæ Chriſtianæ* D. Dionyſii Sainte-Marthe. *Aginnum*, ſeu *Agennum* vulgo *Agen* urbs eſt Aquitaniæ Epiſcopalis ſub Archiepiſcopatu Burdigalenſi vulgo *Bordeaux*.

vos vel alter veſtrum ut ſupra &c. ex quo ipſe D. Archipresbiter Auſſerenſis ad inſtantiam præfacti D. Hieronymi ad exequtionem dicti brevis, & ſupplicationi prædictæ minime procedere voluit, qui quidem Dominus Plebanus recepto dicto breve cum ea qua decuit reverentia, & habito, ut ſupra, quod dictus Dominus Archipresbiter Auſſerenſis ad ipſius Domini Hieronymi inſtantiam ad exequtionem dicti Brevis Apoſtolici minus procedere voluit ipſum Brevem Apoſtolicum in dicta præſentia apperuit legitque diligenter, & volens ipſum uti filius obedientiæ ſuæ debitæ reverenter demandare vocato Capitulo præfactæ Eccleſiæ Sancti Canciani ad Domum ejus habitationis ſituate in Confinio Sancti Jo: Novi termino ſibi affixo ſuper hoc preſente dicto D. Hieronymo ac reiterato iterum conſenſu ipſarum partium de, & ſupra dicto Contractu, & inſtrumento, & habita diligenti informatione de & pro conceſſis promiſſis, & obligatis in ipſo inſtrumento habitaque de præmiſſis omnimoda veritate, lectoque ſcripto inſtrumento de verbo ad verbum, prefactum inſtrumentum Dictus Dominus Plebanus auctoritate Apoſtolica, qua fungitur in hac parte vigore dicti Brevis Apoſtolici de verbo ad verbum ſic partibus volentibus inſtantibus, & requirentibus prout ſtat & jacet laudavit, & approbavit & ratificavit in omnibus ſuis partibus, ac laudat approbat & ratificat, in eoque SS. Domini Noſtri Papæ, & Sanctæ Apoſtolicæ Sedis auctoritatem pariter, & Apoſtolicum decretum interpoſuit totaliter ac ſi contenta in dicto inſtrumento fuiſſent conceſſa a S. D. N. Papa, ſuplevitque prout de præſenti ſupplet eadem autor. Apoſtolica omnes, ac ſingulos deffectus dicti Inſtrumenti tamjuris quam facti, ſi qui forſan quomodolibet intervenerint in eodem de quibus in ipſo inſtrumento legitur, & continetur plenamque roboris firmitatem obtinere decrevit, ac decernit, conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis ac dictæ Eccleſiæ ſtatutis, & conſuetudinibus ceteriſque in contrarium facientibus, non obſtantibus, quibuscumque de quibus omnibus & ſingulis promiſſis. Ego Notarius infraſcriptus rogatus fui a dicto Reverendo Domino Plebano & exequtore Apoſtolico in hac parte ad perpetuam rei memoriam publicum deſuper conficere inſtrumentum. Datum & actum Venetiis in Contrata S. Joannis Novi in ædibus reſidentiæ Dicti Domini Plebani Preſentibus Domino Presbitero Nicolao, Abramo qu. D. Joannis, & Domino Presbitero Hieronymo Novello S. Joannis Novi teſtibus ad promiſſa habitis vocatis & rogatis &c.

Ego Daniel Jordanus q. Domini Victoris Publicus Imperiali & Venetiarum auctoritatibus notarius ſupra ſcriptis omnibus interſui atque rogatus ſcripſi, ſed aliis occupatus negotiis per alium mihi fidum in hanc Publicam formam reddigi feci, & in fidem me ſubſcripſi, ſigno nomineque meis appoſitis conſuetis &c.

Plebanus & Capitulum S. Canciani Hieronymo Lauredano ſic requirenti pro Sacello S. Venerandi concedunt aliud ejusdem Eccleſiæ Sacellum nomine S. Luciæ.

C.

1517. 18. Februarii.

Ex Archivo Eccleſiæ.

IN Chriſti Nomine Amen Anno Nativitatis Ejusdem milleſimo quingenteſimo ſeptimo decimo. Indictione quinta die vero 18. menſis Februarii cum ſub

ſub die duodecimo Menſis Martii 1515. Magnificus & generoſus Vir D. Hieronymus Lauredano q: Magnifici Domini Dominici nomine ſuo & nomine, & vice Ser Joannis Petri Pulverini q: Ser Pulverini a ſirico convenerit cum Domino Plebano & Capitulo Eccleſiæ Sancti Canciani Venetiarum, quod prefacti Reverendus Dominus Plebanus, & Capitulum concedere deberent eidem Magnifico Domino Hieronymo pro ſe & dicto nomine Capellam fundatam in dicta Eccleſia Sancti Canciani ſub titulo Sancti Venerandi prope portam Sacriſtiæ prefactæ Eccleſiæ, in qua Capella prefatus Magnificus Dominus Hieronymus pro ſe & dicto nomine ſibi facere deberet lapideum monumentum pro reponendo ipſorum cadavera poſt eorum obitum, modis tamen & conditionibus ac obligationibus contentis deſcriptis & annotatis in Inſtrumento dictæ conceſſionis complecto & roborato manu mei Notarii Infraſcripti ſub die 2. Menſis Junii ejuſdem Mileſimi; & cum ſit, quod prefactus Dominus Hieronymus pro ſe & dicto nomine aliquibus bonis reſpectibus, & devotionibus tam ſui quam eorum familiæ cupiat loco dictæ Capellæ ſibi conceſſæ accipere Capellam poſitam in dicta Eccleſia a parte dextera Capellæ magnæ apud portam parvam chori ipſius Eccleſiæ ſub titulo Sanctæ Luciæ hinc eſt quod convocato & ſolemniter congregato Ven. Capitulo ipſius Eccleſiæ S. Canciani ad ſonum Campanellæ in eorum Sacriſtia, ut moris eſt, in quo quidem Capitulo inter fuerunt Reverendus Dominus Presbiter Demetrius Ferrugius Plebanus ejuſdem Eccleſiæ, Reverendus D. Presbiter Bernardinus de Guſmatiis Plebanus S. Mariæ Novæ Venetiarum Presbit. Titolatus ejuſdem Eccleſiæ, Dominus Presb. Franciſcus Orlandinus, D. Presb. Michael de Peregrinis, &c. Presbiteri titulati ejuſdem Eccleſiæ, D. Presbit. Alexander Falconus Diaconus Titulatus, & D. Presb. Battiſta qu. Andreæ Subd. Titul. in dicta Eccleſia omnes habentes vocem in dicto Capitulo, & repræſentantes totum ipſum Capitulum, per ſe, & ſucceſſores ſuos dederunt ac libere conceſſerunt prefato Magnifico Domino Hieronymo Lauredano præſenti, & pro ſe, ac nomine & vice præfacti Ser Joannis Petri Pulverini, & eorum heredum & ſucceſſorum ſtipulanti & acceptanti prefactam Capellam exiſtentem a latere dexteræ Capellæ Magnæ ſub titulo Sanctæ Luciæ, in qua prefactus Magnificus Dominus Hieronymus pro ſe & dicto nomine facere poſſit ſuum marmoreum ſepulcrum modis tamen conditionibus obligationibus & eleemoſinis contentis de ſupraſcriptis annotatis & declaratis in ſupraſcripto Inſtrumento conceſſionis dictæ Capellæ S. Venerandi, quod quidem Inſtrumentum, & omnia in eo contenta ſint, & intelligantur pro expreſſis in & pro Cappella S. Luciæ predictæ, ac ſi in præſenti & ſub preſenti die, & in conceſſionis ipſius Capellæ S. Luciæ facta fuiſſent ſeu factum fuiſſet, remanente ipſa Capella Sancti Venerandi & ſepulcro in ea exiſtente libere prefacti D. Plebani & Capituli, pro ut prius erat ante conceſſionem preſentis inſtrumenti, quæ omnia & ſingula ſupraſcripta in preſenti & in ſupraſcripto Inſtrumento contenta, prefactæ partes promiſſerunt perpetuo firma ratta & gratta habere & tenere, attendere & obſervare & non contrafacere, dicere vel venire per ſe nec per alium aliqua ratione vel cauſa ſub obligatione omnium ſuorum bonorum preſentium, & futurorum dantes prefacti Dominus Plebanus & Capitulum licentiam, & auctoritatem prefacto Magnifico Domino Hieronymo preſens Inſtrumentum ad omne ſuum libitum ratificari facere per Reverendiſſimum D.D. Patriarcam Venetiarum pro ut ipſi D. Hieronymo videbitur. Actum Venetiis in Sacriſtia prefactæ Eccleſiæ S. Canciani preſentibus D. Presbitero Andrea de Rigis Sagriſta ipſius Eccleſiæ, & Ser Sebaſtiano, q. Ser Joannis Petri de Imodellis Romatorio de Contrata S. Mariæ Novæ teſtibus vocatis & rogatis &c.

Ego Daniel Jordanus q. Domini Victoris

ctoris Publicus Imperiali & Venetiarum auctoritatibus Notarius ſupraſcriptis omnibus & ſingulis interfui atque rogatus ſcripſi, ſed aliis occupatus negotiis per alium mihi in hanc Publicam formam reddigi feci, & infidem me ſubſcripſi ſigno nomineque meis appoſitis conſuetis &c.

Nos Antonius Contareno Miſeratione Divina Patriarcha Venetiarum Dalmatiæque Primas. Univerſis, & ſingulis præſentes litteras inſpecturis fidem facimus & atteſtamur, qualiter viſo per nos, & diligenter conſiderato tenore ſupraſcripti Inſtrumenti, ut premittitur, rogati ſub die 18. Menſis Februarii proxime præteriti, permutationis Capellæ antedictæ Sancti Venerandi in aliam Capellam Sanctæ Luciæ, pro ut in præinſerto inſtrumento habentes predicta omnia, & ſingula in dicto inſtrumento contenta rite & recte proceſſiſſe, & preterea illa laudavimus, confirmavimus, & approbavimus, & ad majus robur & firmitatem præmiſſorum auctoritatem noſtram Patiarchalem interponimus pariterque & Judiciale decretum. In quorum fidem preſentes fieri juſſimus, & noſtri ſecreti ſigilli impreſſione muniri. Actum & datum Venetiis in Patriarchali Palatio noſtro die Lunæ. Nono menſis Martii 1517. preſentibus Presbitero Alexandro de Auguſtinis & Domino Presb. Ludovico Barbena Camerariis noſtris teſtibus vocatis, & rogatis.

D E
ECCLESIA PAROCHIALI
SANCTÆ MARIÆ NOVÆ.

NUlla apud Scriptores Venetos Eccleſiæ Sanctæ Mariæ Novæ mentio reperitur, nullumque in ejus Archivis extat documentum, quod ſæculum xv. precedat. Honorius hujus nominis Papa III. Pontificatus ſui anno octavo æræ nimirum vulgaris 1224. Abbati S. Cypriani Torcellanæ Diœceſis, & S. Mariæ Novæ de Venetiis & S. Mariæ de Avarie Paduanis Prioribus per Apoſtolica ſcripta mandavit, ut quæ ipſe Pontifex in cauſa Patriarchæ Gradenſis, & Epiſcopi Caſtellani adverſus Abbatem & Monaſterium S. Georgii ſtatuerat, ipſi facerent *per cenſuram Eccleſiaſticam firmiter obſervari*. Pontificium Honorii diploma in decretali Gregorii IX. lib. 2. Tit. XII. mutilato tamen titulo enuntiatum Ughel. ex integro affert Ital. Sac. Tom V. col. 1207. Venetæ editionis: *Honorius Epiſcopus Servus Servorum Dei Dilectis filiis Abbati S. Cypriani Torcellanæ Diœceſis, & S. M. Novæ de Venetiis, & S. M. de Avarie Paduanis Prioribus ſalutem &c.* Ex iis autumant aliqui Parochialem Eccleſiam S. Mariæ Novæ tunc temporis nempe octavo Honorii III. anno qui eræ communis eſt MCCXXIII. Priorali titulo decoratam fuiſſe, indeque

deque mirantur, cur ejus Prior Paduanus dicatur. Verum non ad Parochialem S. Mariæ Novæ Eccleſiam, quæ nunquam per Priores adminiſtrata legitur, ſed ad aliam nempe S. Mariæ de Virginibus Honorii epiſtola referenda eſt: ipſa etenim (ut in plurimis tum ipſius Honorii, tum aliorum Romanorum Pontificum diplomatibus videre eſt) *vocabatur S. Maria Nova in Jeruſalem* ſeu *de Virginibus de Venetiis*, a Canonicis Regularibus, & Sanctimonialibus Congregationis S. Marci de Mantua Ordinis S. Auguſtini exculta, & a Priore adminiſtrata, & directa.

Anno Sæculi XVI. trigeſimo quinto Templum ex vetuſtate fatiſcens die XVI. Julii pene ex integro corruit, illudque ad archetypum Sanſovini ære proprio renovavit amantiſſimus ejus Eccleſiæ alumnus Presbyter Nicolaus a Nigro Subdiaconus Titulatus, & Divi Marci Canonicus Sacriſta; ejus autem Conſecrationis memoria ad diem 17. Junii recurrit. Plurimis ditatur Reliquiarum theſauris, præſertim ſacra Dominicæ Coronæ Spina, & plurimis miraculoſi ſanguinis guttis, qui e Crucifixi imagine Berithi a Judæorum rabie plagis affecta prodigioſe profluxit. Hanc autem mirabilis cruoris partem ex ea deſumptam, quæ in Ducali Sacrario aſſervatur, Parœciæ ſuæ dono dedit anno 1630. Nicolaus Contarenus Dux Venetiarum; atque frequentis populi devotioni ſolemni pompa exponitur quotannis ſacra die Paraſceves.

Plurima quoque ad Altare Crucifixi quieſcunt Beetlemitarum Innocentium oſſa, & per aras diſperſa coluntur lipſana diverſa Sanctorum, quæ ex adjectis nominibus e Romanis Cryptis eruta fuiſſe creduntur.

Ad D. Victorii aram ejus effigies texellato opere conſpicitur a Fratribus Zuccatis laudabiliter efformata, & ex adverſo altari S. Hieronymi tabula celeberrimi Titiani opus eſt exactiſſimum.

Collegium Sacerdotale cujus caput eſt Plebanus, ex duobus Presbyteris, Diacono, & Subdiacono titulatis conſtat.

Series

Series Plebanorum Eccleſiæ S. Mariæ. Novæ.

1296. Joannes Fradello Notarius. Ex cataſtico Monaſterii SS. Joannis & Pauli.
1299. Franciſcus Rizzo Not. Ex rog. ejusdem.
1313. Bartholomæus Nani Not. Ex rog. ejusdem.
1364. Nicolaus Verde. Ex rog. Fantini Rizzo Notarii.
1365. Rodulphus de Sanctis. Ex rogitis Nicolai de Boateriis Notarii.
1376. Thomaſius Talenti. Ex rog. Joannis Campioni Presbyteri S. Cantiani & Notarii.
1396. Franciſcus de Coſtis. Ex rog. Nicolai de Leonardis Notarii.
1429. Franciſcus Rizzoto. Fuit prius Plebanus S. Antonini, & S. Euphemiæ de Judaica, inde Pleb. S. Mariæ Novæ. Ex rog. Joannis Rizzo Pleb. S. Sophiæ Not.
1447. Andreas Davanzago ex Plebano S. Euphemiæ de Judaica, Plebanus, primum S. Mariæ Novæ, & inde Plebanus S. Margaritæ. Ex Arch. Eccl.
1454. Thomas de Albertis. Ex rog. Nicolai Avanzio Presb. S. Mariæ Formoſæ, & Not.
1464. Jacobus de Guarneriis. Ex Arch. Eccl.
1467. Lazarus de Cavaleriis. Ex eodem.
1472. Marcus de Marchettis, Notarius Curiæ Procuratoris. Ex rog. ejusdem.
1480. Joannes Gusmatius decretorum Doctor Archipresb. Montis Silicis. Ex Arch. Eccl.
1505. Petrus de Ramalis. Ex cataſtico Eccl.
1514. Petrus de Caſali. Ex rog. Petri Bono Pleb. Sancti Benedicti Not.
1517. Bernardinus Gusmatius Joannis præceſſoris ex fratre nepos, Canon. S. Marci. Obiit 1566. Vixit in Plebanatu annos quinquaginta. Ex Arch. Eccl.
1566. Sebaſtianus Blancus Frater Franciſci Blanci Pleb. S. Fantini. Obiit 1576. 3. Feb. Ex eodem.
1576. Franciſcus Lupato. Obiit 1584. 22. Febr. Ex eod.
1584. Franciſcus de Graſſis Canon. S. Marci. Obiit 27. Febr. 1614. Ex eodem.

1618. Paſcalinus Maſerettus Capellanus Ducalis, inde Canon. Ducalis. Obiit 1644. 21. Feb. Fx eodem.

1644. Aloyſius Zane J. U. D. Procurator Fiſcalis Curiæ Patriarchalis. Obiit 1666. 14. Martii. Ex eodem.

1666. Rogerius Sereno Canon. S. Marci. Obiit 22. Martii 1714. Ex eodem.

1714. Joannes Ghirardi J. U. D. Canon. S. Marci. Obiit 2. Martii 1740.

1740. Antonius Palui. Obiit 5. Octobris 1748.

1748. 7. Octobris. Jacobus Faggionius.

DE

DE
ECCLESIA PAROCHIALI
S. JOANNIS CHRYSOSTOMI.

DIVI Joannis Chryſoſtomi Templum in media Parœcia ſitum eſt, quæ perfectam Inſulam efformans aquis ex omni parte alluitur, & ad eam per geminos pontes aditus aperitur. Vetuſtiore ævo S. Ceciliæ fuiſſe dicatum aſſerit Paulinus Fiamma ex Ordine Cruciferorum Sacerdos in ſua de Monaſterio S. Laurentii Hiſtoria; verum cum nulli documento innitatur, neque ulla vigeat de ejusmodi titulo traditio, ex æquivoco aliquo hoc autumaſſe dicendum eſt.

Ædificata traditur Eccleſia a Nobili Familia Cattanea, anno ſalutis humanæ 1080. quæ quidem familia tertio ab ejus conſtructione anno per Fundatoris obitum, qui ſolus ex ipſa ſupererat, extincta eſt. Et in eo quidem ſitu fundata fuit, in quo nunc ad faciem Eccleſiæ proſtant via, & adverſæ domus, quæ utpote extructæ ſupra veteris Templi ruinas, funebri pompa in die commemorationis Defunctorum a Clero Eccleſiæ quotannis viſitantur, ut Chriſtifidelium in eo ſolo quieſcentium animabus æterna pax imploretur.

Quatuor ab ejus fundatione elapſis ſæculis anno N. D. 1475.

incendio conſumpta eſt, cæpitque Ludovici Talenti ejus Plebani cura nobiliori molitione reſtitui in appoſita area non longe a diruti Templi ruinis, in cujus poſtea ſolo, ut ſupra retulimus, publica via domus & officinæ conſtructæ fuerunt. Opus aliquot annorum ſpatio perfectum eſt ex Tullii Lombardi archetypo, cujus etiam eximii viri manu exſculpta eſt marmorea tabula Salvatorem inter Apoſtolos medium exhibens, quæ in Sacello a titulo Duodecim Apoſtolorum nuncupato ad eorum altare viſitur. Aræ majoris tabula Titularem S. Præſulem repræſentans a Georgione de Caſtro franco incepta egregie per Fr. Sebaſtianum a Plumbo perfecta eſt, inque Sacello aræ Apoſtolorum adverſo D. Hieronymi Iconem laudatiſſime pinxit Jo: Bellinus; at vero in altari ad extremam Eccleſiæ partem ſito colitur vetuſtiſſima D. Antonii Patavini effigies, omnium, ut perhibetur, imaginum S. Thaumaturgo ſimillima.

Plebano ut moris eſt Præſide geminatæ Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi dignitates Collegium Sacerdotale conſtituunt, a quibus Eccleſiæ reditus, & officia adminiſtrantur.

Plures eæque inſignes Reliquiæ ex Oriente potiori ex parte deductæ Sanctuarium exornant, quarum præcipuæ brevi catalogo ſunt recenſendæ.

Os Brachii S. Jo: Chryſoſtomi argenteo brachio Græcanici operis incluſum.

Os integrum Brachii S. Annæ Deiparæ Genitricis, quod nobiliori argentea theca incluſum ingenti totius Urbis concurſu in ipſius Divæ feſto oſtenditur, & colitur.

Tres Articuli ex digitis S. Andreæ Apoſt.

Os S. Stephani Confeſſ.

De Coſta S. Jo: Baptiſtæ Præcurſoris.

Os S. Eliſabeth ejuſdem Præcurſoris Genitricis.

Os S. Blaſii Epiſc. M. & de Oſſibus S. Hilarionis Abbat.

Ex Lipſanis SS. trium Regum Magorum particulæ aliquæ.

Maxilla S. Afræ M. incertum vero an Auguſtanæ ſit, vel Brixienſis.

Digitus manus S. Onuphrii Eremitæ delatus ex partibus Alexandriæ Venetias circa annum 1500. per Aloyſium Fa-

Fabrum Sacerdotem titulatum Eccleſiæ S. Caſſiani, quem digitum (utpote ex Patriarchali rigidiori Proceſſu compertum eſt) ipſe dum "eſſet in Alexandria „ Capellanus Conſulis Venetorum habuit a quodam „ Chalojero Abbate Monaſterii Montis Sancti in itinere eundo Chajerum, in quo Monaſterio requieſcit corpus dicti Glorioſi Sancti, & ipſe digitus tantum deficit de toto corpore dicti Sancti". Defuncto autem Aloyſio devenit veneranda Reliquia ad manus cujusdam Lauræ Petri Baſilii uxoris, & ipſius Presbyteri Conſobrinæ, quæ a Patriarcha Antonio Contareno admonita, ne talem theſaurum apud ſe inhonoratum retineret, ipſum digitum in Præſulis manus reſignavit, a quo Parochiali huic Eccleſiæ addictum eſt die 24. Maii anni 1516.

Dies in qua Templum conſecratum fuit ex pario marmore addiſcitur, cui inſculpta eſt hæc Epigraphes: *Dies Conſecrationis hujus Eccleſiæ fit die* XIII. *Februarii*. Attamen quo anno, & a quo antiſtite conſecrata fuerit, incompertum.

In hujus Eccleſiæ confinio obiit, (ut traditio fert) Marcus Polo Venetus, qui longinquos populos, ignotasque nationes incredibili labore magnaque animi conſtantia perluſtrans itinerum varietate clariſſimus evaſit, cujus ædes ex vetuſtate ruentes in ampliſſimum Theatrum, qui a propinqua Eccleſia S. Joannis Chryſoſtomi nuncupatur, commutatæ ſunt.

Series Plebanorum Eccleſiæ Sancti Joannis Chryſoſtomi.

1189. Blaſius Notarius. Ex Iſtrumento ab ipſo confecto in Archivo S. Mariæ & S. Donati de Muriano.

1205. Leonardus Balbi unus ex XII. Sacerdotibus deputatis ad eligendum Patriarcham Conſtantinopolitanum. Ex Hiſt. Andreæ Mauroceni l. 3. pag. 228.

1284. Alero ſeu Aleronus de Ricardis. Eligitur anno 1284. ab una parte Capituli Clugienſis Epiſcopus Clugiæ, ſed cum ab altera parte Capituli adlectus fuiſſet Ubertus Abbas Sancti Benedicti de Brundulo, ceſſit electioni;

ni; indeque a Nicolao IV. Pont. Max. an. 1291. evocatur ad inſulas Torcellanas.

1305. Marcus Cancellarius Venetiar. Archipresb., & Vicarius Caſtellanus. Ex ejusdem teſtamento rogato per Petrum Presbyterum SS. Apoſtolorum, & Not.

1310. Marcus Quirinus Canon. Caſtellanus. Cum adhæſiſſet Bajamonti Theupolo mulctatur exilio. Ex Chronica Marci Barbari ms.

1331. Marcus Blanco Notarius; teſtis in compoſitione litium inter Primicerium S. Marci, & Plebanum S. Geminiani. Ex Cataſtico Eccl. S. Geminiani.

1348. Marcus Bulegela. Ex rogitis Luciani Zeno Plebani S. Cantiani.

1354. Joannes del Porto Not. ex Presb. S. Fuſcæ Plebanus S. Joannis Chryſoſtomi. Ex rog. ejusdem.

1371. Lucas Novello Notarius ex Presbytero Sanctæ Mariæ Novæ Plebanus S. Joannis Chryſoſtomi, & Capellanus S. Marci. Ex rog. ejusdem.

1379. Ludovicus ſeu Aloyſius. Ex rog. Joannis Campion Presbyteri S. Cantiani, & Not.

1395. Jacobus Ciera Notarius, & Aulæ Inclyti Ducis Venetiarum Cancellarius, & Ducalis Canon. Promovetur ad Eccleſiam Coronenſem. De ejus teſtamento, in quo bona ſua reliquit Eccleſiæ Coronenſi pro reparatione ejusdem, & pro redemptione Captivorum, extat Pontificium Gregorii XIII. Diploma datum die 28. Maii anni 1583. (A) Sepultus eſt in Clauſtro SS. Joannis & Pauli.

1408. Michael de Gorgoſantis Not. Ex rog. ejusdem.

1411. Marcus Tagiapiera Not. Judex ſuper Decimis exigendis. Ex rog. ejusdem. Delegatus Apoſtolicus ab Eugenio IV. pro recuperandis bonis Eccleſiæ Corphienſis. 29. Aprilis. 1431. Vide in Pleb. S. Panthaleonis.

1440. Jacobus de Vanis de Macerata. Ex rog. Joſeph de Moyſis ejus ſucceſſoris & Not.

1458. Joſeph de Moyſis Not. Judex delegatus a Sixto IV. in cauſa ſpectante Eccleſiam S. Leonis, Archipresb. Congregationis S. Mariæ Formoſæ. Ex rogitis ejusdem.

1480. Ludovicus Talenti Zachariæ filius, Notarius Canonicus

Duca-

Ducalis, & Archipresbyter Congregationis S. Cantiani. Ex rog. ejusdem.

1516. Dominicus Bartholamæi. Ex Arch. Eccl.

1523. Vincentius Bartholamæi Canonicus Caſtellanus & Archipresbyter Congregationis S. Cantiani. Obiit 1558. M.V. 7. Febr. morte ſubitanea. Ex codice Blancherii ms.

1558. M. V. 10. Febr. Philippus ......, electus Pleban. Nondum adita poſſeſſione poſt menſes duos & dies 19. obiit 29. Apr. 1559.

1559. 10. Maii. Joſeph Turrianus titulatus Eccleſiæ S. Pauli, & Canon. Ducalis poſt electionem ad Plebanatum iterum electus eſt Canon. Ducalis. Obiit 1568. 10. Martii. Ex codice Blancherii ms.

1568. Jacobus Stephani. Ex codice Blancherii ms.

1577. Jacobus a Valle J. U. D. Canon. S. Marci, & Archip. Congreg. S. Cantiani. Ex Venetia Sanſovini. Obiit Kalendis Julii 1617.

1617. Nicolaus Taſſo J. U. D. Nepos Jacobi a Valle. Electus eſt Canon. Ducalis. Obiit 1630. Ex Arch. Eccl.

1630. Joannes Maria Spadonus Canon. Ducalis, & Archipresb. Congreg. S. Lucæ. Obiit 1653. 29. Maii.

1653. 13. Junii. Bartholamæus Brighenti Canon. Patriarchalis. Obiit 1664. 4. Junii. Ex Arch. Eccl.

1664. 13. Junii. Nicolaus Taliapetra. Obiit 1678. 2. Decembris. Ex eodem.

1678. 5. Decemb. Joannes Baptiſta Bortoletti Canon. Caſtellanus. Obiit 1701. 4. Martii. Ex eodem Arch.

1701. 7. Mart. Florenus de Florenis Canon. Caſtellanus. Obiit 30. Apr. 1736. Ex Arch. Eccl.

1736. 2. Maii. Joſeph de Julianis Doctor. Obiit 1749.

1749. Joannes Paſquali.

Gre-

Gregorius XIII. facultatem concedit, ut nonnulla Bona a Jacobo Ciera Epiſcopo Coronenſi (a) legata ad pias cauſas deveniant ad inſtitutionem Seminarii Veneti.

A.

1583. 14. Junii.

Ex Cataſtico Seminarii Patriarchalis Venetiarum.

GREGORIUS PAPA XIII.

VEnerabilis Frater, & Dilecte Fili ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem: Olim, ſicut accepimus, poſtquam bonæ memoriæ Jacobus Ciera, dum viveret Epiſcopus Coronenſis de bonis ſibi a Deo conlatis, ſuum de Sedis Apoſtolicæ licentia condens teſtamentum, poſt certa per ipſum ſcripta legata reliqua omnia ipſius bona mobilia, & immobilia, vendi, & omnes pecunias ſuper impræſtitis Civitatis Venetiarum, poni eorumque redditus, & proventus in tres partes, unam ſcilicet in reparationem Eccleſiæ Coronenſis, aliam in celebrationem, & augmentum Divini Cultus, tertiam in redemptionem villicorum ipſius Eccleſiæ captivorum diſtribui mandaverat; Deputatis per eum ſuperinde ipſius teſtamenti exequtoribus q. Bernardo Ciera ipſius Teſtatoris nepote, & ipſius Bernardi Succeſſoribus, de Familia Ciera, prout in ipſo Teſtamento plenius dicitur contineri; Cum civitas, & Eccleſia Coronenſis ad manus Infidelium deveniſſent, & tunc exiſtens Epiſcopus, & Canonici Coronenſes ad Civitatem Venetiarum aufugiſſent. Tunc Sedis Apoſtolicæ in Dominio Venetorum Nuncius, cum poteſtate legati de latere unam de tribus partibus dictorum fructuum, reddituum & proventuum bonorum hujusmodi pro Divino cultu dimiſſa Canonicis, & aliis de Capitulo dictæ Eccleſiæ, inter eos, juxta eorum ſtatum & Epiſcopi Coronenſis conſcientiam diſtribuendam. Reliquas vero duas partes, quæ juxta teſtatoris voluntatem pro redimendis ruſticis captivis, & Fabrica ipſius Eccleſiæ erogare debuerant, tunc Epiſcopo Coronenſi, donec Eccleſia, & Civitas Coronenſis ad manus Chriſtianorum redirent; auctoritate ſuæ legationis concedi, & aſſignari mandavit & inde fel. recor. Alexander Papa VI. & Julius II. Prædeceſſores Noſtri, mandatum ipſius Nuncii confirmantes, Alexander ad decennium, & Julius Prædeceſſores hujusmodi Nuncii litteras, ad aliud decennium, per eorum litteras obſervari mandarunt. Ac poſtmodum piæ mem. Leo X. etiam prædeceſſor noſter ipſorum prædeceſſorum noſtrorum litteras non ſolum dicto tunc exiſtenti Epiſcopo, ſed ejus ſucceſſoribus productis decenniis ſuffragari, ac poſtremo rec. mem. Clemens VII. ſimiliter Prædeceſſor noſter, tres partes prædictas per dictum Nuncium conceſſas & aſſignatas, eidem modo, & forma, pro ut per ipſum Nuncium conceſſæ, & aſſignatæ fuerunt, dictis tunc exiſtentibus Epiſcopo, & Canonicis, ac eorum ſucceſſoribus ad quinquennium ex tunc computandum per ejus litteras conceſſit, & aſſignavit, prout in ſingulis litteris prædictis plenius continetur. Ac poſtremò nos, per alias noſtras in forma Brevis confectas litteras ſub Dat. ult. Septembris proximi præteriti Venerabili

(a) Corone Italice Coron Urbs eſt in Regno Peloponeſi, cujus Epiſcopus ſuffraganeus erat Archiepiſcopi Patracenſis.

bili Fratri Epiſcopo Bosnenſi in Argentina omnes, & ſingulos fructus, redditus, & proventus dictæ Eccleſiæ Coronenſis, cujuscumque fuiſſent qualitatis, & quantitatis ex tunc decurrendo donec prædictæ Eccleſiæ proviſum fuiſſet: & eos, qui antea inexacti remanſerant, etiamſi fructus hujusmodi ad nos, & noſtram Cameram Apoſtolicam ſive ſucceſſoribus ipſius Epiſcopi ſpectarent, vel illi Ven. Fratri Ambroſio Archiepiſcopo Antibarenſi (*b*) aut aliis perſonis per alias noſtras litteras donaviſſemus; Apoſtolica auctoritate & liberaliter conceſſimus & donavimus, prout in ipſis litteris continetur. Quocirca Nos omnem ſuper præmiſſis, litium & contraverſiarum occaſionem, inter dilectos filios exequtores dicti Teſtamenti, & predictum Epiſcopum Bosnenſem tollere, ac pias teſtamentorum voluntates, ſi non eo modo, prout ipſi voluerunt, cum id fieri non poſſit, ſaltem aliquo modo meliori, nobis viſo, modo exequi facere volentes.

Motu proprio, non ad ipſorum Exequtorum, vel alicujus eorum pro eis, nobis oblatæ petitionis inſtantiam, intuitu tamen & contemplatione Dilectorum filiorum Nobilium Ducis, & Reipublicæ Venetæ vobis per preſentes committimus, & mandamus. Quatenus dicti Teſtamenti de dicta Familia exequtoribus & eorum ſucceſſoribus, donec, & quouſque dicta Civitas Coronenſis a dictis infidelibus detenta, & occupata fuerit dictos omnes, & ſingulos fructus, redditus, & proventus in dictos tres uſus, ut prefertur, juxta dicti Teſtatoris voluntatem convertendos ſingulis annis exigendi; & illorum medietatem dicto Epiſcopo Bosnenſi, ſua vita durante duntaxat, quolibet Anno tradendi, & aſſignandi, & aliam hujusmodi fructuum, reddituum, & proventuum medietatem, æquis portionibus, inter Seminarium in Parochialibus Eccleſiis Civitatis Venetiarum inſtitutum, & puellas de dicta familia, quæ ad præſens, ut accepimus, duodecim exiſtunt, maritandas, vel in aliquo Monaſterio, ut ibi Religioſæ efficiantur, conlocandas, quolibet Anno dividendi, ac tradendi, & aſſignandi, ita ut in fine cujuslibet Anni vobis de per eos exactis, & ut præfertur geſtis, computum, & rationem reddere teneantur, licentiam auctoritate noſtra concedatis, prout nos harum ſerie concedimus, ac plenam, & liberam, dictos omnes fructus, redditus, & proventus exigendi, & ut præfertur, convertendi licentiam & facultatem impartimur dicti Teſtatoris voluntatem in, & quoad hoc commutando: & nihilominus hujusmodi fructus, redditus, & proventus debentes, & detinentes, ut illos ad dictum effectum, dictis exequtoribus, cum effectu tradant, & aſſignent, ac quoscumque contradictores, ac rebelles, & præmiſſis non parentes, eisque auxilium, conſilium, vel favorem præſtantes per pœnas etiam pecuniarias, veſtro arbitrio moderandas, & ampliandas, ac denique per ſentencias, Cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc ſi opus fuerit auxilio brachii ſæcularis, appellatione remota, cogendi, compellendi, ac aliis in præmiſſis, & circa ea neceſſaria & opportuna faciendi & exequendi plenam & liberam etiam harum ſerie facultatem, & auctoritatem concedimus, non obſtantibus præmiſſis, ac quibusvis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis dictis, & pro tempore exiſtentibus, nec non privilegiis, Indultis, & litteris Apoſtolicis, Epiſcopo, & Canonicis Coronenſibus, ac quibusvis aliis perſonis per ſupradictos & alios quoscumque Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros, ac Nos, & Sanctam Sedem Apoſtolicam, ac ſupradictis noſtris litteris in favorem Epiſcopi Bos-

(*b*) Antibarum olim Dioclea (Antivari) Urbs eſt Sclavoniæ in Illirico.

nenſis nuper, ut præfertur, emanatis, & quibusvis aliis contra præmiſſa quomodolibet conceſſis, confirmatis, & etiam iteratis vicibus innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi de illis eorumque totis tenoribus ſpecialiter ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda foret tenore hujusmodi, ac ſi de verbo ad verbum inſeriatur preſentibus, proplene & ſufficienter expreſſis habentes hac vice, & ad effectum preſentium duntaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, contrariis quibuscumque aut ſi ſupradictis vel quibusvis aliis comuniter, vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum; quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam ac de verbo ad verbum de Indulto hujusmodi mentionem.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub anulo Piſcatoris. Die 28. Maii MDLXXXIII. Pontificatus Noſtri Anno Duodecimo.

Cæſar Gloſierius.

DE

DE
MONASTERIO
ET ECCLESIA PAROCHIALI
S. SALVATORIS.

PRIMÆVA hujus Eccleſiæ fundatio ex concordi Scriptorum ſententia Divo Magno primum Opitergino & poſtea Heracleenſi Epiſcopo tribuitur. Scilicet Rothario Rege Longobardorum Opitergium obſidente S. Præſul ad intimos Maris Adriatici ſinus ſe recepit, anno reparationis humanæ circiter 638. Hinc erraſſe Mozzagrugnium, & Signium manifeſtum eſt, qui Attilæ irruptionem, quæ ſæculis ferme duobus Opitergii excidium præceſſit, Divi Magni temporibus aſſignantes, tutiora loca perquirentem Beatum virum Venetias adventaſſe, aſſerunt circa medium ſæculi quinti.

Rerum Venetarum Scriptores, ac in primis Dandulus in Chronico, Opiterginos Magno Epiſcopo hortante Heracleam ædificaſſe narrant anno 638. Hæc ſcilicet ille: *Tunc Magnus Vir Sanctus, & loci Catholicus Epiſcopus cum devota plebe ad contigua littora perveniens, Civitatem conſtruxit, quam ſub Impera-*

peratoris nomine Heracliam vocavit, & Eccleſiam Cathedralem ſub nomine Beati Petri Apoſtoli Deo dicavit, & auctoritate Severini Papæ, & Primogenii Patriarchæ collaudationeque plebis, in eadem Urbe Sedem ſuam perpetuo collocavit. Rectene an ſecus hæc omnia aſſerantur nolo hic disquirere. Severinus certe juxta magis accuratam chronologiam duos menſes & dies quatuor in Pontificatu transegit Anno 640, quum Anno proxime ſuperiore adverſante Heraclio Imperatore ſuſpenſa adhuc ejus eſſet electio. Eccleſiam Aquilejenſem hoc tempore regebat *Primogenius Orthodoxius* in Inſula Grado Sedem habens.

Itaque Ven. Viro Magno Epiſcopo dum ipſe Venetias degeret, quo eum Divini Spiritus illuſtratio evocaverat, quadam die (ut traditur) ferventius oranti Salvator humani generis conſpiciendum ſe dedit: præcepitque, ut in ipſius Urbis medio, ubi purpuream nubem conſpexiſſet, ſibi Templum ædificari curaret. Ad exequendum Divinæ voluntatis mandatum ſolicita cura intentus, Familias Caroſiorum & Gattaloſorum in pium opus accendit: unde collatis opibus, nulla interiecta mora, Eccleſia conſtructa fuit, quæ etiam in Parochialem evaſit. Mirabile eſt, quod hac de Eccleſia, licet incondite more ſuo ſcripſit Anonymus ſæculi XIII. Scriptor. *Cavernarii* (fortaſſe iidem cum Caroſiis, vel Gattaloſis) *fecerunt Eccleſiam ad honorem Domini & Salvatoris: in gratis ferreis pavimentum fecerunt: ſuptus autem meatum aquæ rigantur, in ea forma ſicut in Hyeroſolimis ad Domini tumulum, ibique Eccleſia facta videtur.*

Parochorum nomina, qui Eccleſiam S. Salvatoris ad annum usque 1078. adminiſtrarunt, in oblivione deliteſcunt. Eo anno Plebanum fuiſſe Felicem Maurum, *tempore Henrici Contareni Epiſcopi Olivolenſis*, aſſerit Mozzagrugnius. Ad annum 1111. collocat *Urſum Stonarium*: atque ad annum 1117. *Joannem Michaelem*, quem & Archidiaconum Caſtellanum nominat: & hujus ſucceſſorem anno 1127. *Joannem Gradonico*.

Cui vita functo, Divinæ benignitatis diſpoſitione datus fuit ſucceſſor piiſſimus Sacerdos Bonfilius ex patritia Familia Juſta ſeu Zuſta. Vir erat eximiæ probitatis, & virtutum omnium ſplendore clariſſimus: quem fama eſt, virginitatem jejuniis, & pœnitentiæ aſperitate ad extremum usque ſpiritum illibatam ſervaſſe. Animarum regimine ſuſcepto, nihil de priſtina ſeverio-

ris

ris vitæ ratione remittens, regularem vitam in ſæculari ſtatu ducebat: cumque ad perfectiora interiori cordis inſtinctu traheretur, Henricum Dandulum Patriarcham Gradenſem, virum moribus commendatiſſimum conſuluit, apertoque intimi ſenſus arcano ſe Regularem Canonicorum vitam ducere velle indicavit.

Votis annuit pientiſſimus Præſul cujus nutu, & hortatu excitatus, roboratusque Bonfilius Eccleſiæ ſuæ Clerum in conſilii partem adduxit. Itaque die 3. Maii, Inventioni Dominicæ Crucis ſacra anno 1141. Canonicorum habitus ſub Divi Auguſtini regula ab eisdem adſumptus: quæ prima fuerunt ejus Inſtituti in Urbe Veneta exordia.

Inſtitutæ vitæ rationem, quæ absque Joannis Polani Epiſcopi Caſtellani aſſenſu ſumpta fuerat, comprobare renuens Præſul, Clerum ipſius Eccleſiæ a Divinis officiis Epiſcopali arcuit mandato.

Suorum deſtitutus opera, ſocietate & ſolatio Bonfilius, Patriarcham adivit validum ejus præſidium impetraturus. Optimi viri miſeratus ille anguſtias, cum aliter ei prodeſſe non poſſet (præſertim ob grave diſſidium, quod inter ſe, & Epiſcopum Caſtellanum, ejusque Patrem Petrum Ducem Venetiarum exortum fuerat, ea potiſſimum de cauſa, quod Patriarcha cum Familia Baduaria turbas contra electionem ejusdem Petri Ducis commoverant,) unum e propriis Presbyteris, qui Capellani munere fungebatur, Bonfilio comitem addidit, ut ipſi in Divinis officiis ſocius inſerviret. At hic conviciis, & minis æmulorum perterritus tum officium, tum Sancti Viri familiaritatem deſerere coactus eſt. In ejus locum Dominico Bonato Canonico S. Mariæ de Avelana procurante ſocius alter ſucceſſit vir probatæ integritatis & fidei.

Innocentio II. rei ſeriem expoſuit Patriarcha Dandulus qui ad Apoſtolorum limina aliis etiam de cauſis ſe contulerat: collaudatumque Bonfilium Romano Pontifici plurimum commendavit. Favit Pontifex, novumque Monaſterium, ejusque perſonas ſub S. Petri protectione ſuſcipiens nuperam Venetam Congregationem approbare dignatus eſt litteris datis *Laterani anno Incarnationis Dominicæ* 1140. *die* 13. *Maii*, *Pontificatus* vero ſui anno XII. (*a*) Majorem etiam paterni affectus caritatem

(a) Joſeph Mozzagrugnius in libro cui titulus Narratio rerum geſtarum Canonicorum Regularium hoc Innocentii II. diploma affert l. 7. p. 6.

tem ut oſtenderet ad viri Dei ſolatium duos ex Lateranenſi Baſilica Canonicos ad eum miſit, Petrum videlicet, & Catonem: quorum auxilio; remiſſa invidorum perſecutione, numerus Deo ſervientium cœpit augeri.

Defuncto Innocentio, & paucorum menſium intervallo ex hac vita Cœleſtino II. & Lucio II. ſublatis, ad Apoſtolicam Sedem evectus eſt Eugenius III. ex Ciſtercienſi Familia, qui Bonfilium erectamque ab eo Congregationem ipſiusque bona novo ampliſſimo privilegio anno 1148. communivit (*a*). At cauſam Religionis cum provide prudenterque promoveret, plurimorum inſectationes, atque odia ſubire ac pati debuit.

Poſt hæc, ſi Mozzagrugnio credimus, gravi repente febri oppreſſus eſt Bonfilius: cumque per aliquot dies ægrotaſſet, ad extremum ſpiritum redactus, Eccleſiaſticis Sacramentis de more ſuſceptis, in extremo agone poſitus pro perſecutoribus Dominum exoravit: indeque elatis in Cœlum oculis, dum hæc verba proferret: *In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum*, animam Creatori ſuo reddidit. Mortem ejus univerſi Cives ne dum Religioſi domeſtici, uberrimis lacrymis proſequuti ſunt.

Diverſimode Bonfilii obitum narrat Signius lib. 2. cap. 9. de ordine & ſtatu Canonico; Virum Dei pro benefactis immolatum refert in Inſula Veglæ, ubi perſecutorum rabiem declinans ſe abdiderat: quo ex loco deinde corpus ejus Venetias translatum, in Eccleſia, quam ut Plebanus primum, deinde ut Prior ſanctiſſime adminiſtraverat, tumulatum eſt. Accurati auctoris locum integrum afferre liceat: " Tamen vero, ſuadente Diabolo, æmuli, & perſecutores, nec ad ſanctam viri Dei vitam, nec ad Privilegia Pontificum reſpicientes, invidia & furore compulſi manus injecerunt in ipſum, & veſte ejus conciſa, ab ipſis evaſit, & in Clauſtrum fugit; quem eo uſque inſequentes, Clauſtrum profecto violaſſent, niſi Dominus corda propinquorum Sancti concitaſſet (erat enim de nobili genere ortus, videlicet de domo Juſtorum, qui antiquitus erant valde nobiles) ſed eorum animos comprimens vir ſanctus, dedit ſe ipſum exulem in Inſulam Veglæ, & intrans in navem, aſſociatus a propinquis uſque ad litus abiit atque in ipſa Inſula ſeptem menſibus ſtetit, ad quem multi confluentes, ſalutaribus ejus monitis, peccata ſua con-

" fite-

(*a*) Diploma refertur a Mozzagrugnio lib. 7. pag. 7. tergo.

„ fitebantur. Quo audito a perſecutoribus, furore accenſi, & „ veſte, & carne ipſius conciſa interfecerunt. Obdormivit au„ tem Bonfilius in Domino inter verba illa B. Stephani Pro„ thomart. Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum, quia neſciunt „ quid faciunt, 8. Kal. Maii octavi exilii ſui menſis. Teſtati „ ſunt Accolæ illius, quod nocte ipſa viderunt ſuper tumulum „ ejus lumen accenſum, quod poſtea viſum eſt pluribus etiam „ diverſis vicibus: ſed ultio divina vindictam non diſtulit, „ nam non multo poſt auctor injuriarum gravi percuſſus fuit „ morbo Epilepſiæ, frequenterque illo anno cecidit, & eliſus „ ſpumas ore torquebat, & apud Dirachium taliter infirmatus „ in anniverſaria hominis Dei cum morbus invaleſceret, ro„ gabat pœnitentiam ſuper his, quæ in Servum Dei geſſerat, „ & aliis exceſſibus, & in pœnitentia mortuus eſt in manus „ Sacerdotis. Factum eſt paulo poſt, ut præfatus Patriarcha a „ Romano Pontifice miſſus perageret partes Dalmatiæ, veniſ„ ſetque ad Inſulam Veglæ, ubi Corpus Viri Sancti ſepultum „ fuerat, & cum ibi, quæ Romanus Pontifex injunxerat pere„ giſſet, aſſumpſit Sanctum Corpus, & ſecum Venetias detu„ lit, ubi a Priore & Canonicis in arca marmorea poſt Alta„ re, ſecundum Altaris menſuram honorifice conditum eſt. Obiit „ autem Vir Dei plenus ſanctitate, & miraculis clarus anno „ Domini milleſimo centeſimo quinquageſimo primo die XXIV. „ Aprilis.

Signio hæc enarranti apprime conſonant vetuſta nonnulla Chronica, quæ Beatum Virum mortem obiiſſe teſtantur in Inſula Veglæ gladiis impiorum pro juſtitia interfectum.

In Venerabilis viri locum ſuffectus eſt Prior Gerardus. Pro meliori inſtitutæ Canonicæ ſtatu ab Eugenio III. Romano Pontifice anno milleſimo centeſimo quinquageſimo tertio die XIX. Martii litteras obtinuit Petro Polano Epiſcopo Caſtellano datas pro decimarum aſſignatione tum pro alendis fratribus, cum pro fartis tectis Eccleſiæ reparandis (*a*). Pontificiæ authoritatis decretum executioni mandavit inſequenti menſe Aprilis præfatus Joannes Polanus, Epiſcopus Caſtellanus, datis litteris per manus Nicolai Diaconi, & Caſtellanæ Eccleſiæ Primicerii, *anno ab Incarnatione Domini* 1153. *menſis Aprilis Indictione I. in Rivoalto*, quas recenſet Ughellus (*b*).

Inno-

(*a*) Mozzagrug. lib. 7. pag. 8. (*b*) Idem ibidem lib. 7. pag. 8. tergo.

Innocentii II. privilegium, quo naſcentem Congregationem ſub Apoſtolicæ Sedis protectione receperat, approbavit anno 1154. & novo robore confirmavit, inſtante ipſo ſupralaudato Gerardo Priore (*a*) Anaſtaſius IV. Quo vita functo, cum ad Pontificiam Sedem evectus fuiſſet Adrianus, ejus nominis IV. idem ſæpelaudatus Prior de bono ſuæ Congregationis ſollicitus cum Romam veniſſet, ab ipſo Pontifice Bullam impetravit datam Laterani (*b*) IV. nonas Martii, qua ipſum Parochianis Eccleſiæ S. Salvatoris commendans, ipſis etiam per Apoſtolica ſcripta præcipit, ne decimas eidem Eccleſiæ debitas perſolvere recuſent. His peractis Venerabilis Prior anno 1156. menſe Decemb. obdormivit in Domino, cum S. Salvatoris Eccleſiam per ſex annos vigilantiſſime adminiſtraſſet.

Electus fuit ipſius loco Guido Marango, qui in Romana Curia degens ab Alexandro III. tunc Romano Pontifice Beneventi degente aliud Diploma accepit, quo collaudata Parochianorum S. Salvatoris pietate ob Decimas rite ſolutas, eosdem ad obedientiæ perſeverantiam hortatur (*c*).

Per annos quatuor, & novem menſes Prioratum ſuſtinuerat Guido, cum ad Epiſcopalem Civitatis Novæ in Iſtria Sedem evectus eſt. Succeſſit illi in Prioris munus Vivianus Floravante de confinio S. Agnetis, vir in Sacra Theologia, & jure Canonico apprime peritus, qui anteceſſorum ſuorum æmulatus diligentias, ab ipſo Alexandro III. binas accepit confirmationis tabulas. Data prima eſt Laterani Pontificatus ipſius anno octavo, qui eſt æræ communis milleſimus centeſimus ſexageſimus ſextus. (*d*) Altera Beneventi anno regni ejus decimo, qui incidit in annum milleſimum centeſimum ſexageſimum octavum. (*e*) Uſum etiam Mitræ, & Baculi Paſtoralis ipſe Pontifex Alexander III. Viviano ejusque ſucceſſoribus de liberalitate Apoſtolica impertitus eſt, ampliſſimis verbis devotionis ejus, & fidei conſtantiam collaudans, quam erga Sacroſanctam Eccleſiam, & ipſius Pontificis perſonam tunc temporis nefando ſchiſmate dire vexatam exhibuit; aliaque ipſius merita recenſens, quæ in ipſo conceſſionis Diplomate fuſius continentur (*f*).

Anno

(a) Mozzagrug. lib. 7. pag. 8. tergo. (b) Idem ibid. l. 7. pag. 9. tergo.
(c) Idem ibid. (d) Idem ibid. lib. 7. pag. 10.
(e) Idem ibid. lib. 7. pag. 10. tergo. (f) Idem ibid. lib. 7. pag. 11.

Anno 1177. cum idem Pontifex Venetiis degeret, ubi Venetæ Reipublicæ merito pacem cum Federico Ænobarbo firmaverat, Altare Domini Salvatoris, Miſſæ ſacrificio ſuper illud celebrato, dedicavit: ipſamque Eccleſiam eodem anno die xxix. Auguſti ſolemni ritu conſecravit, quam & multis poſtea indulgentiis in ipſa Dedicationis die & in Dominicæ Transfigurationis Feſto locupletavit (A).

Ipſum etiam Vivianum Priorem anno Domini milleſimo centeſimo octuageſimo menſe Martii Eccleſiæ Equilinæ (vulgo di Jeſolo in æſtuariis Venetis) Epiſcopali præfectura decoravit. Prætermiſſus in Italiæ Sacræ Tom X. ubi Epiſcopatus antiquati recenſentur, apponendus erit inter Felicem & Matthæum in nova Ughelli editione.

Viviano ad infulas evecto ſucceſſit Martinus Venerio ſpectatæ virtutis vir, cui Lucius III. Pontifex Maximus privilegio conceſſo antiquas Innocentii II. & cæterorum Romanorum Pontificum largitiones anno ſui Pontificatus primo communivit (*a*). Memor vero Summus Pontifex ſe dum in minoribus ageret, in ipſa Eccleſia altare S. Thomæ Cantuarienſis Archiepiſcopi & Martyris conſecraſſe, in ipſius feſtivitate Eccleſiam S. Salvatoris adeuntibus de injuncta pœnitentia octo dies miſericorditer indulſit (*b*).

Monaſterio per annos duos cum dimidio optime adminiſtrato, Martinus ad meliorem vitam aſſumitur anno 1182. die duodecima Novemb. Canonicæ regimen ſuſcepit Gregorius Floravanti, ſupralaudati Viviani nepos, Juris Pontificii Doctor, qui Templum anguſtum, & incendio pene combuſtum, in ampliorem, ornatioremque formam a fundamentis ſollicita cura renovari curavit. Id validius, citiusque ut præſtaret, ex Gregorii VIII. ſibi conceſſa authoritate (*c*), œconomum ordinavit, qui Monaſterii, & Eccleſiæ negotia utiliter adminiſtraret.

Romanorum Pontificum, qui inſequuti ſunt Clementis III. & Innocentii III. confirmationem Apoſtolicæ protectionis, datis litteris, obtinuit. Anno reparationis humanæ 1197. die ſecunda Junii Indictione quintadecima, ut refert Ughellus Italiæ Sacræ Tom. V. col. 1249. Edit. Venet. " *Marcus* Nicolai " Epiſcopus Caſtellanus auctoritate ſua ordinaria inveſtivit Gre-

(*a*) Mozzagrug. lib. 7. pag. 11. tergo. (*b*) Idem ibid. lib. 7. pag. 12.
(*c*) Idem ibid. lib. 7. pag. 12. tergo.

„ gorium Priorem S. Salvatoris de Rivoalto de Eccleſia S. Bar-
„ tholamæi cum omnibus ſuis juribus, ac pertinentiis, ut nar-
„ rat Franciſcus de Gratia in Chronica Monaſterii S. *Salvato-*
„ *ris*: “ Hæc vero ut ageret Marcus, Romanorum Pontificum auctoritate opus ſuiſſe edocet Innocentii III. Epiſtola, quam S. Bartholamæi Eccleſiam illuſtrantes recenſuimus in Operis hujus Decade I. pag. 326.

Erecto Templo ac Turri campanaria perfecta, ipſaque Congregatione multis prædiis adaucta, benemeritus Prior ex hac luce migravit anno Domini 1209. menſe Decembris cujus corpus creditum fuit ſepulcro quod parieti Sacrarii affixum eſt inter duo Eccleſiæ & Cœmeterii oſtia.

Monaſterii regimini præficitur Joannes Maripetro. Anno ſequenti 1210. ad Epiſcopalem Caprularum Sedem evectus, ſucceſſorem in Prioratu habuit Paternianum a Puteo, Clericum Sæcularem, & Notarium. Eo Canonicam regente, Thomas Maurocenus Patritius Venetus ex ejusdem Eccleſiæ confinio, anno 1229. menſe Januarii ad alimoniam Canonicorum plurima bona ſua prope Juſtinopolim poſita, pleno jure conceſſit.

Acre interea diſſidium ob emortuales decimas inter hujuſce Parœciæ pauperes, & Epiſcopum Caſtellanum oboritur. Querebantur pauperes, Epiſcopum *velle quartam partem decimarum pertinentem ad ipſos ſibi non ſine grave eorum præjudicium uſurpare:* litteraſque Gregorii IX. *ad Vincentinum Epiſcopum ejusque conjudices ſuper hoc* adverſus Epiſcopum Caſtellanum impetrarunt. Cum autem *iidem judices biennio, & amplius jam elapſo in cauſa ipſa procedere non curaſſent in Epiſcopi non modicum præjudicium & gravamen*, ipſe de propria innocentia ſollicitus, Apoſtolicam Sedem exoravit, ut controverſiam citius dirimeret. Romanus Pontifex die 4. Aprilis anno 1232. Abbati Carrariæ, & duobus Patavinæ Eccleſiæ Canonicis per Apoſtolica ſcripta mandavit: judices Delegatos monere, *ut infra duos menſes poſt monitionem in cauſa eadem finaliter prævia ratione procederent juxta Apoſtolicarum continentiam litterarum; quod ſi adhuc extiterint negligentes ipſi ex tunc in ipſa ratione prævia procederent*. Apoſtolicum Gregorii Diploma ex Delegatorum Judicum mandato in ipſa S. Salvatoris Eccleſia, atque in adjacentibus clauſtro, & platea

publi-

publice lectum eſt, atque in vulgarem ſermonem verſum, ipſique pauperes admoniti, ut octavo a præſentatione litterarum die, ſe Judicum conſpectui Paduæ in majori Eccleſia per procuratorem ſiſterent, *reſponſalem idoneum experituri cum dicto Epiſcopo Caſtellano, ac reſponſuri eidem ſuper præmiſſis*, ſicut de jure fuerit faciendum (B). Quæ poſtea evenerint, & qualis fuerit Judicum Delegatorum ſententia, monumentorum defectu, ignoramus.

Anno 1245. die 8. Auguſti Innocentius IV. Eccleſiam S. Salvatoris in die Dominicæ Transfigurationis viſitantibus quadraginta dierum Indulgentias impertitus eſt, (C) quas Alexander hujus nominis IV. dato Viterbii diplomate ad centum dies adauxit anno 1257. die v. Junii (D).

Savinus de Auro, poſt Paternianum electus Prior, Divinæ largitatis munere, die 14. Junii 1257. venerandas Beati Martyris Theodori exuvias, (ut mox dicendum) in Eccleſiam S. Salvatoris reverenter excepit.

Ob hujus etiam Prioris vitam (ita nimis obſcure Mozzagrugnius lib. 7. pag. 10.) *D. Mauruſius de Vidoro ſedit, ut reperi, uſque ad 1262. Menſe Maii.*

Anno 1263. die 15. Novembris ſuffectus fuit in Prioratum quidam Canonicus, Benedictus nomine, qui anno 1290. argentea tabula auro ſplendida, & egregio opere elaborata, aram Majorem ornavit. Anno inſequenti 1291. die 1. Julii Congregatio Presbyterorum, quæ in ordine Cleri adnumeratur octava, per Simonem Maurum Epiſcopum Caſtellanum in hac Eccleſia erecta eſt, ejusque ex titulo nomen S. Salvatoris accepit.

Benedicto Priore e vivis ſublato, ejus nepos nomine pariter Benedictus, eligitur anno 1301. die 17. Aprilis, qui e ſæculo migravit die decima Martii anni 1309.

Eo defuncto, iisdem die, menſe, & anno, ut refert Mozzagrugnius, electus fuit *Frater Petrus Civrano*, qui *obiit anno 1316. menſe Novembris:* quo etiam menſe, & anno, ex eodem Mozzagrugnio, habemus electum fuiſſe Domnum Rolandum de Taurellis Patavinum. Hic ſenio confectus obiit Paduæ 1323. Indict. VI. die nona Julii. Duplicis electionis, quæ eadem die peracta fuit caliginem aliquo modo diſcutiunt autographa documenta, quæ e Tarviſini Archivi latebris ad lu-

cem adduxit Comes Victor de Scotis Nobilis ejuſdem Urbis Sacerdos, & in patriis antiquitatibus eruditiſſimus (E). Innoteſcit namque anno 1309. diviſis Canonicorum ſuffragiis, duos electos fuiſſe Priores S. Salvatoris Venetiarum: de cujus tituli jure cum invicem decertarent, nonnulli ex Civibus Tarviſinis arrepto dubiæ electionis prætextu, prædia Monaſterii in Agro Tarviſino poſita violenta manu turbarunt. Ea propter Dominium Venetum de religioſi loci indemnitate ſollicitum anno 1314. die xxv. Octobris per Henricum Delphinum & Nicolaum Gradonicum Reipublicæ Legatos Poteſtatem, & Commune Tarviſii inter cætera requiſivit, ut Veneti Monaſterii jura contra violentas hominum injurias tuerentur, nec *frivola privatæ quæſtionis exceptione* ſacro & innocuo loco injuſta damna inferri paterentur. Ad hæc Commune Tarviſii, cum prius pro definiendo *ſecundum juſtitiam & formam pactorum* negotio, omnem ſollicitudinem deſpondiſſet, Ducem & Commune Venetiarum rogavit, ut *quæſtio principalis Prioratus S. Salvatoris inter Priores litigantes ſummarie terminaretur*. Ducis, & Dominii Venetiarum parte repoſitum fuit: *quod ad hoc dabit operam, & dabit libenter ſecundum potentiam dationis, quia dicitur, & docetur, quod ipſa quæſtio in Curia Romana pendet, nec partes poſſunt ex ſua juriſdictione ad hoc compellere*. Quem vero finem Romano judicio quæſtio ſuſceperit, incompertum.

Per Petri obitum, qui, ut ſuperius dictum eſt, deceſſerat anno 1316. veroſimile eſt Rolandum in pacifica Prioratus poſſeſſione remanſiſſe. Ipſo enim Patavii anno 1323. die nona Julii defuncto, poſtridie ejus obitus electus fuit Petrus de Flabianis Monaſterii S. Salvatoris Canonicus. Poſt ejus mortem Bonaventurinus de Conſtambiis aſſumptus eſt anno 1329. menſe Maii, qui deceſſit anno 1337. die 16. Octobris; Nicolaus Bono Canonicus Sacriſta S. Salvatoris eiſdem menſe & anno evehitur ad Prioratum: quem per obitum reliquit xv. Kal. Januarii anno 1350.

Subrogatus eſt Jacobus de Inviciatis de Clugia Canonicus S. Salvatoris. Hic, ut Divi Jacobi Majoris ſepulcrum inviſeret, Compoſtellanam peregrinationem aggreſſus, Januæ in gravem morbum incidit: dumque male affecta valetudine pium iter magna animi conſtantia proſequeretur, apud Dragignanum Provinciæ

vinciæ oppidum evolavit in cœlum anno Domini 1359. die vigeſima Octobris, in Fratrum Prædicatorum Eccleſia honorifice tumulatus. Hoc Priore Eccleſiam adminiſtrante, ut refert Ughellus Tom. V. col. 1398. Petrochinus Caſaleſcus Ferrarienſis Monachus Cœnobii S. Bartholamæi Ord. S. Benedicti Abbas S. Cypriani de Muriano, & Archiepiſcopus Ravennas 1362. eo anno conſecravit majus altare Eccleſiæ S. Salvatoris de Rivoalto.

In ejus locum electus eſt Franciſcus de Gratia die 21. Novembris prædicti anni 1359. qui hujuſce Monaſterii Chronicon ad ſua tempora accurate contexuit; ex quo ſuperius allata, deducta ſunt.

Quandiu ejus Prioratus perduraverit, quive ei in Monaſterii regimine ſucceſſor fuerit, ex ſcriptorum inopia ignoratur. Ex monumentis Archivii Patriarchalis ad annum MCCCLXXXXVIII. die IX. Martii affertur *Joannes Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Prior Monaſterii S. Salvatoris de Venetiis Judex, & conſervator Privilegiorum Reverendiſſimo in Chriſto Patri & Domino D. Petro miſeratione Divina Patriarchæ Gradenſi indultorum per eandem Sedem Apoſtolicam ſpecialiter deputatus.* Sententia die & anno ſuperius enuntiatis lata, qua Plebanum S. Martini de Venetiis ad ſolvendum Patriarchæ Gradenſi cenſum teneri decrevit, ex integro ad Eccleſiam S. Martini exhibenda erit.

Circa finem XIV. ſæculi cum univerſalis Eccleſia diro ſchiſmate dilaceraretur, ex univerſali ſpiritualium rerum calamitate Monaſterium quoque S. Salvatoris, collapſa in eo regularis vitæ obſervantia, pene ad nihilum redactum eſt. Quam ob cauſam veroſimiliter accidit ut derelicta a propriis Canonicis Eccleſia, per Romanos Pontifices ad commendæ titulum deducta fuerit, extraneis viris ad eam regendam aſſumptis. Extat de hac re monumentum quod ex Archivo Ordinis S. Mariæ Servorum Venetiarum diligentia doctiſſimi viri Joſeph Mariæ Bergantini ejuſdem Ordinis meritiſſimi Provincialis eduxit mihique perhumaniter obtulit: quo edocemur, anno 1418. ad Prioratum S. Salvatoris ex P. C. ſuffragiis Balthaſſarem Landum S. Theologiæ Magiſtrum adlectum fuiſſe.

„ *Ex notatorio* XII. *Cancellariæ Ducalis anno* 1418.

„ Venerabilis Magiſter Balthaſſar Lando de Venetiis, Ma-
„ giſter in Sacra Pagina Ordinis Servorum, Homo quinquage-

„ na-

„ narius, qui placet Parochianis dictæ Eccleſiæ, qui alias poſt „ mortem alterius Prioris ſtatim ad dictum Prioratum debito „ modo fuit electus, & qui Magiſter voluit, quod ordines „ noſtri Dominii dictum Prioratum in Curia impetrarent.

An in hujus Eccleſiæ regimine diu perſtiterit incompertum. Anno enim ſequenti 1419. *die 27. Decembris Parochiani ipſius Contratæ aſſumpſerunt, & elegerunt in officium Plebanatus & per Plebanum ipſius Contratæ Presbyterum Mathеum de Cochis Capellanum ipſius Contratæ idoneum ad talia gerendum in tali cura*, ipſamque electionem in publicas tabulas per Natalem Columnam Eccleſiæ S. Leonis Plebanum, & publicum Venetiarum Notarium redigi curaverunt. (F)

Hujusmodi electio neſcio quo jure peracta, etſi ſuum ſortita fuerit effectum, quod ex nullo documento innoteſcit, brevi tamen perduravit; ſiquidem paulo poſt, Martinus de Bernardinis Sancti Panthaleonis Plebanus ad Prioratum Sancti Salvatoris aſſumitur, quem poſtea cum Juſtinopolitanæ Eccleſiæ Epiſcopatu Martino V. Romano Pontifice eligente commutavit. Ipſius Prioratus inopia ex oneribus innoteſcit, quibus ipſum gravatum teſtatur Martinus in ultimis Tabulis anno 1452. confectis: "Primo declaro prout notorium eſt „ quod antequam ad Prioratum S. Salvatoris de Venetiis pro„ motus eſſem, fueram Canonicus Terviſinus, & Cretenſ. Eccl. „ nec non Pleb. S. Pantaleonis de Venetiis, & moram trahe„ bam in Romana Curia, ubi primo a S. memoriæ D. Boni„ facio IX. uſque ad D. Eugenium IV. multa bona acquiſivi „ etiam per induſtriam, de quibus bonis uſque nunc habui, „ & habeo commoditatem; de Prioratu S. Salvatoris præter „ victum, & veſtem unam nihil habui, quoniam gravabatur „ de impoſitionibus de quinque millibus & quingentis libris &c.

Martino ad infulas Juſtinopolitanas evecto anno 1424. ut in Ughel. Tom. V. col. 390. Venet. Edit. videre eſt, Eccleſia S. Salvatoris tribus circiter annis Rectore viduata permanſit; donec Martinus V. anno 1427. ipſam, ejusque redditus commendatario titulo Gabrieli Condulmerio S. R. E. Cardinali Theſaurario Epiſcopo Senenſi conceſſit, qui tunc temporis Bononiæ legationis munere fungebatur. Hic de divino cultu reparando ſollicitus, in Eccleſiam ſibi commendatam Canonicos Regulares, quos Lateranenſes vocant, induxit, qui aliud quo-

que

que Cœnobium S. Mariæ de Charitate incolebant. Nimia ſæcularium virorum frequentia impediti quominus proprii inſtituti leges ſervare poſſent, in generalibus Comitiis Ravennæ, anno 1427. Dominica III. poſt Paſcha Dominicæ Reſurrectionis habitis egerunt, ut de eadem Eccleſia dimittenda in hunc modum decerneretur. "Item deliberatum eſt, quod Monaſte„rium S. Salvatoris de Venetiis omnino dimittatur: & quod „fiat reſponſio D. Cardinali Senenſi, ut provideat loco ſuo: „quoniam intentio totius Capituli Generalis eſt, ut nullo „modo teneatur. Et ita determinavit, cum hac tamen con„ditione, quod Fratres uſque ad tres menſes incluſive, & „non ultra ſerviant D. Cardinali habitando in Monaſterio, ita „quod nihil exigant ab eo pro expenſis, ſed quod vult fa„ciat ſecundum judicium ſuum, ſed tranſacto termino trium „menſium omnino, & ſine mora exeant, quod ut fiat, per„tinebit præcipue Rectori Generali.

Martino V. e vivis ſublato, Gabriel Cardinalis Condulmerius ad S. Petri Sedem aſſumpto Eugenii IV. nomine evectus fuit; qui inter ipſam negotiorum molem in eo potiſſimum fervidiorem curam adhibuit, ut collapſam Divini cultus Religionem pro ſumma qua erat pietate, in locis ſacris reſtitueret; Thomam Thomaſinum clariſſimum Ordinis Prædicatorum alumnum, tunc temporis Traguríenſem Epiſcopum, ipſius Monaſterii S. Salvatoris in ſpiritualibus, & temporalibus adminiſtratorem, ut pro ipſius reformatione ſollicite laboraret, inſtituit: cumque unus tantummodo Canonicus Regularis jam ſenio confectus (reliquis hinc inde minus religioſe diſperſis) in ipſo Cœnobio degeret, Thomæ per Apoſtolica ſcripta mandatum eſt, anno 1434. die 11. Januarii (G) ut *de religioſis viris non tamen Mendicantibus ſub Auguſtini regula viventibus uſque ad numerum vigintiquinque* in Canonicos *& Fratres ipſius Monaſterii reciperet*, hoc etiam ad rei facilitatem adjecto, *ut perſonæ prædictæ de Monaſteriis ſive locis in quibus profeſſionem regularem emiſerunt ad S. Salvatoris etiam ſuorum Superiorum licentia minime petita vel obtenta tranſire, & in eo ſub illius habitu regulari perpetuo remanere valerent*. Ut autem Eccleſiæ decus ſpiritualibus augeretur largitionibus, alio ejuſdem anni diplomate dato Florentiæ Idibus Septembris ipſe Pontifex viſitantibus ipſam Eccleſiam die *6.* Augu-

Auguſti in feſto Transfigurationis Dominicæ atque die nona Novembris in ſolemnitate S. Theodori Martyris ſeptem annos totidemque quadragenas de injunctis pœnitentiis miſericorditer relaxavit (H). Cum vero ex vetuſtate nonnulla ipſius Monaſterii ædificia vergerent jam ad ruinas, ſupralaudatus Eugenius novo ejusdem anni 1334. Diplomate dato Florentiæ XVI. Kal. Octobris (I) Epiſcopo adminiſtratori indulſit, ut aliqua ipſius Cœnobii prædia in agro Tarviſino exiſtentia congruo pretio venderentur, & ex eis redacta pecunia in ædium reparationem atque in utiliora bona converteretur. Res eſt ad Pontificiam mentem executioni mandata. Hinc ad Rechanatenſes, & Maceratenſes infulas tametſi Thomas evectus fuiſſet, per Apoſtolicum Eugenii Decretum (L) perpetuus ipſius Monaſterii adminiſtrator, & gubernator confirmatus eſt, *ut ipſe Prioratus, fructuoſis ejusdem Epiſcopi ſtudiis, & laboribus votiva ſuſciperet in ſpiritualibus incrementa*. Pro futura deinde Prioris Electione certas ſervari leges præcepit Eugenius: cumque ad Thomæ arbitrium, & ejusdem Prioris electionem, & legum ſtatuta, ſeu reformationes ex integro demandaſſet; inſuper adjecit, ut ab ipſius Epiſcopi quandocunque contigerit obitu Canonici in poſterum ſibimet Priorem rite eligerent, cujus adminiſtrationis munus unico tantum anno perdurare poſſe decrevit. Ut vero clariora dilectionis ſuæ argumenta præberet, Priorem pro tempore exiſtentem eccleſiaſticis decoravit honoribus, utque in ſolemnibus, & emortualibus ipſius Eccleſiæ ſolemnitatibus mitra, anulo, aliisque pontificalibus inſigniis uti poſſet, indulſit. Nonnullis itaque religioſis viris ad Eccleſiam excolendam inductis, ut firmior in eadem permaneret, & in dies augeretur Divini cultus religio, ad loci incolatum ipſe Romanus Pontifex Eugenius anno 1441. vivæ vocis oraculo Canonicos Regulares Congregationis S. Salvatoris Bononienſis ſibi non minus, quam olim patruo ſuo Gregorio XII. ob præclara virtutum merita cariſſimos evocavit. Apoſtolicæ largitatis munus, ea, qua par eſt, reverentia ſuſcipiens ipſius Congregationis Generalis Prior, Venetias direxit decem & octo Canonicos, quibus Fratrem Lucam de Bardis Florentinum Vicarii titulo præfecit. Templi & Cœnobii poſſeſſio die prima Auguſti ejusdem anni, ab eisdem inita fuit ſolemni modo, Venetæ Urbis Ducatum adminiſtrante Franciſco Foſcaro. Ipſam poſtea Canonicam ad redditus Floreno-

renorum 800. de Camera ſupputatam Eugenius IV. Flòrentiæ degens die 21. Junii anno 1442. cum omnibus ſuis juribus & bonis Apoſtolico Diplomate præfatæ Congregationi S. Salvatoris de Bononia perpetuis temporibus adnexam eſſe decrevit (M), plurima quoque adjiciens præconia, quibus ipſius Congregationis pietatem & virtutum merita extollit.

Hujus autem præclariſſimi beneficii memores Canonici, cum ædes ab Eugenio conceſſas a fundamentis reſtituiſſent, in perpetuum devoti gratique animi monumentum epigraphem hanc aureis litteris marmori inciſam æternum muneris documentum eſſe voluerunt.

„ Quam ædem Eugenii IV. Pont. Max. liberalitate Salvato-
„ ris Canonici Reg. LXXXVI. ab hinc anno adepti ſunt, eam-
„ dem vetuſtate collabentem a fundamentis auguſtiore facie
„ reſtituendam curarunt, ſui in Pontificem grati animi, in
„ Deum Pietatis perpetuum monimentum MDXXVIII.

Novi itaque inſtituti Viris in Cœnobium deductis, ut vitæ ſanctimonia antiquam loci diſciplinam reſtituerent, primus Prior præficitur Lucas Bardi, in cujus locum Frater Michael Joannis de Bononia die 19. Julii anni ſubſequentis inducitur.

Jam ſuperius memoravimus S. Salvatoris Eccleſiam ab Alexandro, Lucio, & Innocentio Summis Pontificibus horum nominum tertiis atque ab Alexandro IV. & Eugenio pariter IV. ſpiritualibus prærogativis fuiſſe inſignitam. Horum itaque Pontificum largitatem æmulatus ipſorum ſucceſſor Nicolaus V. (N) Chriſti fidelibus Eccleſiam ipſam viſitantibus tum in feſtiva Dominicæ Transfigurationis die, tum in aliis ſolemnioribus feſtis indulgentias, & peccatorum remiſſiones miſericorditer in Domino relaxavit; quod pariter ex Religione inducti præſtiterunt novemdecim S. R. E. ampliſſimi Cardinales. (O)

Præter recenſita Apoſtòlicæ munificentiæ decora, aliis quoque præfulget hæc Eccleſia ſpiritualibus ornamentis, venerandis videlicet exuviis S. Theodori Martyris Heracleenſis, de quo Dandulus lib. IV. cap. X. part. 2. hæc habet: " Theodorus
„ vir Militaris, qui Spiritu Sancto plenus in Eccleſia Helleſ-
„ ponti iniquiſſimum Draconem interfecerat, juſſione Licinii
„ in Heraclia Ponti, dum ſacrificare renueret, poſt aſperos
„ cruciatus capite mutilatus eſt Quinto Idus Novemb. cujus
„ Reliquias Ancharius in Patriam detulit, quæ de Meſembria

 ſub

„ ſub Raynerio Duce Venetias delata ſunt." An vero hic fuerit Theodorus Martyr a priſcis Venetis in primarium Patronum adoptatus, cui ex voto Narſes Dux Eccleſiam ædificaverat, nulla nos monumenta edocent. Theodorus Heracleenſis, cujus ſacræ exuviæ in Eccleſiam S. Salvatoris deductæ ſunt, a Græcis in Menologio, & a Latinis in Martyrologio recolitur ad diem ſeptimam Februarii; Veneta vero Eccleſia, eamque ſequuti Abbas Maurolicus in ſuo Mart. atque Philippus Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ memoriam ejus deducunt ad diem nonam Novembris Divo Theodoro Amaſeno Militi, & Martyri ſacram. Huic apud Græcos celebratiſſimo Martyri probabile eſt dedicatam a Narſete fuiſſe Eccleſiam, delatumque a Venetis recentis Urbis patrocinium: at Venetias translato Theodori Ducis corpore ob eccleſiaſticæ hiſtoriæ imperitiam, homonymos Martyres Heracleenſem & Amaſenum eorumque Acta & ſolemnia feſta confuderunt minus periti: quod etiam ſapienter a Baronio animadverſum legimus in notis ad Martyrologium ſeptimo Idus Februarii littera d. Paſſionis monumenta efferunt Bollandiani operis Continuatores inter acta Sanctorum Tom. IV. pag. 23. ſacri vero pignoris translationem accurate exaratam exhibet antiquus Codex ms. in Archivo Sodalitii Magni ejusdem S. Theodori aſſervatus, quam de verbo ad verbum inde tranſcriptam Lectoris pietati exhibere utile cenſeo.

„ *Translatio Corporis Beatiſſimi Theodori Martyris*
„ *cum multis Miraculis.*

„ Noster Jeſus Chriſtus conſervator humani generis Omnipotens, pius, & miſericors Deus mirabilis in Sanctis ſuis pretioſiſſimum theſaurum corporis videlicet Beatiſſimi Martyris ſui Theodori Venetias apud Baſilicam Domini, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti cælitus transferre dignatus eſt. Qualiter autem mirabilis iſte theſaurus inventus fuerit Caritati Veſtræ dignum duximus aperire. Anno Incarn. ejusdem Domini & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti 1257. quartodecimo die intrante Junio temporibus SS. Domini patris Alexandri IV. Sacroſ. Rom. Eccleſiæ Summi Pontificis, Caſtellana denique Eccleſia ſuo viduata paſtore, Ducante, ac præſidente præclariſſimo D. Rainerio Zeno illuſtri, ac Se-

„ renisſ.

„ reniſs. Duce Venetiarum. Nobili ſiquidem viro Jacobo Dau-
„ ro Cive Veneto cum quibusdam ſuis civibus ad civitatem
„ regiam Conſtantinopolitanam proficiſcente, ibique moram
„ trahente contigit, contra gentem Blachorum a Poteſtate
„ regiæ civitatis Conſtantinopolitanæ, & Venetis exercitum
„ præparari. In quo ſiquidem exercitu memoratus Nobilis Ja-
„ cobus Dauro Capitaneus inſtituitur, & præceptor. Paratis
„ itaque galeis, ac aliis opportunis ad bellum Omnipotentis
„ Dei miſericordia implorata, acceptoque Beati Marci vexil-
„ lo, mare quod vulgo magnum vocatur legentes ad civitatem
„ quæ Meſſembria nuncupatur applicuerunt: quam ſine ma-
„ gna ſtrage hominum gratia faciente divina ceperunt. Ca-
„ pta autem civitate Meſſembria victores cum tripudio, &
„ lætitia magna S. Sophiæ Eccleſiam majorem intrantes me-
„ moratum theſaurum corpus glorioſiſſimi martyris ſui Theo-
„ dori invenerunt. Sublato denique tali, ac tanto pignore
„ idem Jacobus ad civitatem regiam Conſtantinopolitanam ſe-
„ cum detulit, & in Eccleſia S. Nicolai, quæ græco vocabulo
„ dicitur de Embulo Venetorum, ubi ipſum collocavit honori-
„ fice. Cumque per annos decem prætioſæ reliquiæ tanti, ac
„ magnifici martyris acquieviſſent in Eccleſia memorata; Mar-
„ cus Dauro conſanguineus ejusdem Jacobi elapſo decem an-
„ norum curriculo de civitate regia tantum, ac magnificum
„ theſaurum tolles ſecum Venetias detulit. Et tam præ-
„ tioſum munus Eccleſiæ Domini, & Salvatoris noſtri Jesu
„ Chriſti humiliter obtulit, & devote. Corpore ſiquidem ejus-
„ dem glorioſiſſimi Martyris in memorata Baſilica reverenter,
„ ac honore debito collocato, mirabilis, ac glorioſus Deus
„ per Sanctum ſuum prætioſa, ac preclara miracula dignatus
„ eſt magnifice operari. Nam cæci illuminati, dæmones effu-
„ gati, paralitici ſunt membris propriis propagati; claudis
„ aperitur greſſus, febricitantibus donatur reſtitutio ſanitatis,
„ infectis peſte, ac diverſorum morborum generibus largitur
„ ſalutifera medicina. Quid plura? multorum miraculorum
„ ſpecies inveniamus.

„ *Miraculum in tempeſtate maris per S. Theodorum.*

„ Eo tempore quo S. S. corpus erat in navi in partibus juxta Jacinthum, & Cephaleniam, accidit ut ventus, qui dicitur Tramontana vehementiſſime flaret, in tantum etiam quod nautæ timentes naufragium de vita deſperarent præſenti: Implorantes denique miſericordiam Salvatoris exhibita reverentia coram corpore ejusdem Martyris glorioſi poſt dimidiam fere horam maris ſedatur tempeſtas, in tranquillitate cum gaudio remanentes. Tunc nautæ & omnes qui in navi aderant imenſas gratias Domino agentes, & glorioſo Martyri ejus Theodoro, qui eos de tanto periculo Divinitus liberavit.

„ *Miraculum juvenis liberati, qui in mare ceciderat.*

„ Quadam autem die cum navis velociſſimo curſu mediantibus velis legeret pelagum, ut graviſſimum foret ſuſtinere reſpicienti in mare, contigit caſu fortuito quemdam adoleſcentem de navi in pelagum cadere, de cujus ſalute omnes, qui in navi aderant, penitus deſperarent. Cæperunt clementiam Domini, & Salvatoris Noſtri unanimiter cum lacrymis flagitare, ut meritis, & precibus beatiſſimi Martyris Theodori prefatum adoleſcentem de tanto periculo dignaretur miſericorditer liberare. Oratione autem facta nautæ proficiſcentes in pelago; & ecce adoleſcens palpitabat circa funes, qui adherent timoni, & ſic ſanus, & incolumis navem aſcendit magnis vocibus magnificans, & glorificans Deum, qui eum de tanto periculo meritis Beati Theodori dignatus eſt miſericorditer liberare.

„ *Miraculum cujusdam Antonii Mediolanenſis graviſſime*
„ *laborantis propter vehementiſſimas febres.*

„ Cum portaretur corpus glorioſiſſimum ad Eccleſiam Sancti Salvatoris, & quidam nomine Antonius habitans in Merzaria laboraret in extremis, adeo quod jam viſum, atque vocem amiſerat propter graviſſimas febres; & cum eſſet ejus camera juxta viam publicam, traníeuntes pſalmos pſallen-

„ tes

„ tes audivit, aliquantulum expergefactus, & ad ſe rediens
„ ſentiens magnum odorem, petiit, quidnam illud eſſet; reſ-
„ ponſum illi eſt a circumſtantibus, corpus Beatiſſimi Marty-
„ ris Theodori ad S. Salvatoris templum portari cum magna
„ multitudine hymnos pſallente. Juſſit aſſiſtentibus, ut ad fe-
„ neſtram eum deferrent; qui cum ſe majorem in modum illi
„ Martyri atque devotiſſime commendaret, ſtatim vox, atque
„ viſus ſibi redditi fuerunt, & febre eum deſerente tertia die
„ ad templum S. Salvatoris eſt profectus, ut gratias & quidem
„ ingentes immortali Deo ageret, quod incolumis propter Bea-
„ tiſſimi Martyris merita factus fuerat.

„ *Miraculum cujusdam Magiſtri Nicolai Bononienſis*
„ *Architecti.*

„ SIMILITER iſte Nicolaus eadem die cum glorioſiſſimum corpus
„ per eandem viam portaretur, multos annos ſuos artus om-
„ nes fere paralyticos habuiſſet in contrata S. Juliani venit ad
„ ſuæ domus oſtium ſingularis devotionis plenus cum bacu-
„ lis, ut videret Chriſti Militis corpus, quod in capſa defere-
„ batur; ut profecto conſpicatus eſt, cæpit ſumma voce cum
„ multis lacrymis proclamare, atque ingenti devotione miſe-
„ ricordiam petens, ſtatim immortalis Deus per ſui fideliſſi-
„ mi Martyris merita illi graviter ægrotanti incolumitatem
„ reſtituit, qui præditus bonæ valetudinis tanto beneficio una
„ cum aliis Beatiſs. Martyris corpus proſecutus eſt, atque co-
„ mitatus.

„ *Miraculum cujusdam Franciſci de Torcello graviſſime*
„ *patientis.*

„ Is quidem brachium unum cum una ſpatula prorſus per-
„ diderat multis annis; & vidit Nicolai prefati miraculum;
„ qui cum ſequeretur corpus B. Martyris ſubito impulſus ſum-
„ ma devotione ſe projecit in terram flexis genibus ad capſam
„ B. Militis Chriſti, quam cum ægroto brachio tangeret, ſta-
„ tim incolumitas rediit, & ipſum glorioſiſſimum corpus co-
„ mitatus eſt uſque S. Salvatoris templum; ubi Deo immor-
„ tali ingentes gratias egit propter ſui B. Martyris merita, a
„ quo tantum, & tam ſingulare munus ita brevi recepit.

„ *Nunc*

„ *Nunc ergo ad miracula, quæ in hac Baſilica Domini, &*
„ *Salvatoris Noſtri Jeſu Chriſti manifeſte, & lucide ſunt de-*
„ *clarata alacriter veniamus.*

„ Nam Dominus noſter Jeſus Chriſtus ut nomen ſuum glo-
„ rioſe magnificetur in Sancto ſuo Theodoro, cujus corpus
„ cum Crucibus, & vexillis, atque honore debito proceſſio-
„ naliter ab Epiſcopis, Sacerdotibus, & Clero ſequendo, &
„ precedendo cum maxima multitudine virorum, & mulierum
„ deveniret in hanc Baſilicam Salvatoris noſtri. Quidam cæ-
„ cus nomine Florianus tranſiens ſubtus capſellam in porta Ec-
„ cleſiæ in qua prætioſi Martyris corpus erat incluſum, illico
„ lumen ſuſcepit: qui ſtatim cum multitudine magna intrans
„ Eccleſiam cepit glorificare Deum Patrem Omnipotentem,
„ qui per B. Theodorum magnifice illuminavit.

„ *Miraculum cujusdam Magiſtri Benevenuti Phiſici*
„ *liberati multis doloribus.*

„ Tertia autem die poſt adventum B. Corporis Theodo-
„ ri Magiſter Benevenutus vehementiſſimis doloribus lacera-
„ tus in tantum, ut vix flatum trahere valens ad ſe, de vi-
„ ta præſenti penitus deſperando. Cumque cepiſſet B. Theo-
„ dori auxilium invocare, votum ardenti animo emiſit, ut ei
„ cereum offeret ſanatus. Hac denique facta promiſſione ipſe
„ Benvenutus incidit in ſoporem. Cumque evigilaſſet a ſom-
„ no dolor ab eo penitus receſſerat. Sero itaque facto dolor
„ cepit iterum ipſum pugnare, & affligere vehementer. Ipſe
„ vero magnis, & affectuoſis precibus cæpit Omnipotentis Dei
„ miſericordiam implorare; ut per B. Theodorum ipſum ab in-
„ ſtantibus afflictionibus, & doloribus liberaret. Confeſtim ita-
„ que liberatus gratias egit Salvatori, qui per B. Theodorum
„ priſtinam ſanitatem reſtituit.

„ *Miraculum cujusdam pueri de Glugia.*

„ Octavo itaque die quidam cui nomen erat Natalis de
„ Glugia habens filium ſeptem annorum, qui numquam am-
„ bulaverat, quem cum parentes ipſius ad corpus B. Theo-
„ dori

„ dori deduxiſſent, & eundem puerum ante capſam depoſuiſ-
„ ſent confeſtim ſurgens cepit mirabiliter ambulare gaudens,
„ & exultans de tanto munere aſſecuto.

„ *Miraculum cujusdam mulieris nomine Benedictæ, de*
„ *Murano.*

„ DUODECIMO itaque die quædam mulier multo tempore ægrotavit, & quaſi tota contracta exiſtens nullo modo poterat ſuis pedibus ambulare. Unde ubi ſe portari fecit ad corpus Militis Chriſti per interceſſionem ipſius convaluit, & ambulavit laudans, & glorificans Dei Filium Jeſum Chriſtum.

„ *Miraculum cujusdam puellæ in civitate Caprulana.*

„ QUÆDAM puella filia Bartholomæi Boni loquelam amiſerat propter tonitrus timorem, nec ullo modo poterat loqui. Delata fuit cum ſumma devotione, & humiliter, ac devote ad Eccleſiam Domini, & Salvatoris; ingentes faciens præces, protinus ut vidit locum B. Martyris Theodori ſolutum eſt vinculum linguæ illius magnificans Deum, qui per S. Theodorum ſuum Martyrem operatur ſalutem.

„ *Miraculum cujusdam mulieris habentis ſiccam manum.*

„ QUÆDAM mulier nomine Antonia habitans in S. Nicolao manum habebat aridam, nec ſe prorſus cum ea adjuvare poterat; quæ cum veniſſet viſere corpus B. Theodori effuſis precibus ſingulari devotione Deo, & ſuo Martyri B. Theodoro illico facta eſt incolumis.

„ *Miraculum cujusdam ægroti ſanati per B. Theodorum.*

„ Quidam Nicolaus Aromatharius filius Joannis, qui dolores corporis atque alvi vehementer patiebatur, adeout medici deſperarent. Contigit ſiquidem ut B. Theodorus, cujus erat devotiſſimus illi ægrotanti apparuit in viſione, & expergefactus convaleſcere cæpit, atque ab infirmitate ſua eſt penitus liberatus. Et ſubito factus incolumis ivit ad Eccle-

„ ſiam,

„ ſiam, ut gratias immortali Deo ageret, qui ex meritis ſui „ militis Sancti Theodori incolumem reddiderat.

„ *Miraculum cujusdam mulieris liberatæ uno digito curvo.*

„ Quædam mulier nomine Bonaſanta uxor Joannis Varotarii habebat unum digitum curvum, cum quo ſe juvare non „ poterat, intelligens miracula ſecuta in templo S. Salvatoris „ propter B. Theodori merita, cum nimia devotione ivit ad „ Eccleſiam, ubi erat Beatiſſimum corpus, ut gratias impetraret a Deo immortali ex meritis B. Martyris cui ſingularem „ fidem habebat; & cum multis lacrymis invocaret ipſum „ Martyrem, ipſius digitum absque aliqua læſione, atque dolore cum magna lætitia, & ingenti gaudio erexit.

„ *Miraculum cujusdam Nobilis Veneti de domo Cornaria.*

„ Quidam Petrus B. Theodori devotiſſimus cum quamplurima ipſius Chriſti Militis miracula vidiſſet, atque audiviſſet Venetiis receſſerat, ut Alexandriam peteret, & cum eſſet in ſummo mari quædam tempeſtas cum tonitribus, ventis, atque grandinibus magnis fere inſtar unius ovi gallinarum adeo terribilis orta fuit, ut navis arbor infringeretur: „ tunc navis ivit ad latus, & in tantum pendebat, ut veges capſæ, atque multa alia, quæ in navis coperta erant „ ruerentur ſupra ipſum nobilem Petrum cum tanto periculo ut non veriſimile videretur, quod poſſet adjuvari, atque „ evadere, tunc ſubito ſe comendavit majorem in modum, „ atque cum quadam teneritia, & miſericordi pietate, quod „ B. Theodorus ab hujusmodi morte liberaret. Statim habita „ tanta devotione navis ſe volvit ad aliud latus, unde ipſe „ tali pondere expers prorſus remanſit incolumis. Quamobrem „ quamplurimi navis nautæ videntes tantum miraculum cum „ genibus flexis Deo immortali, atque B. Theodoro gratias „ quidem ingentes egerunt, unde ſubito omnis tempeſtas evanuit. Ex quo nautæ facti læti atque alacres cum Venetias „ rediſſent omnes quadam incredibili devotione ad Eccleſiam „ S. Salvatoris euntes unum Cereum pro quolibet devotiſſimo Martyri Theodoro devotiſſime obtulerunt.

„ Mul-

„ Multæ venerabiles Dominæ magnam devotionem habentes „ gravidæ exiſtentes cum partus tempus adveniret, bombicem, „ atque candelam parvam haberent, quæ B. Martyris Theo- „ ri corpus tetigerat, & cum tenerent bombicem, ipſamque „ candelam cum magna devotione ſupra ſe tenerent, quando „ in ipſo partu verſabantur, ſummam gratiam habuerunt ſi- „ ne omni periculo parientes.

„ Præterea multi pueri, & puellæ magnis, & diverſis in- „ firmitatibus, atque ſuis languoribus ſunt ſanati.

„ Legitur in Tobia: Sacramentum Regis abſcondere bonum „ eſt, opera autem Dei confiteri, & manifeſtare honorificum „ eſt. Cur autem iſta præmiſimus Domino operante aperiamus. „ Multi vicinorum, & parochianorum circumſtantes ipſam Eccl. „ Domini Salvatoris multoties, & frequenter in nocte viderunt „ per feneſtras dictam Eccleſiam mirabiliter illuminatam, & „ quaſi totam intus ardentem, & ſæpiſſime de ipſa Eccleſia „ faculas ardentes exire poſtquam corpus B. Theodori Marty- „ ris in dicta Eccleſia clementia favente Divina extitit collo- „ catum. Et quid per ignem niſi quod caritas deſignatur? De „ qua Dominus dicit; Ignem veni mittere in terram, & quid „ volo niſi ut ardeat? Ignis iſte ſpecialiter in ipſa Eccleſia ar- „ det, cum B. Theodori merita ad honorem Dei Omnipoten- „ tis fidelium corda illuſtrant.

Una cum Divi Theodori corpore translata eſſe Meſembria Conſtantinopolim primum, & inde Venetias plura aliorum Sanctorum lipſana teſtatur suprarelatus antiquiſſimus Codex, inter quæ nominatim enuntiat Maxillam, & Os Brachii S. Andreæ Apoſtoli, Os pariter brachii S. Bartholomæi Apoſtoli, & S. Xiſti Caput, quod ad Xiſtum hujus nominis Secundum Romanum Pontificem pertinere ex eo deducitur, quod ab immemorabili tempore hujus Sancti ſolemnitas in eadem Eccleſia officio duplici celebratur.

Cum vero antiquum S. Salvatoris Templum, in auguſtiorem, quæ modo cernitur, formam, pia Canonicorum cura ad Julii Lombardi archetypon magnis ſumptibus circa XVI. ſæculi medium fuiſſet inceptum, & ad annum 1565. completum, Corpus Divi Theodori in ipſo depoſitum jacuit, quod deinde anno 1628. ad finem vergente die 13. Decemb. ſolemni ſupplicatione habita, cui Princeps & Senatus una cum Joanne

Theupolo Venetiarum Patriarcha pluribusque aliis Epiſcopis, & Abbatibus interſuere, in marmorea urna ad aram ipſi Divo dicatam totius Urbis plauſu in tanti protectoris venerationem effuſæ repoſitum fuit.

Ad latera Sacelli Divo Theodoro dicati inaurato marmori inſculptæ ſunt hæ epigraphes.

„ Hoſpes Civis Advena Quisquis es qui hæc ignoras Siſtito „ & Theodori Amaſeni Incliti Militis Martyrisque Ab ipſis „ Reipub. primordiis noſtræ Libertatis fortiſſimi Propugnatoris „ Sacrum Corpus In Aſia olim apud Euchaitas Frequenti Po„ pulorum acceſſione Et nunquam interrupta Miraculorum glo„ ria inſignitum Tandem ex cadentis Greciæ Ruinis in Æter„ nam Urbem Translatum eſt a Majorum Hic primum pieta„ te cultum Supplex veneranto. Quod ut ſanctius illuſtriusque „ In poſterum apud Nos coleretur Archiſodalitas Ejusdem Di„ vi Theodori Devota Numini ac illius Munificentiæ obſtricta „ Ara Tholo Imaginibus Sacra ſuppellectili ac Tumulo nobi„ liore decoravit curantibus Marco Antonio Martha Majori „ Cuſtode Annibale Taſca & Joſepho Ræpavolo ædilibus An„ no Chriſti MDCXXVII. Urbis. MCC. VI. Ex III. Vir. Xvira„ lium D.

Adjacet Eccleſiæ Ædes Sodalitii ipſius Sancti Theodori magnifico opere conſtructa, cujus marmorea facies ad lævam Monaſterii piis Jacobi Galli mercatoris Veneti ſumptibus erecta eſt anno 1657. Antiquiſſimam porro eſſe hujus ſacri ſodalitii originem accipimus ex ſuperius memorato codice ms. cujus verba vernaculo, quo tunc utebantur Veneti, ſermone exarata hic referenda eſſe cenſeo.

Notandum eſt jam inde a prima Venetiarum origine Divum Theodorum fuiſſe in Patronum aſſumptum ejusque Imaginem vexillis appoſitam perſeveraſſe, Annos continenter CCCLXI. Quod nunc Divi Marci Templum eſt fuit ea ætate D. Theodoro ſacrum, ibique erectum eſt Sodalitium ſub ejusdem Martyris nomine & tutela. Diu mul-

Nota che ab anticho fò edifichata Venexia fò preſo per protector, e portato per confalon anni continui CCCLXI. la Chieſa di S. Marco vegneva chiamato la Chieſa di Sancto Theodoro. Nel qual luogo fò creata una ſcuola ſotto nome e titulo di Miſer Sancto Theodoro proceſſe longo tempo felicemente, advenne che la Chieſa,

multumque Sodalitium feliciter ſubſiſtit, donec abſumpto per incendium & Templo & Sodalitii loco Divus Marcus Evangeliſta in Patronum ſuffectus eſt, Sodalitium Divi Theodori ceſſavit, & locus diutiſſime vacuus permanſit.

Interea Anno 1257. cum Dacæ arma moviſſent contra Bizantinum imperium contigit ut Jacobus Daurus Patritius Venetus mitteretur Præfectus Claſſis multarum Triremium ad ſuppetias Græcis ferendas. Mari emenſo, & deſcenſione facta cœpit hic Urbem Meſſembriam ibique in Templo D. Sophiæ prætioſum Corpus invenit glorioſi Martyris Theodori, & cum eo brachium, atque maxillam S. Andreæ Apoſtoli, caput S. Xixti, brachium S. Bartholomæi Apoſtoli, tum multa alia Sanctorum Lipſana, quæ ibidem quieſcebant, ut nunc quieſcunt una cum Divi Martyris Corpore. Hæc omnia Daurus Conſtantinopolim tranſtulit, & in Templo Sancti Nicolai depoſuit. At decennio poſt Anno videlicet 1257. Marcus Daurus Jacobi Conſobrinus eadem Venetias aſportavit ubi in Templo S. Salvatoris, cui dono obtigerunt fuere depoſita. Per id tempus Sodalitium noſtrum nova ſumpſit exordia.

Nec

ſa, e la ſcuola ſe bruſò, per la qual caſon la ſcuola fò diſmeſſa del tutto ſiando laſado Sancto Theodoro, e tolto Miſer Sancto Marco Evangeliſta la ditta ſcuola iſtette vacua longiſſimo tempo.

Advene fazando guerra la gente di Vallachi contro lo imperio di Conſtantinopoli che fò nel 1257. fò facto Capitanio di molte Gallie Miſier Jacomo Dauro Gentilomo Venexiano a riquiſition dello Imperio, lui paſſò il mare, e conquiſtò la Città di Meſſembria, e in quella propria Città in la Chiexa di S. Soffia trovò el pretioſo corpo del glorioſo Martire Miſſier Sancto Theodoro, con el brazo e maxilla de Miſſier Sancto Andrea Apoſtolo. Item la teſta di Sancto Siſto. Item el brazo de Sancto Bortolomio Apoſtolo con altre aſſai reliquie di Sancti, le quali ſi ripoſavano, e al preſente ſi ripoſano con el pretioſo corpo, e per quello Miſſier Jacomo Dauro ſono portate in Conſtantinopoli, e depoxe in la Chiexa di Sancto Nicolò. Mò Anni diece dapò che fò in l'anno 1257. per Miſſier Marco Dauro Cuſino di quello Miſſier Jacomo fò portado à Venexia el prenominato pretioſo corpo con l'altre reliquie, le quali ſolamo diſpoſe, e

dona-

donate tanto pretioſo dono alla Chieſa del Signor Salvador nel qual tempo per molti fò riprincipiada da novo la noſtra ſcuola.

Nec prætereundum eſt noſtrum hoc Sodalitium primis hujus generis in hac Urbe eſſe adnumerandum. Liquido enim conſtat ex ſecundo Capitulo reſtitutum fuiſſe Ann. 1258. Deinde Sodalitium Charitatis Anno 1260. ortum habuit, quo etiam Anno inſtitutum eſt Sodalitium D. Marci. Subſequenti vero Anno nempe 1261. coactum eſt S. Joannis Sodalitium. Denique quod Miſericordiæ nomen ſortitum eſt non niſi Anno 1308. cœpit.

L' è da ſaver la noſtra ſcola fò una delle prime ſcole di Venexia, e che ſia la verità ſi dichiara nel ſecondo Capitolo fò reprincipiada l' anno 1258. dipoi la ſcola della Carità fo principiada l'anno 1260. nel qual mileſimo fò principiada la ſcola di S. Marco, in l'anno 1261. fò principiada la ſcola di S. Zuanne, la ſcuola della Miſericordia fò principiada in l'anno 1308.

Anno 1450. die 21. Septembris proponentibus Zaccharia Bembo uno ex VI. viris qui Conſilio præſunt, vulgo *Savio del Conſiglio*, nec non Aloyſio Strolado D. Marci Procuratore adnitente etiam Joanne Columna C. M. rogati ſunt P. P. Conſcripti, & Senatus Conſulto ſancitum, eſt Diem Sancti Theodori fore in poſterum ſacrum & feſtum ac ſolemniter celebrandum. Hoc idem Epiſcopus Caſtellanus ſuo peculiari decreto ſanxit addita excommunicationis pœna ſi quis morem non gereret. His omnibus pie inſtitutis proviſum eſt per noſtri Sodalitii Præſidem ejusque Aſſeſſores.

In l'an. 1450. adì 21. del meſe di Settembrio per Miſſier Zacaria Bembo Savio del Conſiglio, e per Miſſier Alluixi Strolado Proculador di Sancto Marco e per ſollicitudine de ſier Nani da la Colonna G. G. fò miſſo la parte nel Conſiglio di Pregadi, e fò preſa ch'al zorno de la feſta di Miſſier Sancto Theodoro ſi dieba gardare, e far feſta ſolenne. Item Miſſier lo Veſcovo de Caſtello la facto un decreto, che al dito zorno ſi debia feſtezare, e far feſta ſolenne a la pena di ſcomunigazion, per le quali tutte pietoſe caxoni l'è ſta proviſto pel noſtro Gaſtaldo e Compagni.

Anno

Anno autem 1552. die 26. Martii ex Decemvirum Capitalium Decreto celebrioribus ſodalitiis, quæ *Scole Grandi* vocantur, omnium noviſſima adnumerata fuit.

Templi ornatui inſudarunt tum Pictores, tum Sculptores ſui temporis celeberrimi, quos inter emicat Titianus Vecellius, qui Transfigurationem Dominicam in Majori Sacello, & Virginis Annuntiationem ad ejus aram mirabiliter expreſſit.

Anno tandem reparatæ ſalutis 1739. die 30. Martii Franciſcus Antonius Corrarius Patriarcha Venetiarum Eccleſiam ſub S. Salvatoris titulo ritu ſolemni conſecravit; ejusque memoria marmori inciſa in veſtibulo ſacrarii collocata eſt ad perenne monumentum. " Templum hoc jampridem a Canonicis Regularibus Divi Servatoris magnifice extructum Fr. Franciſcus Corrarius Ordinis Capuccinorum Venetiarum Patriarcha Dalmaciæque Primas Gregorii XII. ac Eugenii IV. Summorum Pontificum liberalitatem in iſtos Canonicos æmulatus Curante D. Jo: Alberto de Grandis Veneto olim iſtius Congregationis Generali Præſule, nunc hujuſce Canonicæ Moderatore. Tertio Kalendas Aprilis Anno 1739. ſolemni ritu conſecravit.

In ea ante ſacrarii oſtium tumulata jacet Cattharina Cornelia Cypri Regina & tres quoque ex eadem gente Cornelia Clariſſimi Viri ex adverſa parte urnis marmoreis clauduntur Marcus, Franciſcus, & Andreas, quorum primus ab Alexandro VI. alter a Clemente VII. tertius vero a Paulo III. Sacro Cardinalium fuerunt Collegio adnumerati.

Franciſcus quoque Venerius Dux Venetiarum LXXX. nobiliſſimo clauditur mauſoleo cum hac epigraphe.

" Franciſcus Venerius Princeps, priſcæ majorum virtutis ac diſciplinæ vere imitator, nullo nec adumbratæ laudis ſtimulo, nec privatæ utilitatis errore unquam promotus, in regendis populis ſummæ continentiæ, in dicunda ſententia Senatoriæ gravitatis, pacis, & concordiæ amantiſs. in omni ſermone ſapientiſs. ſemper in Principatu, nihil præter ornamentum Principis quod eſt juſtum Imperium pulcherrimum liberis civibus exemplum. Vixit Ann. LXVI. DIIII. In Principatu Ann. I. Menſ. XI. D. XXII. obiit IIII. Non. Julii. MDLVI.

Andreas

Andreas quoque Delphinus D. Marci Procurator magnifico decoratur monumento, cui inſculptæ viſuntur ſequentes inſcriptiones:

„ Andreæ Delphino D. Marci Procuratori Senatori
„ Ampliſſimo, in pauperes Pientiſſimo. Obiit anno MDCII.
„ ætatis ſuæ LXII.
„ Benedictæ Piſanæ Prudentia, Genere, Divitiis inſigni
„ And. Delp. P. Uxori. Obiit anno MDXCV. ætatis ſuæ L.

Ex adverſo pariete mirabili opere erecta conſpicitur emortualis memoria duorum ex Familia Priola Fratrum, quorum primus Laurentius ad Ducale faſtigium evectus fuit poſt ſupralaudati Franciſci Venerii obitum, Hieronymus vero poſt Fratris deceſſum eamdem dignitatem obtinuit; eorum tamen Corpora ad S. Dominicum Caſtellanum in Majorum ſuorum monumentis requieſcunt.

„ D. O. M.
„ Laurentius Priolo Dux Sapientia Eloquentia Inſignis Le-
„ gationibus ſummis quibusq. muneribus Clarus Pauli IV. Pont.
„ Caroli V. Cæſ. Concitatos animos delinivit, Pacem funda-
„ vit, Italiam tranquillavit, Peſtilentiam extinxit, Remp. be-
„ ne geſſit Pius, Fortis, Prudens, Proc. D. M. de Ultra ex
„ Teſt. Lud. Priolo Proc. Nep. P. vixit An. LXXVIIII. M. II.
„ D. III. In Princ. VIII.
„ D. O. M.
„ Hieronymus Priolo Dux Juſtitiæ, Prudentiæ, Legum,
„ Vindex, Tutor, Urbem ædibus ſpecimen Templis exorna-
„ vit, auctavit, Pacem Italiæ confirmavit Remp. ſartam te-
„ ctam ab omni periculo ſervavit Fraternæ Virtutis Æmulus
„ Proc. D. M. de Ultra ex Teſtamento Lud. Priolo Proc. Fil.
„ P. Vix. An. LXXVII. M. XI. D. XXI. In Princ. III.

Canonicam hanc decenni incolatu decoravit B. Archangelus Canetulus Nobilis Bononienſis, qui in hoc Monaſterio hoſpitibus recipiendis a Superiore deſignatus, dum id muneris ſedulo exequeretur, Parentis ſui interſectori ibidem hoſpitanti miniſtrare debuit: quo viſo, & cognito concitatos iræ & vindictæ motus magna ſui victoria omnino repreſſit.

Indicem quoque Priorum, & Abbatum adnectere ad ſplendidius Hiſtoriæ ornamentum non abs re fore cenſeo.

Series

Series Priorum & Abbatum Monaſt. & Eccleſiæ Parochialis S. Salvatoris, ex Ordine Canonicorum Regularium.

1442. Fr. Lucas Bardi de Florentia.
1443. F. Michael Joannis de Bononia rurſus ad annos 1445. 1448. 1449. 1450.
1444. F. Hieronymus Petri de Florentia denuo 1446. 1451. 1454.
1447. F. Auguſtinus Jacobi de Bononia 1462. 1465. 1468. 1473. 1476.
1452. F. Hieronymus (Juſto) Joannis de Venetia qui ex ſepius laudati Bonifilii Fundatoris gente procreatus primus ex Venetis Congregationi S. Salvatoris Bononienſis nomen dedit atque anno x. religionis Prior electus, cum Canonicam biennio optime adminiſtraſſet, ad ſupremos Congreg. Magiſtratus advocatur. Prior denuo 1459. 1460. 1466. 1467. 1470. 1475. 1488. 1490. 1491.
1455. F. Adeodatus Jacobi de Bononia.
1456. F. Benedictus Ardinghi de Florentia 1457.
1458. F. Mariannus Jacobi de Florentia.
1461. F. Jacobus Matthæi de Parma, 1479. 1486. 1487. 1492. 1495. 1497. 1498. 1499.
1463. F. Zacharias Franciſci Venetus 1472. 1477. 1478. 1484.
1464. F. Thomas Joannis de Eugubio 1469.
1471. F. Stephanus Tuti de Bononia, 1474.
1480. F. Gabriel Juſti de Venetiis.
1481. F. Franciſcus Thadei de Caravagio 1485. 1493. 1496. 1501. 1502. 1510. 1511. 1512. 1514.
1482. F. Salvator Marci de Venetiis 1483. quo anno obiit.
1489. F. Joannes Maria Antonii de Venetiis.
1494. F. Petrus Michaelis de Venetiis.
1500. F. Joannes Franciſcus Antonii Venetus.
1503. F. Antonius Contarenus, Aloiſii filius Venetus, poſtea Patriarcha Venetiarum 1504. 1506. 1507. 1508.
1505. F. Seraphinus Baldaſaris Venetus 1509. 1513. 1515. 1518. 1521. 1524. 1527.
1516. F. Franciſcus de Venetiis.
1517. F. Bernardinus de Mantua 1520.
1519. F. Innocentius de Brixia.

1522.

1522. Fr. Petrus de Venetiis 1528. 1529. 1531. 1532. 1534. 1535.
1523. F. Joannes Maria de Venetiis 1525. 1530.
1526. F. Raphael de Venetiis.
1533. F. Honofrius de Placentia.
1536. F. Leonardus Venetus 1538. 1539. 1541. 1542. 1543. 1556. 1558.
1537. F. Frigdianus Venetus 1544. 1548. 1551. 1554.
1540. F. Bernardus de Venetiis.
1545. F. Joannes Petrus de Brixia 1546.
1547. F.....
1549. F. Joannes Paulus de Venetiis 1550. 1552. 1553. 1555. 1559.
1557. F. Tranquillus Venetus 1560. 1561.
1562. Prior hoc anno electus fuit Domnus Petrus Venetus, de quo *Domni* titulo hæc affert Mozzagr. l. 1. pag. 56. „ Canonici Regulares mutaverunt agnomen *Fratris* in „ *Domnum* ſuaſu quatuor Canonicorum Lateranenſium „ ex Friſionariis, qui ſub hac conditione ad eos deſciverant.
1563. Domnus Julianus Venetus.
1564. Domnus Tranquillus Venetus fortaſſe ille ipſe qui ſuperius Frater, 1566. 1567. 1578. 1579. 1580.
1565. D. Celſus Venetus.
1568. D. Marcellianus Brixienſis 1570.
1569. D. Stephanus Meldulenſis.
1571. D. Hieronymus Venetus.
1572. D. Salvator Venetus 1573. 1584. 1585. 1610. per triennium 1616. Obiit.
1574. D. Cornelius Venetus per quadriennium; inde 1581. 1582.
1583. D. Frigdianus Venetus.
1586. D. Angelicus Venetus.
1587. D. Vincentius Venetus 1589. 1590. 1591.
1588. D. Joannes Petrus Venetus 1592. 1593.
1594. D. Florianus Venetus 1624. per quinquennium.
1595. D. Franciſcus Venetus 1596.
1597. D. Deſiderius Venetus 1604. 1605. 1606. 1617. 1618. 1634.
1598. D. Joannes Maria Venetus, abſolutus ab officio.
1599. D. Maurus Venetus 1600.
1601. D. Joannes Baptiſta Venetus 1602. abſolutus ab officio. 1603.

1603. Domnus Joannes Albertus Venetus 1622. 1623.
1607. D. Facundus Venetus, per triennium.
1613. D. Candidus Venetus, per triennium 1619. iterato triennio.
1629. D. Blaſius Venetus, per quinquennium.
1635. D. Julianus Venetus. Hoc anno Superiores Monaſterii Abbatiali dignitate inſigniti ſunt, atque ideo ipſe Prior Julianus dictus eſt.
1636. 1637. Abbas D. Julianus Venetus.
1641. 1642......
1643. Abbas D. Joannes Venetus.
1644. D. Seraphinus Venetus.
1645. .....
1646. D. Angelicus Venetus.
1647. D. Leonardus Venetus, atque eo anno initium habuiſſe videtur triennale Abbatum regimen. 1652. ad aliud triennium.
1649. D. Julianus Venetus.
1655. D. Joannes Andreas Venetus 1673.
1658. D. Fauſtinus Venetus.
1661. D. Modeſtus Venetus.
1664. D. Bartholomæus Venetus 1670.
1667. D. Modeſtus Venetus.
1676. D. Victorius Venetus 1682.
1679. D. Angelicus Venetus.
1685. D. Adrianus Paganuzzi Venetus.
1688. D. Petrus Bortoletti Venetus.
1691. D. Nichetta Vichetti.
1694. D. Petrus Paulus Bortoletti Venetus 1721. Obiit.
1697. D. Laurentius Baroni.
1700. D. Hieronymus Scarpa.
1703. D. Joannes Albertus Galuano.
1706. D. Joannes Antonius Baglioni 1709.
1712. D. Alexander Sandri 1724. 1730.
1715. D. Candidus Piantoni.
1718. D. Antonius Maria Oddoni.
1722. D. Joannes Baptiſta Sonzonio 1733.
1727. D. Jacobus Filoſi.
1736. D. Joannes Albertus de Grandis, olim Abbas Generalis, cujus cura conſecratur Eccleſia, & marmo-

reis Divorum Auguſtini, & Leonardi altaribus exornatur.

1739. D. Jacobus Roſelli.

1742. D. Jacobus Rota. Ex fortuito incendio noctu exorto inter xv. & xvi. dies Octobris anni 1741. penſilis Chorus, qui ad extremam Eccleſiæ partem januæ majori imminebat, atque ipſius tecti portio repente conflagrarunt, quæ omnia ipſius Canonicæ impenſis celeri opere reſtituta Templi venuſtatem alibi deducto Choro adauxerunt, atque Crucifixi Domini, Divique Nicolai Myrenſis altaria ex ipſius Chori ruinis attrita ornatiorem in formam reædificata ſunt.

1745. D. Joannes Maria Quattrini.

1748. D. Iſidorus Manzoni.

Enarrationi hujuſce Monaſterii, in quo per Venetum Virum inſignis ſanctimoniæ nova Canonicorum Ordinis inſtitutio ortum habuit, libet pro corollario adjicere documenta a Gallicis iisque clariſſimis Scriptoribus educta de duobus Venetis viris auſteritate vitæ & probitate illuſtribus, qui in Diœceſi Lemovicenſi Regni Galliæ, ubi devotæ peregrinationis cauſa conſtiterant Canonicorum Regularium Ordinem poſtea de Artigia nuncupatum fundaverunt. Monumenta Philippus Labbè Bituricenſis Societatis Jesu Presbyter Novæ Bibliothecæ manuſcriptorum librorum Tom. II. ex codice Petaviano collegit, olim a Bernardo Guidone clariſſimo Ordinis Prædicatorum alumno, Epiſcopo Lodovenſi, ut apparet, exarata. Quanta doctiſſimo & ſanctiſſimo viro fides ſit adhibenda, præter præcipuos Ordinis Prædicatorum Scriptores teſtatur ſupralaudatus Labbeus pag. 512. antedicti Tom. II. ubi ejus laudatiſſimam vitam, & elenchum operum affert.

Ex Nova Bibliotecha Manuſcriptorum Librorum Philippi Labbè Biturici Societatis Jesu Presbyteri Tom. II. pag. 278.

De fundatione Ordinis Artigiæ in Diœceſi Lemovicenſi.

„ Primus Prior & Fundator Ordinis Artigiæ in diœceſi Le-
„ movicenſi non longe a Sancto Leonardo, fuit venerabilis Pater
„ Marcus cum Sebaſtiano nepote ſuo, qui nobilibus orti na-
„ talibus extiterunt de Venetia civitate in mari ſita. Hi cum
„ diverſorum ſanctorum limina viſitarent cauſa devotionis, ad
„ cor-

„ corpus beatiſſimi Leonardi Confeſſoris ſubſtiterunt : ubi aliquandiu ſuſtentati eleemoſynis Canonicorum, in loco, qui adhuc Vetus Artigia dicitur, conſiſtere elegerunt, ubi prædictus Marcus Oratorium ſibi conſtruxit, quartam partem unius panis ſiliginei habens quotidie a Canonicis antedictis. Qui Marcus lorica ferrea indutus, die ac nocte jejuniis, vigiliis, & aliis multis modis corpus ſuum cum concupiſcentiis crucifixit. Tandem acceptante Domino in bono labores ejus, Sebaſtianum Sacerdotem nepotem ſuum in loco ſuo dimiſit, & ibidem feliciter in Domino obdormivit.

„ II. Prior extitit præfatus Sebaſtianus. III. quidam vir ſimplex & rectus, cujus nomen notum eſt ſoli Deo: qui cujuſdam Fratris Furchardi nomine contumeliis irritatus, atque fugatus, in itinere Sancti Jacobi obiit. IV. Prior Joannes *Nautoner* de Axia, qui ſepultus eſt in oſtio Capellæ Sancti Laurentii, a parte clauſtri. V. Helias de Horto, de villa Solemniacenſi. Hujus tempore quibuſdam murtrariis in Oratorio ab hominibus Villæ Nobiliacenſis occiſis, tranſtulerunt ſe ad locum, in quo nunc ſunt, qui major Artigia nominatur, Dom. Geraldo Lemovicenſi Epiſcopo præſtante auxilium & favorem. Cum corpora ſanctorum Patrum Marci & Sebaſtiani transferre vellent, atque in bivio non longe a dicto loco in ſtrata publica caſu aliquo poſuiſſent, non potuerunt inde moveri. Prior per obedientiam præcepit eis quod abirent & ſinerent ſe portari, & quaſi verberibus piis impulit eos virgis; qui ut filii obedientiæ ſtatim acquieverunt, & ad lævam Altaris ſimul conditi ſunt. Hic Prior Helias Eccleſiam conſtruxit, Dormitorium vetus, atque Refectorium; qui ſepultus eſt in Eccleſia juxta gradum Presbyterii, ad pedes tumbæ Epiſcopalis. VI. Prior D. Petrus de Mantiaco: ſub quo D. Bernardus de Savena, Epiſcopus Lemovicenſis, de ſpeciali licentia Domini Papæ habitum Ordinis Artigiæ induit, & recepit, & in eodem habitu diem clauſit extremum apud Avinionem in feſto B. Mariæ Magdalenæ 1226. corpuſque ejus ſepultum in medio chori Artigienſis Eccleſiæ: Domnus vero Petrus in Capitulo coram Crucifixi imagine requieſcit. VII. Prior Bernardus Chauſos. VIII. Bernardus de Champaniſina. IX. Bernardus de Sancto Quintino. X. Guillelmus Galhardi. XI. Guillelmus de Cro-

„ filia ſepultus ibidem anno 1285. XII. Petrus de Pratis Brivenſis factus eſt in feſto Nativitatis B. Mariæ 1285. obiit menſe Auguſti 1313. Prioratus ſui anno 28. conſumato. Tum alia manu. XIII. Prior F. Guido de Parrochia Chambareta ſucceſſit anno 1313.

Eadem ferme recenſet Scriptor Hiſtoriæ Cleri Secularis, & Regularis Gallicæ exaratæ *Hiſtoire du Clergé Seculier, & Regulier* in appendice ad Tomum II. pag. 431. ubi de Congregationibus Ordinis S. Auguſtini adjectis fuſe diſſerit. Excerpta quæ ad Venetos Artigiæ Fundatores atque ad fundatum per eos Ordinem attinent hæc ſunt:

De l'Ordre de l'Artige.

Nous ne ſavons point l'année de la fondation de l'Ordre de l'Artige ni dans quel tems il a commencé à ſuivre la Regle de Saint Auguſtin. Il y a de l'apparence que ce n'a été qu'au commencement du treiziéme Siécle ou à la fin du douziéme que cette Regle a été introduite dans le Prieuré d'Artige, au Diocéſe de Limoges proche Saint Leonard d'où cet Ordre a pris ſon nom. Le premier Prieur & le Fundateur de l'Artige, fut le B. Marc de Veniſe qui étant ſorti de cette Ville avec le B. Sebaſtien ſon neveu pour aller en devotion aux tombeaux de pluſieurs Saints, vinrent à celui de Saint Leonard, où aiant reſolu de fixer leur demeure, ils furent entretenus pendant quelque tems par les Aumônes des Chanoines. Ils bâtirent un Oratoire dans le lieu qu'on nomme encore

De Ordine Artigiæ.

Nec annum ſcimus, quo Ordo ſacer Artigiæ eſſe cæpit, nec tempus quo Divi Auguſtini regulam adoptavit. Veri videtur ſimile inter confinia XII. & XIII. ſæculi Regulam hanc invectam fuiſſe in Prioratu Artigiæ diœceſis Lemovicenſis non longe a Sancto Leonardo unde nomen mutuavit. Fundator Artigiæ primusque omnium Præſes vel Prior, ut ajunt, fuit Beatus Marcus Venetus. Ille ſcilicet, & una cum illo ejus nepos Beatus Sebaſtianus e patrio ſolo diſceſſerant, ut devotionis ergo multa Sanctorum ſepulcra inviſerent, cumque ad Sanctum Leonardum deveniſſent, ibique ſedem figere ſtatuiſſent, aliquando Canonicorum eleemoſinis vitam ſuſtentarunt. Oratorium extruxerunt in loco, qui etiamnum vetus Artigia dicitur, & Beatus Marcus in multis corporis affi-

core aujourd' hui le viel Artige, & le Bienheureux Marc y pratiqua beaucoup de mortifications & d'auſterités. Il étoit jour & nuit revêtu d'une cotte de maille, il jeûnoit continuellement & affligeoit ſon corps de pluſieurs manieres. Se voiant proche de ſa mort, il établit ſon neveu Superieur en ſa place & mourut ſaintement; mais l'on ne ſait point en quelle année. Le Second Prieur de l'Artige, après le Bienheureux Marc, fut ſon Neveu Sebaſtien, qui eut pour Succeſſeur un homme ſimple craignant Dieu dont on ne ſait point le nom: ſe voiant maltraité par un Frere nommé Fuchard, il ſortit de l'Artige pour aller en Pelerinage à Saint Jacques en Compoſtelle où il mourut. Le quatriéme Prieur fut nommé Jean Nautonner, auquel Helie de Horta ſucceda. Ce fut du tems de cet Helie que les Religieux abandonnerent leur demeure pour aller dans une autre qui fut appellée le grand Artige; ce qui ſe fit du conſentement de Gerald Evêque de Limoges, qui ſelon Meſſieurs de Sainte Marthe mourut l'an 1177. Ce Prieur fit bâtir l'Egliſe, le Dortoir, le Refectoire, & fit porter dans ce nouveau Monaſtere le Corps des BB. Marc, & Sebaſtien; & ſi

afflictationibus, atque inſigni vitæ auſteritate ſe exercuit. Diu noctuque corpori admotum geſtabat induſium ex anulis ferreis intextum, jejunia aliud ex alio continuabat, multisque membra modis torquebat. Morti proximus nepotem ſuum ſibi in Prioratu ſucceſſorem delegit, & obdormivit in Domino, quo autem anno plane ignoramus. Alter igitur Artigiæ Prior poſt Beatum Marcum fuit ejus Nepos; cui ſucceſſit vir ſimplex, & timens Deum, cujus nomen penitus latet. Hic cum ſibi adverſari vidiſſet Fratrem quendam *Furchardum* nomine, Artigiam reliquit, atque ad S. Jacobum Compoſtellæ in Gallæcia peregrinationem inſtituit, ubi obiit diem ſupremum. Quartus Pior fuit Joannes Nautonnerius, qui Eliam de Horta habuit ſucceſſorem. Eo præſide Religioſa hæc familia ſtationem illam deſeruit, ut aliam incoleret, quæ dicta eſt Artigia Magna. Contigit hoc annuente Geraldo Epiſcopo Lemovicenſi, qui juxta eruditiſſimos viros Claudium, & Dioniſium de S. Martha vita ceſſit anno 1177. Elias Templum erexit, & domum, & Triclinium, atque in novum hoc Monaſterium tranſtulit corpora Beatorum Marci, & Sebaſtiani. Si fides eſt adhibenda

& ſi l'on veut ajoûter foi à un nouveau Catalogue des Prieurs de ce Monaſtere, raporté par le P. Labbé, les Chevaux qui conduiſoient les Corps de ces bienheureux, s'étant arrêtés dans le chemin, & n'aiant pas voulu marcher, le Prieur Helie commanda aux Bienheureux de ſe laiſſer porter, & ceux qui les conduiſoient arriverent ſans difficulté au Grand-Artige. Helie eut pour Succeſſeur Pierre de Mantiac & ce fut du tems de ce Prieur que Bernard de Favene Evêque de Limoges prit l'habit de l'Ordre de l'Artige du conſentement du Pape; mais il ne renonca pas pour cela à l'Epiſcopat, aiant toûjours gouverné le Diocèſe de Limoges juſqu'à ſa mort qui arriva l'an 1226. Une ancienne Chronique des Evêques de Limoges, qui eſt conſervée dans les Archives de l'Egliſe de Saint Martial, marque qu'il avoit pris la Croix pour aller contre les Albigeois, & qu'il mourut à Avignon dans l'armée du Roi.

Nous apprenons de Meſſieurs de Sainte Marthe, que la Regle de Saint Auguſtin étoit pour lors obſervée, dans le Monaſtere de l'Artige, ce qu'ils ont tiré d'une Chronique de la même Egliſe de Saint Martial, où en parlant de ce Prelat,

da novo Catologo Priorum hujus Monaſterii a P. Labbe concinnato, cum equi, qui ſacra corpora deducebant repente in media via conſtitiſſent, & progredi nulla ratione vellent; Elias Beatis Marco, & Sebaſtiano juſſit, ut ſe deferre ſinerent, & tunc inceptum iter ad uſque Artigiam Magnam ſine mora confectum eſt. Eliam excepit Petrus de Mantiaco, quo Priore Bernardus Favenius Lemovicenſis Epiſcopus habitum Ordinis Artigiæ aſſentiente Romano Pontifice induit, neque idcirco ſe ab Epiſcopatu abdicavit, cum Diœceſi Lemovicenſi præfuerit donec e vivis exceſſit anno 1226. Vetus Chronicon Epiſcoporum Lemovicenſium, quod aſſervatur in Archivo Eccleſiæ Sancti Martialis memorat Bernardum aſſumpſiſſe Crucem contra Albigenſes & Avenione in Regiis Caſtris obiiſſe.

Claudius & Dionyſius de Sancta Martha aſſerunt Regulam Sancti Auguſtini tunc temporis viguiſſe in Artigiæ Monaſterio, quod deſumpſerunt ab alio Chronico ejuſdem Eccleſiæ Sancti Martialis in quo dum agitur de hoc Epiſcopo di-

lat, il y eſt dit qu'il prit à l'Artige l'habit de l'Ordre de Saint Auguſtin, avec la permiſſion du Pape, & qu'il fut enterré à l'Artige. Mais cette Chronique ne s'accorde pas, quant à ſa mort, avec celle dont nous avons parlé; car celle-ci met ſa mort au mois de Juillet, & l'autre au mois d'Août.

dicitur eum induiſſe Artigiæ habitum Sancti Auguſtini Romano Pontifice annuente. Sed hoc ſecundum Chronicon minime conſonat cum primo quoad tempus mortis Bernardi Epiſcopi. Illud enim menſem Auguſti, hoc vero Julii menſem aſſignat.

Indulgentia XX. dierum conceſſa ab Alexandro III. Eccleſiæ S. Salvatoris in anniverſario dedicationis ejusdem.

A.

1172. 22. Julii.

Ex Tabulario Magni Sodalitii S. Theodori.

Alexander Epiſcopus (*a*) Servus Servorum Dei: Dilectis filiis Viviano Priori, & Fratribus S. Salvatoris de Rivoalto Salutem, & Apoſtolicam benedictionem. Apoſtolicæ Sedis auctoritate inducimur, & offitii noſtri debito provocamur, filiorum Eccleſiæ præces libenter admittere, & eorum juſtis poſtulationibus aſſenſum efficaciter indulgere, Hac itaque ratione inducti & de meritis Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli confiſi viginti dies de injuncta pœnitentia remittimus univerſis, qui Eccleſiam veſtram in anniverſario dedicationis ipſius devotionis gratia viſitaverint ſicut in die dedicationis ipſius Eccleſiæ noſcimur conceſſiſſe. Dat. Sign. xi. Kal. Auguſti (*b*)

(*a*) Alexander III. Pontifex Maximus conſecratus fuit Anno 1159. xii. Kalend. Octobris deceſſitque Anno 1181. vi. Kal. Septembris.

(*b*) Anno 1172. Alexander III. morabatur Signiæ in Latio, ubi ſolemnem Bullam Apotheoſis S. Thomæ Epiſcopi Cantuarienſis, & Martyris dedit iv. Idus Martii, atque inde Anno ſequenti 1173. ad urbem Anagniæ ſe reduxit. Bullar. Tom. II. pag. 423. noviſs. edit.

Gre-

Gregorii IX. Epiſtolæ circa controverſias inter Epiſcopum Caſtellanum, & Pauperes Contratæ S. Salvatoris publicantur in Eccleſia una cum litteris miſſis à Delegatis Apoſtolicis in eadem cauſa.

B.

1236. 10. Aprilis.

Ex Archivo Patriarchali.

IN Nomine Domini Dei & Salvatoris Noſtri Jeſu Chriſti Anno Domini milleſimo ducenteſimo trigeſimo ſexto menſis Aprilis die decimo intrante Indictione nona Rivoalti. Præſentibus Præsb. Antolino Plebano S. Samuelis, Præsbyt. Bellirimo S. Juliani. Thomas Præsbyter Canonicus Caſtellanus legit in Clauſtro S. Salvatoris, & poſtea publice alta voce in Eccleſia ejusdem S. Salvatoris de Venetiis præſentibus, & audientibus pluribus viris & mulieribus ejusdem contractæ quaſdam litteras ſigillatas ſigillis Dominorum B. Abbatis Carrariæ (*a*) G. Archipresbyteri & Ugonis Canonicorum Paduanorum hunc tenorem habentes. B. Abbas Carrariæ G. Archipræsbiter, & Ugo Canonici Paduani Domini Papæ judices Delegati. Univerſis Pauperibus Parrochiæ S. Salvatoris de Venetiis ſalutem in Domino. Noveritis Nos à Sede Apoſtolica hujus tenoris litteras recepiſſe. Gregorius Epiſcopus Servus Servorum Dei Dilectis filiis Abbati de Carrara Paduanæ Dioceſis. Archipræsbytero, & Magiſtro Hug. Canonicis Paduanis Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Transmiſſa nobis Ven. Fratris Noſtri. Epiſcopi Caſtellani (*b*) petitio continebat, quod cum pauperes de Venetiis falſo dicentes eumdem velle quartam partem decimarum pertinentem ad ipſos ſibi non ſine grave eorum præjuditium uſurpare ad Ven. Fratrem Noſtrum Vincentinum Epiſcopum (*c*) & ejus conjudices ſuper hoc contra eum noſtras litteras impetraſſent; iidem judices biennio & amplius jam elapſo in cauſa ipſa procedere non curarunt in ejus non modicum præjudicium & gravamen. Ne igitur ex prorogatione juditii juſtitiæ derogetur diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus quatenus ſi eſt ita judices moneatis eosdem ut infra duos menſes poſt monitionem veſtram in cauſa eadem finaliter prævia ratione procedant juxta præſentium continentiam litterarum; quod ſi adhuc extiterint negligentes vos ex tunc in ipſa ratione prævia juxta formam eis traditam procedatis, quod ſi non omnes hiis exequendis potueritis intereſſe duo veſtrum ea nihilominus exequantur. Datum Reatæ (*d*) Kalendas Aprilis Pontificatus Noſtri Anno VI. Verum quia mandatum Apoſtolicum nequimus relinquere indiſcuſſum & idem Epiſcopus opportunè & importunè inſtat ut in dicto negotio procedamus, cujus ad nos eſt cognitio devoluta, vobis auctoritate qua fungimur præcipiendo mandamus, quatenus octavo die a repræſentatione preſentium

(*a*) Abbatia titulo S. Stephani de Carraria olim a Monacis Ord. S. Benedicti exculta in Dioeceſi Patavina ſita eſt, ſeptem millibus paſſuum Patavio diſſita verſus meridiem; a Carrarienſibus, qui Patavii dominabantur fundata. Ad commendam deducta, modo ab Eminentiſſ. Cardinali Quirino poſſidetur.

(*b*) Caſtellanam Eccleſiam eo tempore adminiſtrabat Marcus Michael Venetus.

(*c*) Manfredus Triſſinus eo ipſo Anno 1232. adlectus fuerat ad Eccleſiam Vicentinam.

(*d*) Aliud Gregorii IX. Diploma invenitur in Bullario Romano Novi. Edit. datum Reatæ VI. Kal. Auguſti Anno Pontificatus ſui Sexto.

ſentium die repræſentationis in numero computato Paduæ in majori Eccleſia noſtro vos conſpetui præſentetis per procuratorem reſponſalem idoneum experituri cum dicto Epiſcopo Caſtellano ac reſponſuri eidem ſuper præmiſſis ſicut de jure fuerit faciendum; & ſi tunc non veneritis vobis præfigimus alium terminum peremptorium decem dierum in eodem loco, & ad id ſcituri, quod ſi tunc reſponſalem ydoneum non duxeritis deſtinandum quantum de jure poterimus procedemus. Quod ſi aliquis terminorum dictorum in die occurrerit feriata ſequenti die terminus ſit ſtatutus. Verum quia difficile eſt cuilibet veſtrum litteras hujusmodi præſentare ipſa legi in contrata, & in Eccleſia veſtra præcipimus publice, & habeatur hoc ipſum pro citatione facta canonice & de jure. quibus perlectis Præsb. P. Canonicus Caſtellanus, qui præſens erat tenorem ipſarum litterarum vulgariter expoſuit. Eodem modo & eisdem præſentibus lectæ fuerunt eædem litteræ & expoſitæ in plathea ejusdem Contratæ S. Salvatoris & ante hoſtium domus G. Fabri qui dicebatur Syndicus & procurator pauperum ejusdem Contratæ S. Salvatoris & expoſitæ fuerunt vulgariter coram ipſo Gerardo. Et ſic poſtmodum ipſas litteras præſentibus prædictis dictus Thomas depoſuit ſuper Altare Eccleſiæ prædictæ. Actum Venetiis in Contrata prædicti S. Salvatoris.

Ego Petrus Buniolo Præsbiter S. Juliani & Notarius rogatus interſui ſcripſi complevi & roboravi.

Indulgentiæ per Innocentium IV. conceſſæ viſitantibus Eccleſiam S. Salvatoris in die Transfigurationis Dominicæ.

C.

1245. 8. Auguſti.

Ex Tabulario Sodalitii S. Theodori.

INnocentius Epiſcopus Servus Servorum Dei Univerſis Chriſti fidelibus preſentem paginam inſpecturis ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem. Ad veneranda Sanctorum merita glorioſa Fideles Chriſti eò libentius invitamus, quo id ad eorum ſalutem novimus ſpecialius pertinere. Cupientes igitur Monaſterium Sancti Salvatoris de Venetiis congruis honoribus frequentari, omnibus verè pœnitentibus, & confeſſis, qui ad ipſum Monaſterium in Feſtivitate ejusdem cum devotione acceſſerint de Omnipotentis Dei Miſericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus authoritate confiſi quadraginta dies de injunctis ſibi pœnitentiis Annis ſingulis miſericorditer relaxamus. Datum Lugduni. Sexto Idus Auguſti Pontificatus Noſtri Anno tertio. (a)

(a) Innocentius IV. Anno 1245. qui fuit Pontificatus ejus Annus III. plurima diplomata Lugduni dedit Anno III. & ſequentibus ut videre eſt in Bull. Tom. III. Noviſs. Editionis.

Alexander IV. Indulgentias concedit Eccleſiæ S. Salvatoris in die Transfigurationis Dominicæ.

D.

1257. 5. Junii.

Ex Archivo Magni Sodalitii S. Theodori.

ALexander Epiſcopus Servus Servorum Dei: Dilectis filiis Priori, & Capitulo Monaſterii S. Salvatoris de Venetiis Ordinis S. Auguſtini Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Licet is, de cujus munere venit, ut ſibi à fidelibus ſuis digne, & laudabiliter ſerviatur de abundantia pietatis ſuæ, quæ merita ſupplicum excedit, & vota bene ſervientibus multò majora retribuat, quam valeant promereri; deſiderantes tamen reddere Domino populum acceptabilem fideles Chriſti ad complacendum ex quaſi quibusdam allectativis præmiis indulgentiis ſcilicet remiſſionibus invitamus, ut exinde reddantur Divinæ gratiæ aptiores. Cupientes igitur ut Eccleſia veſtra congruis honoribus frequentetur omnibus verè penitentibus, & confeſſis, qui Eccleſiam ipſam in feſto S. Salvatoris quod celebratur VI. Id. Auguſti, cujus ut aſſeritis eſt inſignita vocabulo venerabiliter viſitaverint de Omnipotentis Dei Miſericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi centum dies ſibi de injunctis pœnitentiis Annis ſingulis miſericorditer relaxamus. Dat. Viterbii Nonis Junii Pont. Noſtri Anno tertio. (a)

(a) Alexander IV. Anno 1257. & ſequenti Viterbii commoratus eſt, uti apparet ex Bullario Romano noviſſimæ editionis.

Conſilium Tarviſinum inquirit quid agendum ſit ſuper quæſtione illorum, qui dicunt ſe Priores S. Salvatoris de Venetiis.

E.

1314. 5. Octobris.

Ex Archivo Urbis Tarviſii.

Die Sabati 5. intrante Octubri 1314.

COnſilio 300. Civitatis Terviſii coram Nob. & potente Viro Domino Albertino de Canoſſa (a) honorabili Pot. Ter. in Minori Palatio Conſilii Terviſii ad ſonum Campanæ, & voce præconia more ſolito ſolemniter congregato, proponit idem Dominus Poteſtas, & petit ſibi Conſilium exhiberi quid ſit agendum, & quid facere habeat ſuper infraſcriptis propoſitis. Quid

(a) Albertus ſeu Albertinus de Canoſſa Reggienſis munus Poteſtatis in urbe Tarviſina ſuſcepit poſt Bernardum à Cornia Peruſinum Anno 1314. ut refert Bonifacius in Hiſtoria Tarviſina Libro VII. ubi de Venetorum legatione hæc affert: Della qual ricuperata libertà (Urbis ſcilicet Tarviſii poſt Henrici Imperatoris obitum) le Città vicine ſeco ſi rallegrarono, e particolarmente ciò fu fatto da Vinitiani, che per queſto effetto à Trivigi mandarono Enrico Delfino, e Nicolò Gradenigo Ambaſciatori; i quali dappoi eſſerſi

Quid faciendum ſit ſuper proviſione infraſcripta facta per certos Sapientes Viros electos per Dominum Poteſtatem, & ejus Curiam ex vigore Reformationis Conſilii 300. de quæſtione illorum, qui dicuntur ſe Priores S. Salvatoris de Venetiis, videlicet Fratrem Petrum Civrani de Venetiis, & Rolandinum de Padua, lecta, & vulgarizata in præſenti Conſilio per me Notarium, cujus Proviſionis tenor inferius declaratur.

In Chriſti Nomine. Proviſio facta per certos Sapientes Viros electos per Dominum Poteſtatem, & ejus Curiam, ex vigore reformationis Conſilii 300. ſuper facto negotii, quod agitatur inter eos, qui dicunt ſe Priores S. Salvatoris de Venetiis, videlicet Fratrem Petrum Civrani de Venetiis, & Fratrem Rolandum de Padua, & Colonos, ſive Inquilinos, ſive Livellarios terrarum, & Poſſeſſionum dicti Monaſterii S. Salvatoris de Venetiis, jacentium in Diſtrictu Tarviſii; Qui Sapientes ſunt hi videlicet Dominus Jo: Bonus de Matarellis V. J. Profeſſor pro Comune Tarviſii ſalariatus.
Dominus Rizzolinus de Azzonibus
D. Thebaldus de Roverio
D. Andalo de Reſio
D. Bartholomeus de Nordiglo
D. Ottobellinus de Corona
Avancius Drapator
Bonincontrus Magiſtri Pacis
Leonardus de Hermizo.

Qui Sapientes, Chriſti nomine invocato, dicunt omnes concorditer conſulendo, quod quæſtiones excommunicationis, quæ ventilantur inter prædictos, qui aſſerunt ſe Priores, ſi appoſitæ ſint coram judicibus deputatis pro Comune Tarviſii ad reddendum jura inter Venetos, & Tarviſinos debeant cognoſci, & terminari per D. Epiſcopum Tarviſinum, (b) & hiis terminatis, quod quæſtio dicti Fratris Petri de Venetiis, qui aſſerit ſe Priorem dicti Monaſterii S. Salvatoris, inter ipſum Fratrem Petrum ex una parte, & Colonos, ſive Inquilinos, ſive Livellarios, qui dicuntur conduxiſſe ab eo terras, & Poſſeſſiones dicti Monaſterii jacentes in diſtrictu Tarviſii ex altera parte reducatur coram judicibus Deputatis pro Comune Terviſii ad reddendum jus inter Venetos, & Terviſinos, & terminetur per eosdem ſecundum formam pactorum utriusque Communis.

eſſerſi pubblicamente rallegrati eſpoſero, che avendo gl'Avogari occupati alcuni beni nel Trivigiano de Frati di S. Salvatore di Vinegia, li pregavano à rimediare à queſta, e ad altre così fatte inconvenienze, acciochè le convenzioni loro con iſcambievole amore ſi manteneſſero. A che i Trivigiani riſpoſero, ch'eſſendo lor caro di conſervare l'amicizia, e i patti fatti, inquirirebbero contro gl'Avogari, e in queſta, e in ogni altra occaſione ſarebbero pronti à gratificargli, onde gl'Ambaſciatori ſi partirono ſodisfatti.

(b) Eccleſiam Tarviſinam Anno 1314. adminiſtrabat Caſtellanus Salomonius Epiſcopus.

In Conſilio Tarviſino legitur legatio Venetorum in ſcriptis exhibita.

1314. 25. Octobris.

Ex Archivo Publico Tarviſii.

Die Veneris 25. intrante Octobris 1314.

CUriis D. Poteſtatis Antianorum, & Conſolum Civitatis Terviſii coram dicto D. Poteſtate in camino (a) inferiori Palatii Communis Terviſii congregatis, ut ſupra, ſuper propoſitis per dictum D. Poteſtatem firmatum fuit per

 14. in

(7) De loco *Camino* nuncupato vide operis hujus Decad. I. pag. 196. not. 1.

14. in concordia tribus exiſtentibus in contrarium, quod Ambaxata facta, & data in ſcriptis per D.D. Henricum Delphino, & Nicolaum Gradonico Ambaxatores D. Ducis, & Communis Venetiarum proponatur ad conſilium 40. ut conſuluit D. Riſolinus de Azonibus conſul hujus Ambaxatæ tenor talis eſt: Hæc eſt forma Ambaxatæ quam ex parte D. Ducis, & ſui conſilii, & Communis Venetiarum facere debent, & faciunt Nobiles Viri D.D. Henricus Delfino & Nicolaus Gradonico Cives Venetiarum Ambaxatores, & Nuncii eorumdem D. Ducis & ſui Conſilii Rogatorum Vobis Nobilibus Viris D.D. Poteſtate Antianis, Sapientibus, Conſulibus, Gaſtaldionibus artium conſilio, & Communi Civitatis Terviſii & primo ſalutatione præmiſſa ſicut convenit, atque decet, vobis habent cum omni diligentia exponere, & exponunt infraſcripta: videlicet. Quod de liberatione & libertate Civitatis Terviſii a jugo, in quo videbatur collapſa tanto tempore, quæ videbatur de novo eſſe redactu ad ſtatum pacificum, & commune, Domini Dux & ſuum Conſilium, & Commune Venetiarum ut plurimum congaudentes, & ipſius Civitatis & hominum Terviſii tranquilitatem, quietem, & pacem, conſervationem, ac bonum & perſonarum ſtatum, & augumentum velut proprium affectantes, ut nobiſcum vivere poſſent in vero Amore, & quiete operam dederunt efficacem, ut omnes repreſſaleæ, quas eorum Veneti & fideles contra vos, & homines Terviſii habebant tollerentur, & ceſſarent omnino etiam in læſionem, & damnum (*b*) haverum ipſorum Venetorum habentium Repreſſalias contra vos, & veſtros, ſic ſcitis, & ut omnis inter nos, & vos ceſſaret materia quæſtionis, & verus amor, & quies inter vos, & nos vigeret, noviter ad pacta devenerunt vobiſcum, ut inter vos & nos ſummariè & ſine ſtrepitu & figura judicii ſolemnitate juris non ſervata, & ſubterfugiis, & cavillationibus reſecatis, & ſolum facta ſimplici petitione ſecundum ipſa pacta jus & juſtitia integre redderetur, quod ex parte ipſorum D. Ducis & ſui Conſilii & Communis Venetiarum fuit, & eſt cum omni puritate, & juſtiſſimè obſervatum, & proſecutum: ex parte autem veſtra continuam inobſervantiam ipſorum pactorum ſenſerunt, & ſentiunt atque vident oculata fide; de quo per ſuos & ſibi ſubjectos, & diſtrictuales laicos Eccleſiaſticos, religioſos, & quaſi, omnes quibus ſecundum pacta jus non redditur, ſed bonis & rebus ſuis depredantur, & ſpoliantur indebitè receperunt & recipiunt D. Dux, & ſuum Commune & Conſilium Venetiarum continuatas quærelas propter quas ipſos fatigatis, & fatigatis continuè in mittendo ad vos eorum litteras & ambaxatas cum gravibus laboribus, & expenſis, quæ non profuerunt hucuſque nec videntur proficere, nec ſibi ipſi ſperabant à vobis recipere, ut receperunt, & recipiunt, & habent, de quo non modicum admirantur, & turbantur in intimis, & non inmeritò ſicut poſſunt, & debent: & ſi gravantur, non debet eſſe admiratio apud vos. Nam in quæſtione maxime facti Petri Civrani Prioris & Conventus Monaſterii S. Salvatoris de Venetiis, in qua juſtitia eſt petita, & petitur coram vobis, & veſtris judicibus per vos conſtitutis per pacta contra homines laboratores, inquilinos, & habitatores & conductores Terrarum, & poſſeſſionum dicti Monaſterii poſitarum in diſtrictu Terviſino juſtitia omnino non eſt ſervata, nec ſervatur ſicut ſervari debet per pacta ſicut vos plenè noſtis. Immo indebitè inſurrexerunt & inſurgunt quidam veſtri Cives, qui appellantur Advogarii in maxima potentia conſtituti, Deum non timentes, nec pacem, nec quietem inter Communia Venetiarum & Terviſii diligentes, qui poſitis potentialiter eorum armaturis in poſſeſſionibus & terris dicti Monaſte-

(*b*) *Haverum*, nempe reddituum, jurium, prædiorum &c. deducta eſt à verbo *Habeo Habere*.

naſterii S. Salvatoris ſitis in Terviſino diſtrictu in animarum eorum periculum, & dicti Monaſterii læſionem non modicam, & præjudicium manifeſtum occupaverunt & occupant potentialiter bona & jura ipſius Monaſterii, & detinet occupata indebitè & ipſum Priorem, & ſuos factores & Syndicos dicti Monaſterii ſua potentia terrendo cum minis. Ex quo D. Dux & ſuum Conſilium, & Commune Venetiarum, qui putabant Civitatem Tarviſii & ipſius tantum in libertatem deductam & in æqualitate, & Communi perſiſtere, eorum opinionem, & intentionem fruſtantur, & ipſam Civitatem & ipſius ſtatum propter hoc videtur in multorum potentium Civium veſtrorum inſidiantium ac nocentium laqueis eſſe collapſam. Audierunt enim D. Dux & ſuum Conſilium & Commune Venetiarum, quod dicti Advogarii per adventitia quædam figmenta coram vobis & veſtris judicibus per pacta conſtitutis, & aliis etiam quaſdam excommunicationum exceptiones fingunt, & proponi faciunt; & etiam coram Epiſcopo Terviſino, & ejus Vicario, per quas colorant, ut juſtitia non fiat per pacta prædicta, ſed quod omnino turbetur & impediatur indebitè, quæ figmenta & excommunicationum exceptiones, cum expreſſe ſint contra pacta, nec deberent per vos, & veſtros judices recipi, vel admitti, quæ nec ad honorem veſtrum & bonum ſtatum Terviſii nec eidem Epiſcopo & ſui Vicario pertinere noſcuntur, & bene cognoſcunt Domini Dux, & Commune Venetiarum, & vos etiam cognoſcetis ſatis clarè quod apud nolentes pacta ſervare, viæ ſubterfugii non deeſſent, quod ſemper contra quemlibet fidelem D. Ducis, & diſtrictualem, qui contra Cives Terviſinos coram vobis, & veſtris judicibus prædictis deputatis per pacta vellent petere, & proſequi, ſeu conſequi jura ſua, & exceptio excommunicationis, & quælibet alia poſſet proponi, ſi per nos, & ipſos judices deberet recipi, vel admitti, ſic fidelium, & diſtrictualium D. Ducis, & Communis Venetiarum jus, & juſtitia damnificaretur, & pacta prædicta nihil operentur, & D. Dux & Commune Venetiarum, qui cum grata puritate, & bona voluntate, & amore ac quiete, videlicet pacta prædicta invenerunt, ſeu fecerunt eorum intentionem fruſtrati, & ſic per hoc invenirent ſe & ſuos fore deceptos. Propter quod habetis infra clauſuram veſtri pectoris diligenti præmeditatione revolvere, ſi hæc ad veſtrum bonum ſtatum, vel honorem Civitatis Tarviſii ſpectant, vel ſpectarent & ſi D. Dux, & Commune Venetiarum prædicta haberet portare, & coniventibus oculis pertranſire, quod omnino non poſſunt, nec etiam intendunt portare niſi corrigantur. Inſuper licet in cauſa, & quæſtione Abbatis Monaſterii S. Cypriani de Murano (*c*) Torcellanæ Diœceſis, ad quam pleno jure ſpectat locus S. Elenæ de Texaria (*d*) cum poſſeſſionibus, & juribus ſuis, nec non Prioris dictæ S. Elenæ, quod coram vobis, ſeu dictis veſtris judicibus per pacta deputatis diù duravit de certis poſſeſſionibus & bonis poſitis in Texaria, pro quibus de ipſis terris & poſſeſſionibus per ipſos veſtros judices legitimè fuit, & eſt lata ſententia, & executioni mandata, in tantum quia poſiti ſunt in tenutam de eiſdem, & mandatum cuidam Joanni Cavaler de Texaria, qui eas laborat, quod de ipſis Terris ipſi Abbati, vel Priori de cetero reſpondeat, vobis regratiatur D. Dux ſuper eo quod feciſtis, quia in hac parte feciſtis, quod facere debuiſtis per pacta. Verum quia nihil videtur eſſe actum, ſi ſupereſt aliquid ad agendum quia dictus Joannes, qui eas laborat noluit, nec vult exire de ipſis poſſeſſionibus, nec eas dimittere ipſi Abbati vel Priori expeditas,

ditas,

(*c*) Monaſterium S. Cypriani regebat Morandus ſeu Morandinus Abbas.

(*d*) Texaria vulgò Teſſera rus eſt in agro Tarviſino non longe ab oppido Meſtris Venetis æſtuariis contermino.

ditas, nec etiam ſibi de ipſis reſpondere ſine mandato dictorum Avogariorum, ſub quorum umbra & potentia dictus Joannes Cavalerius, & illi Cives veſtri, qui ipſis Abbati & Priori ſuper ipſis poſſeſſionibus & bonis injuſtam litem movebant & contra quos fuit & eſt lata ſententia ipſa & exequtioni mandata vivunt & ſe deffendendo cooperiunt eis publice favorantibus dictis Civibus veſtris Advogariis, & aliis eorum ſequacibus, qui eiſdem Abbati & Priori cominantur offendi in perſonis. Vos requirunt & rogant Ambaxatores prædicti ex parte D. Ducis, & Communis Venetiarum ut in hac parte vobis placeat dictam ſententiam deffendere, & tueri veſtra potentia, & juriſdictione & ipſos Abbatem, & Priorem in dicta poſſeſſione & tenuta inductam deffendere, & conſervare & ipſum Joannem & quoſcunque alios Rebelles & illicitos detentores a dicta poſſeſſione amovere, & de ipſis terris & bonis ipſi Abbati, & Priori facere integrè reſponderi contra ipſos Advogarios & alios Rebelles, ſi qui fuerint, taliter procedentes, quod inde vobis cedat ad decus D. Dux, & Commune Venetiarum habeat merito contentari, ſicut ſperat vos facturos nec inde cogantur pro ipſorum ſuorum Abbatis, & Prioris aliter providere de eorum indemnitate remediis opportunis.

Item quod vos, ſicut ſcitis, conſenſiſtis & conſentitis, & faciſtis in Tarviſio a fidelibus D. Ducis novum Datium & inſuetum exigi, & indebitè accipi ad portam S. Martini videlicet de qualibet beſtia groſſa quæ per Venetos & fideles D. Ducis inde conducitur perveniendo verſus Venetias denariorum ſeptem parvorum, & de qualibet Beſtia minuta duos denarios parvorum; quos denarios ſolvere conſtringitis de Datio noviter impoſito ſub nomine dictorum Advogariorum ſicut D. Duci eſt cum querela expoſitum.

Item quod de quarta parte Beſtiarum quæ per fideles D. Ducis conducuntur de extra diſtrictum Tarviſii ad Civitatem Tarviſii ut inde Venetias conducantur, quæ pars quarta conſuevit ſolum per tres dies apud Tarviſium remanere ut vendatur in Tarviſio emere volentibus, quæ quarta pars ſi non emebatur infra ipſos tres dies, dictis tribus diebus elapſis libere de ipſis Beſtiis Venetias conducendis ſiebat littera, & ſigillum Communis Terviſii ſidelibus D. Ducis per eos. . . . . ſoluto Datio conſueto vos noviter ultra ipſum antiquum Datium exigi feciſtis & facitis in Tarviſio à fidelibus D. Ducis de ipſa quarta parte ſcilicet de quolibet Bove & Porco Denarios parvos duodecim; & de qualibet Beſtia minuta Denarios quatuor parvorum de datio, quod Datium per vos noviter eſt impoſitum.

Item quod Philippo Beccario de Venetiis fideli D. Ducis, cui ſicut ſcitis jamdiù ſolvere promiſiſtis de ſuis caſtratis ſibi indebitè acceptis in Tarviſio nondum ſatisfeciſtis, nec ſatisfacitis verbis putantes ſolvere, quod factis noſcitur eſſe ſolvendum ſeu complendum.

Item quod D. Dux, & Commune Venetiarum per continuas quærelas recipit, & recepit quod vos non ſolum prædicta ſuperius per ordinem expreſſa feciſtis & facitis contra Venetos, & diſtrictuales D. Ducis, qui deberent eſſe in Tarviſio & diſtrictu liberi & ſecuri cum rebus & bonis eorum, & qui deberent per vos & veſtros begnigne recipi, & tractari ſicut facit D. Dux veſter in Venetiis ſine minimo gravamine, vel offenſa continue gravantur, & injurantur, imputantur, & moleſtantur, ac impediuntur in rebus & bonis eorum & frumento, & blado per vos & veſtros in Tarviſio & diſtrictu nec inde juſtitiam aliquam vel eorum jura ipſi poſſunt conſequi vel habere ſed continuè eorum juribus & intereſſe ipſi Veneti fruſtrantur & per ſubterfugia, & dilationes, & cavillationes fruſtratorias in longum deducuntur. Quid plus etiam frumentum groſſum D. Ducis quod de Venetiis cum ejus Barca pridie miſerat more ſolito ad macinandum ad Molendina de Melma veſtri diſtrictus, Baroarii veſtri, & Præcones dictum

ctum frumentum ſeu farinam cum Barca violenter acceperunt, & conduxerunt Tarviſium. Volentes inter ſe Farinam dividere, quamquam dicta farina per vos inde fuerit reſtituta cum Barca cum gravibus expenſis D. Ducis, & laboribus. Quæ omnia & ſingula ſuperius ennarrata & articulata per ordinem tanto diſplicent D. Duci, & ſuo Conſilio, & Communi Venetiarum & ſunt inſoportabilia, gravia, aſpera, & moleſta quanto plus eſſe poſſunt, & debent, & ſicut tantorum exceſſuum & gravaminum, quæ ſic facta ſunt, ut prædicitur & ſic continue per vos & veſtros potentes, & alios crebeſcunt, & ſiunt enormitas eſt habenda, & ideo ſuper prædictis omnibus & ſingulis caſibus & articulis & eorum quolibet vos amicabiliter, & begnigne ex parte dictorum D. Ducis & ſui Conſilii & Communis Venetiarum requirunt, & rogant Ambaxatores præfati, ut ſuper primo articulo ipſius Prioris & Monaſterii S. Salvatoris ſuper quo habent D. Dux & ſuum Conſilium & Commune Venetiarum per ſolemnes ſapientes juris, quibus clare aſſerunt, quod ipſius Prioris & Monaſterii S. Salvatoris juſtitia opprimitur, & pacta non ſervantur, & etiam quod ſi quæſtio eſt delata de aliqua excommunicatione coram vobis vel veſtris judicibus per pacta deputatis vel coram Epiſcopo Tarviſino vel ejus Vicario vel coram quocumque alio quæſtionem pendere ſavetur & jura Monaſterii S. Salvatoris non ſunt jura prædicta, & ideo ſervandum jus, & ſecundum pacta aggravari & admirari coguntur D. Dux & Commune Venetiarum qualiter ſic proceſſerunt, & procedunt prædicta, quæ tam diutius durarunt & longe tractata ſunt, nec ex parte veſtra effectum debitum receperunt, nec recipiunt, nec pacta D. Duci & ſuis fidelibus ſervantur. Quare vobis placeat non obſtantibus talibus frivolis exceptionibus, quæ per pacta per vos & per veſtros judices non debent recipi vel admitti ipſi Priori vel Monaſterio & Fratribus S. Salvatoris vel ſuo Syndico & Procuratori per ipſos inquilinos de bonis plenè facere reſpondere clipeum & Murum defenſionis veſtræ contra ipſos potentes Advogarios opponendo, & reſiſtendo, ſeu adjuvando eiſdem ſicut tenemini, & debetis & juriſdictioni & offitio veſtro, & de jure & etiam per pacta & quod ipſi Priori, vel Monaſterio, vel Fratribus S. Salvatoris per vos, & veſtros judices ſecundum pacta jus expediatur, & jura ſic jamdiù impedita & ſubtracta faciatis ipſi Priori vel Monaſterio vel Fratribus S. Salvatoris vel eorum Procuratori & Syndico ſolvi & reſtitui impedimento quolibet ceſſante, & ſi vos vel veſtri judices prædicti vel Epiſcopus Tarviſinus vel ejus Vicarius delectamini vel delectentur in talibus impedimentis, ſatis vos poteſtis credere & pro firmo tenere quod vobis aut quibuscumque veſtræ juriſdictionis apud D. Ducem & Commune Venetiarum jus etiam minus redderetur vere de damnis veſtris & veſtrorum Curatorum D. Dux & Commune Venetiarum ſicut non debent, nec etiam poſſent vel poterunt portare quin provideatur pro indemnitate dicti Prioris Monaſterii & Fratrum S. Salvatoris, ſi prædicta per vos non ſiant opere & effectu, & contra vos & contra veſtros opportuno remedio, ſicut facti qualitas exegerit, & D. Ducis decebit honorem: & ſi ad hoc intenditis ipſam reſtitutionem vobis placeat fieri facere nomine dicti Monaſterii illi, cui dicti Ambaxatores duxerint ſi placet nominandum & vobis præſentandum.

Et in Articulo dicti Monaſterii S. Cypriani vobis placeat dictum Joannem Cavallerium & quoslibet alios illicitos detentores, ut dictum eſt a dicta poſſeſſione amovere contra ipſam poſſeſſionem facere dimitti ipſi Abbati, & Priori S. Elenæ liberam & expeditam ſibique de ea faciatis plenarie reſpondere, & quod dicto Philippo Beccario de propriis caſtratis vobis placeat ſine ulteriori dilatione ſatisfacere, ut promittitis & debetis & quod novitates & datia de novo per vos impoſita contra Venetos vobis placeat removere & ab ipſis Datiis exigendis & gravaminibus

& im-

& impedimentis & injuriis fidelibus D. Ducis, & blado, & aliis inferendis, de cætero vobis placeat abſtinere & veſtros facere abſtineri Venetos & fideles D. Ducis begnigne tractantes, & tractari facientes, & quod ablatum eſt de ipſis nobis Datiis indebitè nobis placeat reſtitui facere ſicut debetis & ſicut ſperant de vobis. Alioquin licet inviti D. Dux & Commune Venetiarum contra vos & veſtros de Datiis imponendis, & aliis novitatibus inferendis per omnem modum, & viam, qua poterunt providere curabunt, ſicut facti qualitas exegerit, & ſuum pro prædictorum reparatione decebit honorem remediis opportunis non intendentes prædicta ulterius aliquatenus tollerare.

Conſilio Tarviſino proponitur, & in eo legitur Ducis & Reipublicæ Venetiarum reſponſio.

1314. 18. Novembris.

Ex Archivo Tarviſino.

Die Lunæ 18. Novembris 1314.

Congregatis Curiis Antianorum & Conſulum coram dicto D. Poteſtate ut ſupra congregata ſicut firmatum per 22. nemine diſcrepante quod reſponſio D. Ducis, & Communis Ven. infraſcripta proponatur ad Conſilium 40. Cujus tenor talis eſt. (*a*)

Ad Ambaxatam expoſitam per diſcretos Viros Jacobum de Piro & Jacobum de Clarelo Ambaxatores Communis Tarviſii: Hæc eſt reſponſio Illuſtris Domini D. Ducis & Communis Veneciarum videlicet, quod brevi tempore elapſo per quamplures Ambaxatores, quos amicabiliter requiſierunt ut D. Poteſtas & Communis Tarviſii in articulo quæſtionis Abbatis Monaſterii S. Cypriani de Murano ſeu Prioris S. Elenæ de Texaria ſuper Sententiis eorum exequendis facerent, quod juſtum eſſet, ipſas ſententias effectualiter exequtioni mandando ut jus & pacta requirunt, ac etiam ſuper exatione Mudæ, & Datii novi de animalibus per Civitatem Tarviſii conductis exactis contra Mercatores Beccarios de Venetiis ad portam S. Martini ſub nomine Advocariorum de Tarviſio facerent ceſſari & ut accepta reſtitui, & etiam ſuper exatione indebite Mudæ quartæ partis beſtiarum, quæ in Civitate Tarviſii trahunt moram per tres dies juxta ſolitum eis placeat & facerent abſtineri & exacta tali occaſione facerent reſtitui. Ad quæ capitula reſponſio ipſorum Poteſtatis & Communis Tarviſii fuit in Capitulo S. Cypriani quod intendebat quod Abbas S. Cypriani ſeu Prior S. Elenæ a quoquam non gravaretur & intendebant quod idem Abbas ſeu Prior cum effectu tam in ſententiando, quam in exequendo reciperet integre ſua jura, & in articulo de Datio noviter exacto ad portam S. Martini per Advogarios & alios ſub eorum nomine de animalibus intendebant nihil eſſet acceptum niſi acciperetur in ſolitum & exacta facerent plene reſtitui, & in articulo Datii accepti de quarta parte Beſtiarum quidquid acceptatum eſſet ultra conſuetudinem facerent plene reſtitui, & a ſimilibus abſtineri. Requirentes ut de acceptis eos D. Dux & Commune Venetiarum certiores redderent. In his quidem articulis

(*a*) De hac legatione vide Boniſatii Hiſtoriam Tarviſinam ad Annum 1415. pag. 267.

ticulis ſic reſponſio D. Ducis, & Communis Venetiarum eſt; quia ſi in facto S. Cypriani ſeu S. Elenæ eſt impletum, ut reſponſio eorum fiat cum opere & effectu D. Dux & Commune Venetiarum contentant & regratiant eiſdem & ſi quid deficiat amicabiliter requirunt compleri; & modo conſimili ſi ab exactione Datii de animalibus per advocarios ceſſatum eſt, & ceſſabitur in futurum D. Dux & Commune Venetiarum contenti ſunt cum reſtitutione acceptorum, & ſic erunt impoſterum & in articulo Datii de quarta parte beſtiarum contra ſolitum modum aut conſuetudinem ſi firmiter ceſſatum eſt, & ceſſabitur gratum erit D. Duci & Communi Venetiarum cum ſatisfactione acceptorum condigna, quæ ut poſſit fieri recte declarant D. Dux & Commune Venetiarum: accepta indebitè ſicut continet ſcriptura quæ in fine præſentis reſponſi diſtinctè continetur, & ſperant, & requirunt in amore quod prædicta recipiant effectum debitum, & juſtum, & cum opere & cum effectu, quia ſi non reciperent ſatis poteſt eſſe notum eis, quod oporteret D. Ducem, & Commune Venetiarum ſuper indemnitatem providere, & in Datiis, & aliis novitates facere contra Tarviſium, quod quantum eſt pro ſua parte facere nollent, & in articulo Philippi Becoarii de Venetiis reſponſum dictorum Poteſtatis & Communis Tarviſii fuit, quod ejus ſatisfactio erat dilata impotentiæ defectu, & fieret ad Feſtum S. Martini jam elapſum, quæ ſi facta non eſſet nec fieret ſecundum promiſſum Domini Dux, & Commune Venetiarum moleſtum cogerentur habere & indemnitate dicti Philippi Beccarii de Venetiis, qui præcipue eſt cordi Domini Ducis & Communis Venetiarum in quo reſpondent Ambaxatores Communis Tarviſii prædicti, quod omnis ſollicitudo habita eſt habebitur, & habetur per Poteſtatem & Commune Tarviſii, & quod in ipſo negotio taliter procedetur contra colonos & inquilinos Monaſterii ſupradicti, quod erit ſecundum juſtitiam & formam pactorum, & quod judicibus deputatis per pacta injunctum eſt, ut in ipſa quæſtione procedant, & ad expeditionem intendant. Hæc eſt reſponſio Dominorum Ducis, & Communis Venetiarum, quod talia verba & talem reſponſionem trahunt ad bonum & juſtum intellectum & credunt, quod intentio eorumdem Poteſtatis, & Communis Tarviſii portet quod coloni & inquilini Monaſterii S. Salvatoris ſolvant, & reſpondeant ipſo Monaſterio S. Salvatoris, cujus ſunt jura prædicta & economus ipſius loci de juribus & rebus ipſius Monaſterii in Tarviſino diſtrictu & ſecundum talem intentionem fecerunt Ambaxatæ quamplures Domini Ducis, & Communis Venetiarum ſuper ipſo facto, & caſu & ſic credit, & ſperat D. Dux & Commune Venetiarum: & rogat quod fiat opere & effectu & ſi hæc ita non fierent D. Dux ex juramento quo tenetur ad jura dicti Monaſterii conſervanda haberet, & eum oporteret moveri ad providendum ſuper hæc remediis opportunis & quod prædicta jura dicti Monaſterii eſſent ſalva, & ipſi Monaſterio præſtarentur; & mirantur D. Dux & Commune Venetiarum quomodo poterit procedi, quod olim Poteſtas & Commune Tarviſii removerent Iconomos, & Procuratores dicti Monaſterii de tenuta, & poſſeſſione bonorum ipſius Monaſterii, & conſenſerunt, & conſentiunt quod armaturæ Advogariorum de Tarviſio fuerunt & manent in eis affixæ per ipſorum Advogariorum potentiam quas ſi recte agunt Poteſtas & Commune Tarviſii habent omnino facere removeri, & bona ipſius Monaſterii in ſtatu ſuo ipſi Monaſterio & ipſis Iconomis & Procuratoribus dicti Monaſterii conſervare, & facere aſſignare, nec vident quod excuſatio ipſorum Advogariorum fulciatur monumento aliquo rationis, & utilius & honeſtius agerent dicti Advogarii ſi in prædictis ceſſarent. In eo vero quod rogant Poteſtas & Commune Tarviſii, quod D. Duci & Communi Venetiarum placeat quod quæſtio principalis Prioratus S. Salvatoris inter Priores litigantes ſummarie terminetur, ſic,

eſt reſponſio D. Ducis quod ad hoc dabit operam & dabit libenter ſecundum potentiam dationis, quia dicitur, & docetur, quod ipſa quæſtio in Curia Romana pendet nec partes poſſunt ex ſua juriſdictione ad hoc compellere. In articulo vero, quod Ambaxatores Tarviſini præfacti ex parte Poteſtatis & Communis Tarviſii requirunt & rogant D. Ducem & Commune Venetiarum quod eis placeat Magdalenæ uxori Alberti de Bazoletto Civis Tarviſini facere fieri juſtitiæ complementum in his, quæ habere debet de bonis quondam Marci Querini ejus Patris, ſecundum formam teſtamenti dicti qu. Marci ob morem Communis Tarviſii, & ſecundum formam juſtitiæ, & pactorum inter Communia Venetiarum & Tarviſii initorum. Hæc eſt reſponſio Ducis & Communis Venetiarum quia ſicut alias reſponderunt ſuper ipſo articulo, ſic adhuc eſt eorum reſponſio habita in hoc pleno Conſilio, quia ex eo quod idem Marcus in crimen læſe Majeſtatis comiſit ut publicum & notorium eſt de quo fuit damnatus & bona ejus confiſcata, non vident ipſam Magdalenam juſte intendere nec commune Tarviſii juſte informatum eſſe, eidem tamen Magdalenæ & cuicumque non deficerent Domini Dux & Commune Venetiarum in eo quod eſſet rationabile, & juſtum & poſſet videri per jura & pacta inita inter Commune Venetiarum & Commune Tarviſii eſſe fiendum amicabiliter, & de jure.

Electio Matthæi de Cochis in Plebanum S. Salvatoris.

F.

1419. 27. Decembris.

Ex Tabulario Viri Nob. Petri Gradonico de S. Juſtina.

NOtum ſit omnibus preſens Inſtrumentum inſpecturis qualiter infraſcripti Nobiles Veneti habitantes in Contrata S. Salvatoris de Venetiis & habentes Domos in dicta Contrata, nec non omnes Parochiani ipſius Contratæ aſſumpſerunt elegerunt voluerunt, & eſſe dixerunt ac aſſumunt, eligunt, volunt, ac dicunt habere in Offitium Plebanatus & per Plebanum ipſius Contratæ Venerabilem Virum D. Presbiterum Mattheum de Cochis ad preſens Capellanum ipſius Contratæ etiamdiu quia viderunt ipſum eſſe idoneum ad talia gerendum in tali cura, & eſſe honeſtæ vitæ & bonæ famæ &c. Nomina quorum Nobilium & Parochianorum ſunt hæc Nobiles Viri Domini Hieronymus Bembo, Aloyſius Bembo ejus Frater, Laurentius Bembo filius dicti D. Hieronymi, Andreas Venerio, Joannes Delphino, Delphinus Delphino Franciſcus Venerio qu. Domini Joannis nomine ſuo, & uti Commiſſus D. Antonii Fratris ſui, Andreas Michael & Fratres qu. Domini Thomæ Daniel Maripetro q. D. Bernardi, omne ſupraſcripti partim habitant Domos, ſeu poſſeſſiones in dicta Contrata, ac habitant Domos, ſeu poſſeſſiones in dicta Contrata, ac habitant & partim non. Item alii Parochiani ſunt iſti; Videlicet Ser Aloyſius de Georgio Ser Joannes de Georgio Ser Jordanus Nicolai, Ser Jacobus de Vincentia Ser Antonius de Balbi & filii Ser Joannes qu. Marci, Ser Leonardus de Avantio, Ser Enricus q. Petri Ser Petrus Albeganus, Ser Antonius q. Mauritii, Ser Alexander a Cerva, Ser Antonius a Columpna qu. Ser Nani, Ser Petrus de Pavanis, & Fratres omnes ſupraſcripti ſunt Merzarii. Item Aromatarii ſunt iſti videlicet Ser Oliverius a Columpna Ser Angelus qu. Franciſci Ser Antonius à Spata, Ser Joannes Zoja Ser Petrus de Beziſa Cam-

pana

pana Ser Angelus Tornibono, Ser Paulus Falerio ab Annunciata Ser Jacobus Briti &c. Item alii Parochiani facientes diverſas artes, & primo Ser Corradus Burſarius Ser Albertus Criſtallarius Ser Zaccarias Zonello a Serico Ser Franciſcus Azalino Cultrarius Ser Antonius q: Joannis Battibombazo Ser Marcus q: Joannis ab Areſio Ser Angelus q: Franciſci de Comitibus Calderarius & Fratres Ser Nicolaus Centurarius Ser Nicolaus Trono Ser Petrus Nigro Ser Jacobus Mora Fuſtagnarius & Ser Facius Ser Baſilius Strazarolus Ser Gaſpar Bidelus Ser Jacobus Naxo Fuſtagnarius Ser Galleazus a Mayno Ser Beltraminus Fuſtagnarius concluſive omnes alii Parochiani unanimes & concordes ut predictum & volunt habere ipſum prædictum Dominum Presbiterum Mattheum de Cochis per Plebanum; De qua quidem electione Ego Notarius infraſcriptus rogatus ab ipſis Parochianis preſens Inſtrumentum confeci cum ſubſcriptione teſtium manibus ipſorum annotata.

Teſtes { Ser Petrus Coſanarius / Ser Beltrame Aringarius } Ambo vicini, & de Confinio ſupradicto.

Ego Natalis Colonæ Eccleſiæ S. Leonis Plebanus & Venetiarum Not. complevi & roboravi.

Eugenius IV. Thomæ Thomaſino Epiſcopo Tragurienſi adminiſtratori Monaſterii S. Salvatoris Venetiarum mandat ut ex Ordine Sancti Auguſtini vigintiquinque Canonicos aſſumat ad Monaſterii reformationem.

G.

1434. 11. Januarii.

Ex Archivo Monaſterii Corporis Domini Venetiarum.

EUgenius Epiſcopus Servus Servorum Dei Venerabili Fratri Thomæ Epiſcopo Traguriensi ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem. Ex injuncta nobis deſuper cura officii paſtoralis, ad ea potiſſime vigilamus ſtudiis indefeſſis per quæ Monaſteria, & alia loca Religionis inſignita tam in ſpiritualibus quam temporalibus per reformationis optatæ miniſterium votivis in Domino proficiant incrementis. Sane dudum ad bonum regimen & reformationem Monaſterii S. Salvatoris de Venetiis per Priorem ſoliti gubernari Ordinis S. Auguſtini Canonicorum Regularium Caſtellanæ Diœceſis, quod tempore aſſumptionis noſtræ ad apicem ſummi Apoſtolatus ex Conceſſione, & diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ obtinebamus, noſtræ mentis intuitum dirigentes, Te dicti Monaſterii in eiſdem ſpiritualibus & temporalibus adminiſtratorem uſque ad noſtrum beneplacitum auctoritate Apoſtolica fecimus, conſtituimus, & etiam deputavimus, prout in noſtris inde confectis litteris plenius continetur. Cum autem ſicuti nobis poſtmodum ſignificare curaſti in eodem Monaſterio unus dumtaxat ipſius Ordinis Canonicus ſenio confectus, ad preſens reſideat, & duo vel tres alii ipſius Monaſterii Canonici ſint hinc inde diſperſi, qui ſi etiam ibidem reſiderent perſonaliter, minime tamen ad ipſius Monaſterii reformationem eſſent idonei. Nos ejuſdem Monaſterii ſtatui & optate gubernationi quantum fieri poteſt providere cupientes, ac de virtutibus tuis geren-

tes in Domino fiduciam ſpecialem firmeque tenentes, quod per tuæ prudentiæ opus ipſum Monaſterium in eisdem ſpiritualibus & temporalibus felicia ſuſcipiet incrementa ; volentes quoque quod deinceps ipſius Monaſterii Gubernator & Rector exiſtas, & etiam nuncuperis ; conſtitutionem & deputationem prædictas uſque ad dictæ Sedis beneplacitum eadem auctoritate prorogamus ; Quodque de Religioſis ſub ipſius Sancti Auguſtini Regula viventibus Ordinum quorumlibet preterquam mendicantium perſonis uſque ad numerum vigintiquinque in Canonicos & Fratres ipſius Monaſterii per Te recipi & aſſumi, ac quod perſonæ prædictæ de Monaſteriis ſive locis in quibus profeſſionem regularem emiſerunt ad S. Salvatoris etiam ſuorum Superiorum licentia minime petita vel obtenta tranſire, & in eo ſub illius habitu regulari perpetuo remanere valeant, auctoritate prefata tenore præſentium indulgemus. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac Monaſteriorum, locorum, & Ordinum prædictorum juramento confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ voluntatis, prorogationis & conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXXXIV, Quinto Idus Januarii Pontificatus Noſtri Anno quarto.

Eugenius IV. remiſſiones peccatorum indulget viſitantibus Eccleſiam S. Salvatoris in Feſto Transfigurationis Domini, & in die S. Theodori M.

H.

1434. 13. Septembris.

Ex Archivo Sodalitii Sancti Theodori.

Eugenius Epiſcopus Servus Servorum Dei. Univerſis & ſingulis Chriſti fidelibus præſentes litteras inſpecturis Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Etſi ſub Sanctorum vocabulis fundatæ Eccleſiæ a Chriſti fidelibus merito debeant honorari, dedicatæ tamen in honorem, & ſub vocabulo Salvatoris, qui unus eſt, & verus Creator omnium, Deus expiator mentium, & earum ductor ad ipſum; eo majori devotione, & frequentatione devotiori ſunt ab ipſis fidelibus venerandæ, quo Salvator ipſe nos æterna morte poſſeſſos, ut reſurgeremus cum eo, & quieſceremus in pace ab illius cruciatibus per aſperſionem ſui prætioſi Sanguinis liberavit. Cupientes igitur, ut Eccleſia Domini Salvatoris de Venetiis Caſtellanæ Diœceſis, quam olim cum Cardinalatus fungeremur honore Apoſtolica nobis auctoritate conceſſam tenuimus, & in qua per decem Præsbiteros & alios ſervitores in Divinis Offitiis laudabiliter deſervitur, & perpetuis futuris temporibus auctore Domino ſervietur congruis frequentetur honoribus, & ut Chriſti fideles eo libentius cauſa devotionis confluant ad eamdem quo ibidem dono Cœleſtis gratiæ conſpexerint ſe refectos de Omnipotentis Dei miſericordia & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi omnibus verè pœnitentibus, & confeſſis; qui in Feſtis Transfigurationis Domini Salvatoris, quod die Sexta Menſis Auguſti, & S. Theodori Martyris quod

die

die Nona Menſis Novembris cujus ſacræ Reliquiæ in dicta Eccleſia requieſcunt a Chriſti fidelibus celebrantur præfactam Eccleſiam devotè viſitaverint annuatim ſeptem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis pœnitentiis miſericorditer relaxamus. Preſentibus in perpetuum valituris Dat. Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ 1434. Idibus Septembris Pontificatus Noſtri Anno quart.

Eugenius IV. concedit Thomæ Thomaſini Epiſcopo Tragurienſi adminiſtratori Monaſterii S. Salvatoris de Venetiis facultatem vendendi bona aliqua ejusdem Monaſterii pro reparatione ipſius ædificiorum.

I.

1434. 16. Septembris.

Ex Autographo in Monaſterio Corporis Domini.

EUgenius Epiſcopus Servus Servorum Dei Venerabili Fratri Thomæ Epiſcopo Tragurienſi Adminiſtratori Monaſterii Domini Salvatoris de Venetiis Ordinis Sancti Auguſtini Caſtellanæ Diœceſis per Sedem Apoſtolicam deputato ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Ad ea ex Apoſtolicæ ſervitutis officio libenter intendimus, per quæ Monaſteriis & piis locis tam in ſpiritualibus quam in temporalibus votiva in Domino perveniant incrementa. Sane ex relatione fide dignorum nobis innotuit, quod Monaſterium Domini Salvatoris de Venetiis Ordinis Sancti Auguſtini Caſtellanæ Diœceſis, cujus Adminiſtrator exiſtis per Sedem Apoſtolicam deputatus, habet certas terras, campos, vineta & nemora, aliaque bona immobilia in Diœceſi & diſtrictu Terviſino conſiſtentia, præfato Monaſterio ad quod pleno jure pertinent parum utilia, & modicum fructuoſa, quæ ſi venderentur pro condecenti pretio, poſſet idem Monaſterium in ſuis ſtructuris & edificiis reparari, & alias hujusmodi pretium in alia bona converti, quæ in majorem ipſius Monaſterii utilitatem & commodum redundarent. Nos igitur ad utilitatem ipſius Monaſterii, quod olim cum Cardinalatus fungeremur honore, Apoſtolica nobis auctoritate conceſſum tenuimus, ſummis deſideriis intendentes. Fraternitati tuæ vendendi & alienandi hujusmodi terras, campos, vineta, nemora, & bona clericis vel laicis, cum quibus ipſius Monaſterii conditionem poteris efficere meliorem, & horum valorem & pretium in reparationem, ac alias in evidentem utilitatem ejusdem Monaſterii convertendi & exponendi prout tibi ſecundum Deum pro ejusdem utilitate, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus viſum fuerit expedire, auctoritate Apoſtolica facultatem concedimus, & etiam poteſtatem; in contrarium editis non obſtantibus quibuſcunque. Datum Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXXXIV. Sextodecimo Kalendas Octobris. Pontificatus Noſtri Anno quarto.

Euge-

Eugenius IV. Thomam Thomaſinum Epiſcopum Maceratenſem, & Rechanatenſem confirmat, quoad vixerit, adminiſtratorem Monaſterii S. Salvatoris Venetiarum, & poſt ipſum Priores annuos ordinat, quos Pontificalibus & Mitra exornat.

L.

Sine data.

Ex Archivo Monaſterii Corporis Domini Venetiarum.

EUgenius Epiſcopus Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Apoſtolicæ nobis iniunctæ deſuper officium ſervitutis mentem noſtram excitat & inducit, ut circa ea quæ pro ſtatu proſpero Monaſteriorum aliorumque piorum locorum nec non perſonarum in illis ſub Religionis obſervantia pie vacantium ſtudio vitæ profutura conſpicimus, & per quæ eorum indemnitatibus conſulitur operoſis ſtudiis intendamus. Dudum ſiquidem Ven. Fratrem Noſtrum Thomam Rechanatenſem & Maceratenſem tunc Traguríenſem Epiſcopum Prioratus Monaſterii S. Salvatoris de Venetiis per Priorem ſoliti gubernari Ordinis Sancti Auguſtini Caſtellanæ Diœceſis, quem tempore aſſumptionis noſtræ ad ſummi Apoſtolatus apicem obtinebamus in ſpiritualibus & temporalibus Gubernatorem uſque ad noſtrum primo, & ſubſequenter ad Apoſtolicæ Sedis beneplacitum fecimus conſtituimus, & etiam deputavimus, prout in diverſis noſtris inde confectis litteris plenius continetur. Nos vero ſuper eo quod Epiſcopus ipſe ſicut nobis conſtat eundem Prioratum, nec non illius canonicos & perſonas circumſpecte regere, ac ſalubriter dirigere curavit, grandi mentis exhilaratione refecti, firmamque ſpem gerentes in Domino, quod ipſe Prioratus fructuoſis ejuſdem Epiſcopi ſtudiis, & laboribus votiva ſuſcipiet in hujusmodi ſpiritualibus & temporalibus incrementa, motu proprio, non ad alicujus nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex noſtra mera liberalitate, ac etiam ex certa ſcientia conſtitutioni & deputationi præmiſſis auctoritate Apoſtolica per præſentes adjicimus, quod idem Epiſcopus, quo ad vixerit, ipſius Prioratus in predictis ſpiritualibus & temporalibus Adminiſtrator & gubernator exiſtat plenam & liberam ſibi ſi & prout ei videbitur, Priorem in dicto Prioratu ponendi, & ammovendi, ac loco illius alium ſubrogandi, nec non pro ſtatu regimineque felicibus prioratus Canonicorum & perſonarum hujusmodi quecumque rationabilia etiam cum illarum mutatione & alteratione, conſtitutiones atque ſtatuta faciendi, Priorem quoque canonicos & perſonas predictos, ut illa prout congruerit, irrefragabiliter obſervent per cenſuras Eccleſiaſticas & alia oportuna juris remedia compellendi, & omnia alia & ſingula, quæ in præmiſſis & circa ea quomodolibet neceſſaria vel oportuna fuerint, diſponendi & exequendi concedentes eadem auctoritate facultatem. Rurſus auctoritate præfata ſtatuimus & ordinamus, quod ipſo Epiſcopo vita functo Canonici dicti Prioratus anno quolibet unum eorum inibi priorem ad illius officium eligant, cujus hujuſmodi ſi canonica fuerit electio, cenſeatur mox eadem auctoritate confirmata, quique dicto anno elapſo ab ipſo officio ſit amotus, & ei cedere libere teneatur, nec ex tunc ad illud infra biennium poſſit quomodolibet aſſumi, niſi per totum conventum iterum confirmetur. Si autem ceſſionem hujusmodi, quod abſit facere recuſaverit ipſe nec non omnes & ſinguli, qui ſcienter, quominus hujusmodi electio ſic fiat, impedire preſumpſerit

ſcerit ex eisdem canonicis, excommunicationis ſententiam incurrant, à qua niſi in mortis articulo conſtituti fuerint, non alias, quam ab ipſo Episcopo, & poſt ejus obitum auctoritate prædicta poſſint beneficium abſolutionis obtinere. Volentes inſuper Priorem ejusdem Prioratus pro tempore exiſtentem honoribus attolere, fulcireque condignis, quod ipſi in Eccleſia dicti prioratus, tum divinis ibidem officiis nec non in proceſſionibus ſolemnibus, & funeralibus quibus in eadem Diœceſi ſucceſſu temporis interfuerint, mitra, anulo, & aliis Pontificalibus inſigniis uti liberè licitèque valeant, eis auctoritatę prefacta de ſpeciali gratia indulgemus. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus ac generalibus vel ſpecialibus quorumcunque tenoris exiſtant privilegiis & indultis Apoſtolicis.

Eugenius IV. Eccleſiam S. Salvatoris Venetiarum Congregationi Canonicorum Regularium S. Salvatoris de Bononia perpetuo unit, & adnectit.

M.

1442. 21. Junii.

Ex Archivo ejusdem Congregationis.

EUgenius Epiſcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam; Inter cætera cordis noſtri deſiderabilia, illud intenſis deſideramus affectibus, quod in ſingulis Eccleſiis Monaſteriis, Prioratibus, atque locis Eccleſiaſticis majeſtas Altiſſimi in gratiarum benedictionibus collaudetur, ſuique cultus glorioſi nominis amplietur; & ut illa ſublatis ab eis ſiniſtris quibuslibet per noſtræ proviſionis miniſterium divina gratia ſuffragante debitæ Reformationis beneficio gaudeant, ac fælicia in ſpiritualibus, & temporalibus incrementa ſuſcipiant, & in ipſis grata Deo plantaria ſurrogentur ex injuncto nobis deſuper Apoſtolicæ ſervitutis officio operæ, & operam quantum cum Deo poſſumus impendimus efficacem, dudum ſiquidem videlicet in primordiis ante aſſumptionem noſtram ad ſummi Apoſtoli apicem, cum tunc Prioratum Conventualem S. Salvatoris de Venetiis Ordinis S. Auguſtini, quem tempore dictæ aſſumptionis ex proviſione, & diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ de illo nobis tunc Cardinalatus honore fulgentibus per antea factis obtinebamus per hujusmodi aſſumptione minime vacare voluerimus, ſed noſtræ intentionis extiterit præfatum Prioratum ad hoc ut ille, qui per multa tempora ante proviſionem prædictam regulari obſervantia deſtitutus, & alias multipliciter deformatus remanſerat ſpeciali protectione, & defenſione noſtra ſuffultus juxta noſtrum communem habitum, ſed ex certis cauſis nondum tunc ad impletum deſiderium ad debitam obſervantiam hujusmodi reduceretur, & reductus conſervaretur, multaque alias in ſpiritualibus, & temporalibus incrementa ſuſcipere, nec non ejus curam, regimen & gubernationem in eisdem ſpiritualibus & temporalibus nobis, ac ſpecialibus ordinationi, & diſpoſitioni noſtris quamdiu in humanis vitam nos ducere contingeret reſervaſſe: Et ſicut nobis nuper innotuit nonnulli ex Canonicis de Congregatione Sancti Salvatoris præfati Ordinis, & ex ſpeciali licentia per nos eis oraculo vivæ vocis tunc conceſſa jam decem menſibus elapſis ad Prioratum prædictum ſe contulerint, ac continuo in eo ex poſt ſub obſervan-

vantia, & inſtitutis regularibus Congregationis, & Ordinis prædictorum miſſas, & alias horas Canonicas nocturnas, atque diurnas inibi laudabiliter celebrando permanſerint, prout etiam de præſenti permanent; Nos igitur, qui poſt noſtram aſſumptionem hujuſmodi nonnullas ac diverſas litteras de dicto prioratu, ejuſque regimine & adminiſtratione Venerabili Fratri noſtro Thomæ Feltren. tunc Traguricn. & ſucceſſivè Recanatenſi Epiſcopo conceſſimus per illas, vel earum aliquas intentioni noſtræ hujuſmodi minime derogatum, ipſamque talem ut præfertur fuiſſe, & eſſe, harum ſeriem declarantes ac attendentes quod ſicut nobis etiam innotuit Canonici de Congregatione hujuſmodi ſub obſervantia prædicta degentes a multis citra temporibus plura & diverſa Monaſteria, atque loca Eccleſiaſtica in Divinarum exhibitione, & alias diverſimode, tunc defectum patientiæ propter eorum probitates ac opera multipliciter reformarunt, variiſque multiplicarunt, prout in dies multiplicant virtutum meritis, nec non ſperantes quod ex eorum vita laudabili, multiplicatiſque virtutibus, & fructuoſis operibus Prioratus prædictus in obſervantiis, ac ſpiritualibus, & temporalibus ſupradictis juxta noſtrum deſiderium inſtitui, conſervari, & augeri debeat motu proprio, non ad alicujus nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera liberalitate, jam Epiſcopo conceſſas hujuſmodi quam alias, omnia & ſingula, litteras conceſſiones, facultates, commendationes, adminiſtrationes, proviſiones, & indulta, quibuſvis etiam rationalibus cauſis ſubſimilibus, & amplioribus verborum expreſſionibus per nos, ſeu auctoritate noſtra hactenus facta, quorum omnium tenores, nec non perſonarum earumdem nomina, & cognomina, ac quarumque rerum poſſeſſionum, & bonorum mobilium & immobilium, nec non jurium, & pertinentiarum dicti prioratus qualitates, quantitates, vocabula, confines, eorumque ac omnium ejuſdem Prioratus fructuum redditunm, atque proventuum veros valores, ac ſi de verbo ad verbum præſentibus inſerti forent haberi volumus pro expreſſis harum ſerie auctoritate Apoſtolica ex certa ſcientia caſſantes revocantes, & annullantes, ac pro nullis & infectis haberi volentes prioratum prædictum, cui cura imminet animarum, & ad quem conſuevit quis per electionem aſſumi cum omnibus bonis poſſeſſionibus, rebus, juribus, ac pertinentiis ſuis hujuſmodi univerſis Canonicis præſentibus, & futuris de dicta Congregatione ſubobſervantia præfata degentibus per eos conventualiter, ac etiam juxta eorum ritus mores, ſtatuta conſuetudines, ac privilegia ipſis conceſſa noſtro nomine tenendum, regendum, & etiam gubernandum motu, ſcientia, & auctoritate prædictis perpetuo donamus concedimus, incorporamus applicamus, & appropriamus; ita quod liceat ex nunc Canonicis de Congregatione hujuſmodi per ſe, vel alium, ſeu alios corporalem poſſeſſionem Prioratus, rerum, poſſeſſionum, bonorum, jurium, & pertinentiarum prædictarum nomine noſtro apprehendere, ac donec, & quouſque reſervatio noſtra prædicta duraverit modo prædicto, nec non ulterius poſtquam illa nobis revocationem ipſius reſervationis facientibus, ſeu alias ab humanis exemptis ceſſaverit perpetuo ſuo, & Congregationis hujuſmodi nominibus retinere, ac fructus, redditus, & proventus prædictos in tres partes diſtribuendos, unam videlicet in ædificiorum reſtauratione tam in loco quam extra, duas vero alias in expenſis victus, & veſtitus, eleemoſinis, hoſpitalitatibus, ſimilibuſque neceſſitatibus eorum in ſuos, & dicti Prioratus uſus, & utilitatem perpetuo convertere, & exponere alicui ſuper hoc licentia minime requiſita non obſtantibus præmiſſis ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, nec non Prioratus Monaſterii loci, & Ordinis prædictorum juramento confirmatione Apoſtolica, vel quacumque firmitate alia

alia roboratis, ſtatutis; & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuscumque, aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de prioratibus hujusmodi ſpeciales, vel aliis beneficiis Eccleſiaſticis in illis partibus Generales Apoſtolicæ Sedis, vel legatorum ejus litteras impetrarint, etiamſi per eas ad inhibitionem, ac reſervationem, & decretum, vel alias quomodolibet ſit proceſſum, quas quidem litteras, & proceſſus ad dictum Prioratum volumus non extendi, ſed nullum per hoc eis quo ad aſſequtionem Prioratuum, vel beneficiorum aliorum præjudicium generari, & quibuslibet aliis privilegiis indulgentiis, & litteris Apoſtolicis Generalibus, vel ſpecialibus quorumcumque tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus habenda ſit in noſtris litteris mentio ſpecialis. Volumus inſuper, & eadem auctoritate concedimus quod Prior pro tempore exiſtens dicti Prioratus mitra baculo, & annulo paſtoralibus juxta indulta Prioratus antedicti uti & illos geſtare, quodque ipſe & dicti Prioratus omnes, & ſinguli Canonici de Congregatione prædicta in illo pro tempore degentes, eorum ſervientes, & perſonæ omnibus & ſingulis privilegiis exemptionibus libertatibus indultis & gratiis aliis (dictæ Congregationis Monaſteriis Prioratibus atque locis, ipſorumque Prioribus Canonicis & perſonis pro tempore per nos vel Sedem præfatam ſeu alias quomodolibet conceſſis, uti pariter, & gaudere valeant, & inſuper prout eſt irritum decernimus & inane ſi ſecus ſuper hiis a quoque, quaque auctoritate ſcienter, vel ignoranter attentatum forſan eſt hactenus, vel in poſterum contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ declarationis, caſſationis, revocationis, annullationis, donationis, conceſſionis, incorporationis, applicationis, appropriationis, voluntatis, & conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo ſecundo, undecimo Calendas Julii Pontificatus noſtri Anno duodecimo.

BLUNDUS.

Gratis de mandato Domini noſtri Pp.

Joannes de Struaſis.

Ego Thomas Regis Clericus Cameræ Apoſtolicæ legi reſcriptam Bullam, & eam propria manu notavi, & gloſſavi, & aſſero eſſe optimam & pulcherrimam, & nullas pati difficultates: nec quoad unionem perpetuam, pro quà Mens Pontificis in ea paſſim innoteſcit, nec quoad non expreſſum valorem, qui de jure non requiritur, & cum majoris roboris, & tutius fuerit non expreſſiſſe ſtante motu proprio ex quo Pontifex innuit ſe habere plenam illius notitiam, & dum ſupprimit in totum non vult eum poſſe impugnari de non vera expreſſione, neque ab aliquibus poſſe dubitari ſuper ſua de illo plena notitia, quæ difficultas omnino etiam ceſſaret ex regula Cancellariæ ejus temporis, qua cautum fuerat, ut gratiæ expeditæ motu proprio non poſſent impugnari ob non veram expreſſionem valoris; & conteſtatus eſt fuiſſe ſe Procuratorem hujusmodi cauſæ tempore Innocentii Octavi pro uno beneficio jacentino impetrato ſub Sixto quarto ab Adverſario ſuo cum dicta clauſula motus proprii ſub valore expreſſo tantum centum, & fuit per ipſum probatus valor quinque centum, & tamen per Dominos Rotæ fuit concluſum contra ſe aſſerentes Pontificem oſtendere plenam notitiam valoris ex motu proprio, nec curaſſe quod minoris fuerit expreſſus in favorem impetrantis, & quatenus in Bulla probarentur nullæ difficultates omnes tolluntur ex præſcriptione temporis; & ſic affirmo.

Nicolaus V. viſitantibus Altare D. Theodori Indulgentias largitur.

N.

1448. 2. Aprilis.

Ex Tabulario Scholæ Magnæ S. Theodori.

NIcolaus Epiſcopus Servus Servorum Dei Univerſis Chriſti fidelibus preſentes litteras inſpecturis ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Licet is, de cujus munere venit, ut ſibi a Fidelibus ſuis dignè & laudabiliter ſerviatur, ac abundantia ſuæ pietatis, quæ merita ſupplicum excedit, benè ſervientibus ſibi multa majora retribuat, quam valeant promereri, nihilominus tamen deſiderantes Domino Populum reddere acceptabilem, & bonorum operum ſectatorem Fideles Chriſtianos ad complacendum eis, quaſi quibusdam allectivis muneribus remiſſionibus ſcilicet, & indulgentiis invitamus, ut exinde reddantur Divinæ gratiæ aptiores. Cupientes igitur ut Capella, & Altare S. Theodori M. ſitum in Eccleſia S. Salvatoris de Venetiis Caſtellanæ Diœceſis, ubi Sacratiſſimum ejusdem S. Theodori Corpus venerabiliter requieſcit, congruis honoribus frequentetur, & ut Chriſtifideles eo libentius confluant ad eamdem, quo ex hoc ibidem dono cœleſtis gratiæ conſpexerint ſe refectos, de Omnipotentis Dei Miſericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus authoritate confiſi omnibus verè pœnitentibus, & confeſſis, qui in die Lunæ Sanctæ præfatam Capellam ſeu Altare devote viſitaverint, annuatim ſeptem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis pœnitentiis miſericorditer relaxamus, præſentibus valituris inperpetuum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ 1448. IV. Nonas Aprilis Pontificatus Noſtri Anno ſecundo.

Indulgentiæ conceſſæ à XIX. Cardinalibus Capellæ S. Theodori M. in Eccleſia S. Salvatoris.

O.

1449. 3. Januarii.

Ex Tabulario Sodalitii S. Theodori.

UNiverſis, & ſingulis Chriſtifidelibus preſentes litteras inſpecturis ſalutem in Domino ſempiternam. Franciſcus Epiſcopus Portuenſis, Johannes Epiſcopus Præneſtinus & Tarentinus, Georgius titulo S. Anaſtaſiæ de Fliſco Presbiter, Beſſarion titulo SS. Duodecim Apoſtolorum Nicenus Presbiter, Joannes titulo S. Laurentii in Lucina Morinenſis Presbiter, Guilelmus tituli S. Martini in montibus Andegavenſis Presbiter, Johannes tituli S. Mariæ in Tranſtiberim de Turrecremata, Ludovicus tituli S. Laurentii Aquilejenſis Presbiter, Alfonſus tituli S.S. Quattuor Coronatorum Valentinus Presbiter, Antonius tituli S. Griſogoni Meſſinenſis Presbiter, Latinus tituli S.S. Joannis & Pauli de Urſinis Presbiter, Alanus tituli Avinionenſis Presbiter, Proſper S. Georgii ad Velum aureum de Columna Diaconus, Petrus S. Mariæ Novæ Diaconus S. R. E. Cardinales. (a) Salvatoris noſtri immenſa clementia, çum

(a) Hi Cardinales fuerunt Franciſcus Condulmerius Epiſcopus Cardinalis Portuenſis Eugenii IV. nepos, Johannes Taliacotius de Pontibus ſeu Urſinus Archiepiſcopus Tarentinus,

cum genus humanum ſui ſanguinis tam grandi commertio redemerit, ne facile periclitetur ſumma pietate variis adjumentis aſſidue terrenam proſequitur fragilitatem. Et quos reatuum ſarcina pergravat debita interveniente forma magnitudo ſuæ miſerationis exonerat, ac pia fidelium vota de ipſius ineffabili miſericordia ſperantium tunc præcipuè benigno favore complectitur cum devota ipſorum humilitas adjuvatur ſanctorum precibus. Cujus veſtigia ſacratiſſima quantum mortalis conditio patitur immitari affectantes ab eo, qui illius vices gerit in terris, & Petri ſucceſſione potitur conceſſam nobis gratiam cæteris gentibus Chriſtianis ipſius preſertim noſtri Salvatoris ac Beati Theodori Martyris ſui devotione ferventibus libenter impertimur. Juſtis igitur, & piis prudentis viri Joannis de Columna Lucani Civis Venetiarum Caſtellanæ Diœceſis, qui ut accepimus B. Theodori Maryris devotiſſimus exiſtit ſupplicationibus inclinati, cupientesque ut Capella ſeu Altare S. Theodori Martyris, ubi corpus ejuſdem in domino requieſcit, ſita, ſeu ſitum in Eccleſia S. Salvatoris, loci de Venetiis prefatæ Dioceſis congruis frequentetur honòribus, fidelesque ipſi eò libentius cauſa confluant ad eandem, quo ibidem dono cœleſtis gratiæ noverint ſe refectos, a Chriſtifidelibus venerentur, de Omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi omnibus, & ſingulis vere pœnitentibus & confeſſis qui dictam Capellam, ſeu Altare S. Theodori in ipſius Corporis feſtivitatibus, & celebritate, nec non tertia Dominica die cujuslibet menſis, & qualibet die Lunæ cujuslibet totius anni devote viſitaverint annuatim, & ad reparationem, & conſervationem ædifitii calicum, librorum, & aliorum ornamentorum pro Divino cultu neceſſariorum inibi quotiescumque manus porrexerint adjutrices, & omnes illi, qui Scolam ſeu Congregationem prefati S. Theodori devote intraverint & in eam diem ſuum claudent extremum, ac etiam, qui die Lunæ & tertia Dominica præfatis Miſſam in dicta Capella celebraverint, aut illi, qui in ipſa celebratione devotè ſerviverint, nos Epiſcopi, Presbiteri, & Diaconi Cardinales præfati, & quilibet noſtrum pro qualibet ipſarum feſtivitatum celebritate, & diebus actionibusque prædictis, videlicet centum dies Indulgentiarum de injunctis pœnitentiis pro eorum culpis miſericorditer in Domino relaxamus. Preſentibus verò perpetuo duraturis. Datum Romæ Anno Incarn. Domin. 1449. Indictione 12. Die vero tertio Menſis Januarii Pontificatus SS. in Chriſto Patris & Domini Noſtri D. Nicolai Divina Providentia Pape Quinti Anno ſecundo.

tinus, Georgius Fliſcus Genuenſis Presb. Card. tit. S. Anaſtaſiæ, Beſſarion Trapezuntius Græcus Monachus S. Baſilii Archiepiſcopus Nicenus Presb. Card. tit. S.S. XII. Apoſtolorum, Johannes Epiſcopus Morinenſis Presb. Card. tit. S. Laurentii in Lucina, Guilielmus de Eſtouteville alias Totavilla Epiſcopus Andegavenſis Monachus S. Benedicti Presb. Card. dictus Rothomagenſis ex Archepiſcopatu, quem mox aquiſivit, Johannes de Turrecremata Hiſpanus ex Ordine Prædicatorum Presb. Card. tit. S. Xiſti aſſumptus, quo titulo nuncupari voluit etiam ad alios Caliſti, & Sanctæ Mariæ trans Tiberim translatus. Ludovicus Scarampus, ſeu Mediarota Patavinus ex Archiepiſcopo Florentino Patriarcha Aquilejenſis electus, mox Presb. Card. renunciatus tit. S. Laurentii in Damaſo. Alphonſus Borgia Hiſpanus Epiſcopus Valentinus Presb. Card. tit. S.S. quattuor Coronatorum poſtea Caliſtus III. Summus Pontifex. Antonius Cerdanus Majoricenſis Ordinis Redemptionis Captivorum Archiepiſcopus Meſſanenſis Presb. Card. tit. S. Chriyſogoni, Latinus Urſinus Romanus Archiepiſcopus Tranenſis, Presb. Card. tit. S.S. Joannis & Pauli, Alanus Cæſius Gallus Præſul Avenionenſis Presb. Card. tit. S. Praxedis. Proſper Columna Romanus Archidiac. Card. tit. S. Georgii ad Velum aureum. Petrus Barbus Epiſcopus Patavinus Diac. Card. tit. S. Mariæ Novæ poſtea Paulus II. Pontifex Maximus.

DE
ECCLESIA PAROCHIALI
S. MARIÆ MATRIS DOMINI.

PETRO Candiano IV. Rempublicam adminiſtrante, Præſule Petro Marturio, Patritia Familia Capella Eccleſiam ad Rivoaltum in honorem Deiparæ extruxit, quæ propterea S. Maria Mater Domini nuncupatur. Hanc primitus ſub Divæ Chriſtinæ titulo dedicatam, & a Sanctimonialibus excultam fuiſſe autumant aliqui, ex eo fortaſſe adducti, quod non tantum Diva hæc Martyr in Eccleſia, & aram, & officium contitularis poſſideat, ſed quod Eccleſiæ adjaceant ædes ex incomperta cauſa *Corte delle Muneghe* nuncupatæ. Utcumque in remoti ævi caligine res ſe habeat tenui admodum opinio hæc innititur fundamento; præſertim cum ara Virgini Chriſtinæ ſacra Angeli Philomati Plebani ære circa annum Domini 1510. fuerit extructa.

Clemens Papa hujus nominis Tertius Eccleſiam hanc epiſtolis ad ejusdem Sacerdotes, & Clericos datis anno MCLXXXVIII. ampliſſimo privilegio decoravit; portionem enim decimarum eidem Eccleſiæ a Marco Nicola Epiſcopo Caſtellano conceſſam *Apoſtolici ſcripti pagina roboravit*; atque bona ejusdem *firma & illibata* eidem permanere decrevit, cui quidem Di-

plo-

plomati Pontifex ipſe atque cum eo treſdecim S. R. E. Cardinales ſubſcripſerunt. (A)

Templum ex vetuſtate fatiſcens ſumptuoſo opere ad Sanſovini Archetypum ſupralaudati Angeli Plebani ſtudio renovatum eſt. Aræ Principis tabula ex argento elaborata, & in minores tabellas partita Chriſti Domini Paſſionem, atque duodecim Apoſtolos Græcanico opere repræſentat. Hanc e Byzantina Urbe Venetias deductam fuiſſe traditur eo tempore, quo Reipublicæ arma Gallis fœderata eam Urbem expugnarunt; Anno deinde 1660. Antonius Gerardus Plebanus, ut tute ac decore ſervaretur, eam marmoreo loculo incluſit.

Altare ad lævam majoris Sacelli, ex ſelectis marmoribus ingenti ſumptu erectum Crucifixi Domini ſimulacrum habet, quod Meſſana Urbe Siciliæ deductum, atque inter alias & alias maris procellas miro prorſus modo ſervatum anno 1686. die prima Novembris Venetias translatum eſt; pauloque poſt a Joanne Palatio Plebano, in cujus jura devenerat, Eccleſiæ huic pio munere oblatum. Ex hoc in Crucifixi denominationem tranſiit altare Dominicæ olim Cruci ſacrum, in cujus honorem jam ab anno 1561. inſtitutum fuerat piorum virorum ſodalitium. Hoc deinde anno 1665. *Suffragium* vocari cœpit, eo quia ad Fidelium animas e piacularibus flammis eripiendas Jeſu Chriſti Crucifixi aram pio ære anno 1687. erectam, atque ſpiritualibus indulgentiarum donis refertam, incruentis hoſtiis aliiſque religioſis officiis laudabili devotione frequentat.

Ad Dominicæ Transfigurationis aram colitur ſacra Deiparæ effigies, quæ olim ad parietem Piſanæ, ſeu alterius domus depicta, dum prodigiis clareſcit circa annum Domini 1584. ut decentius aſſervaretur ad hanc ſacram ædem deducitur. Hæc ex teſtamento piæ matronæ Diedæ Diedo Quirinæ anno 1597. die ſecunda Novembris confecto: "*Sii fabricata* la Capella della
„ Chieſa di S. Maria Mater Domini nella quale ſi trova l'I-
„ magine della B. Vergine, la quale già in tredici, o quator-
„ dici anni fece miracoli, eſſendo ſopra il muro di Cà Piſa-
„ ni, ſalvo il vero, nella quale mi trovo obligata per voto
„ di ſpender Ducati duecento cinquanta, ſe però non ſarà da
„ me ſtato adempito eſſo voto prima della mia morte.

Conſecrationem Eccleſiæ peractam fuiſſe die xxv. Julii anno 1540. per Joannem Lucium Epiſcopum Sebenicenſem abſente

eo

eo temporis Hieronymo Quirino Patriarcha Venetiarum, Parœciam vero adminiſtrante Joanne Maria Duizi Plebano, ex ipſius Eccleſiæ tabulario ſignificatur. Ex quo pariter edocemur anno 1553. die XXI. Aprilis quinque Altaria ſacrata fuiſſe per Fratrem Laurentium Urſetum ex Prædicatorum Familia Epiſcopum Modruſitam.

„ 1540. 25. *Lujo*.

„ Fù ſacrata la Chieſa di Ma-
„ donna Sancta Maria Mater
„ Domini, & fù il Reverendo
„ Eppiſcopo Miſier Zuanne Lu-
„ tio de Sebenicho, il qual ſa-
„ crò la dita Chieſia per eſſer
„ abſente il Reverendiſs. Pa-
„ triarcha Miſier Hieronimo
„ Querini da Venetia in tem-
„ po di P. Zuan Maria Piovan
„ de dita Chieſia, & dil ma-
„ gnifico Miſier Bartolomio Za-
„ ne procurator fù de Miſier
„ Hieronymo.

1540. 25. *Julii*.

Conſecrata fuit Eccleſia Dominæ Sanctæ Mariæ Matris Domini per Reverend. Epiſcopum Dominum Joannem Lucium Sebenicenſem abſente tunc Domino Hieronymo Quirino Patriarcha Venetiarum, tempore Presbyteri Joannis Mariæ Plebani dictæ Eccleſiæ & magnifici Domini Bartholamæi Zane Procuratoris olim filii Domini Hieronymi.

„ 1553. *adi* 21. *Aprile*.

„ Fu ſacrato in dita Chieſia
„ altari cinque, vid. l'altar dil
„ Sacramento, & dila Traſfigu-
„ ration dil Salvator, & di San-
„ cto Andrea, e di Sancta Cri-
„ ſtina, & dila glorioſa Vergi-
„ ne Maria Madre de Jesu
„ Chriſto, per il Reverend. Fra
„ Laurentio Orſeto di Sancto
„ Dominico & Eppiſcopo di-
„ gniſſimo modruſita, & fù in
„ tempo de li ſopranominati.

1553. 21. *Aprilis*.

Conſecrata fuerunt in dicta Eccleſia Altaria quinque videlicet Altare Corporis Chriſti, Transfigurationis Domini, S. Andreæ, Sanctæ Chriſtinæ, & glorioſæ Virginis Mariæ Matris Jeſu Chriſti per Reverend. Fr. Laurentium Urſetum Ordinis Prædicatorum, & Epiſcopum digniſſimum Modruſitam tempore ſupradictorum.

Æris Campani turrim anno 1384. erigi mandavit Marcus Capello, cui cognomen *magni* additum fuiſſe inſcriptio ipſi turri affixa teſtatur.

1384. *adi* XX. *de Avril Fo fatto queſto lavorier, & ſelo far Miſier Marcho Capello lo grando.*

Hujus Eccleſiæ titulo inſignitur una ex novem Cleri Congregationibus, quæ ad annum MCXXX. refert ſuæ inſtitutionis exordia.

Series Plebanorum Eccleſiæ S. Mariæ Matris Domini.

1215. Joannes Bonus Notarius. Ex Archivo S. Joannis Evang. de Torcello.

1250. 28. Junii Marcus Presb. & Pleb. S. M. Matr. Dom. Teſtis in documento Eccl. S. Auguſtini.

1286. Gabriel Zane Not. Ex Cataſt. Cleri Veneti.

1320. Petrus, Teſtis in ſententia Dominici Patriarchæ Gradenſ. Ex Arch. S. Antonii Abb. de Torcello.

1345. Victor Gaffaro Notar. Canon. Duc. & Archipresb. Cong. S. Mariæ Matr. Dom. Ex rog. ejusdem.

1362. Joannes Not. Ex Arch. Patriarchali.

1376. Franciſcus de Borzacchis Archipresb. Cong. S. Mariæ Matr. Dom. Ex rog. Victoris Archidiaconi Torcell. & Not.

1415. Michael Belli Presb. S. Panthaleonis & Not. electus Plebanus Sanctæ Mariæ Matris Domini anno 1415. inde tranſiit ad Plebanatum S. Caſſiani anno 1423. Ex rog. ejusdem.

1425. Hieronymus de Redulpho. Ex rog. Franciſci Rizzotto Notarii.

1426. Antonius Michael Not. Ex rog. ejusdem.

1445. Baſilius Baſſo Not. prius Presbyter Sanctæ Fuſcæ. Ex rog. ejusdem.

1478. Franciſcus Donato. Ex Arch. S. Simonis Apoſtoli.

1492. Jacobus Sappa Not. Ex rog. ejusdem.

1501. Angelus Philomati Canon. Caſtell. Archipresb. Cong. S. M. Matr. Dom. Eccleſiam inſtauravit, atque in eadem tumulum habet cum hac epigraphe:

„ Angelus Philomatius hujus Sacræ ædis inſtaurator, &
„ Præſes Collegii Dei Matris, ac Venetiarum Canonicus hoc
„ Templum dotavit. Vixit ann. LXXX. Præfuit XIV. MDXL.

1542.

1542. Joannes Maria a Lacu alias Duizi cujus ſtudio conſecratur Eccleſia. Obiit 14. Maii anno 1575. biennio antequam ſæculum expleret ætatis. Ex lib. Eccleſiæ.

1575. Joannes Urſettus. Ex lib. Eccleſiæ.

1580. Joannes Perniſe. Obiit 1598. 15. Maii ætatis ſuæ 93. Ex lib. Eccl.

1598. Gaſpar Anciranus. Ex lib. Eccl.

1601. Balthaſſar de Jacobettis *Giacometti*. Ex lib. Eccl.

1625. Franciſcus Rizzius. Obiit 31. Octob. 1630.

1630. Petrus Georgius. Obiit 4. Martii 1649. octuagenarius.

1649. 5. Apr. Antonius Girardus. Obiit 27. Julii 1661.

1661. Sebaſtianus Ciotti Canon. Patriarchalis.

1664. Joannes Palatius J. U. D. Subdiaconus Titul. S. Paterniani in Gimnaſio Patavino Sacrorum Canonum Publicus Profeſſor Canon. & Vicar. Ducalis Baſilicæ & Archipresb. Cong. S. M. Matr. Dom. Plurima Volumina edidit, Eccleſiam, & Plebanatum redditibus ex teſtamento auxit. Obiit 20. Aug. 1712. ad majorem Templi januam ſepultus cum hac epigraphe:

Mundo ignoti - ne & Deo - Ora Viator.

1712. 23. Aug. Clemens Multa J. U. D. Obiit 10. Mart. 1726.

1726. 16. Martii. Jacobus de Marchettis J. U. D. Patriarchalis primum, mox Ducalis Canonicus. Eccleſiæ latus, quod viam proſpicit vetuſtate fatiſcens a fundamentis reædificari curavit; atque inde æque laudabili ſtudio turrim ſacram vehementer inclinatam, & lapſui proximam anno 1740. ſolo proſtratam triennii ſpatio in ſolidiorem formam erexit.

Cle-

Clemens Papa III. Sacerdotibus & Clericis S. Mariæ Matris Domini portionem decimarum ipſis a Marco Nicola Epiſcopo Caſtellano conceſſam Apoſtolica authoritate confirmat, atque bona ipſius Eccleſiæ ſalva ei & illibata decernit.

A.

1188. 9. Junii.

Ex Archivo Monaſterii S. Danielis Venetiarum.

CLemens Epiſcopus Servus Servorum Dei. Dilectis filiis Sacerdotibus & Clericis Eccleſie Sancte Marie Matris Domini tam preſentibus quam futuris Canonice ſubſtituendis in perpetuum. Equum eſt & rationi conveniens, ut perlatas ad audientiam Apoſtolatus noſtri controverſias mediante juſticia terminemus, & ut ea, que vel judicio, vel quocunque juſto titulo Eccleſiarum fuerint utilitatibus attributa, Apoſtolica taliter auctoritate firmentur, ut non valeant aliquorum malicia in poſterum perturbari. Nam inutiliter ferri ſententie viderentur, ſi eas liceret cuilibet pro ſuo arbitrio violare, ac ſepius revocarentur in dubium, niſi litterarum eſſent munimine roborate. Cum vero lites judicio fuerint, ſeu concordia terminate, & ſententie in ſcripta redacte, ſi qua poſtmodum dubietas oriatur, & etiam fuerit ſuperioris auctoritate ſopita, ne in contencionis ſcrupulum relabatur, finem impoſitum ſcripture convenit munimine roborari. Cum igitur olim inter vos & quarumdam aliarum Eccleſiarum Plebanos & Sacerdotes ex una parte, & venerabilem Fratrem noſtrum Marcum Caſtellanum Epiſcopum ex alia, ſuper quibusdam partibus decimarum controverſia fuerit ventilata, quam Venerabilis Frater noſter Girardus Epiſcopus (*a*) & dilectus filius Vitalianus Archidiaconus & Canonicus Paduanus de mandato felicis recordationis Urbani & Gregorii Romanorum Pontificum predeceſſorum noſtrorum ſua ſententia terminarunt, & poſtea Phylippo de Lupriolo Plebano Eccleſie Sancti Luce, & Johanne Delanga Presbitero Eccleſie Sancti Caſſiani Procuratoribus veſtris, & Michaele Plebano Sancti Angeli Procuratore ipſius Caſtellani Epiſcopi, & Canonicorum Caſtellane Eccleſie, atque Clericorum aliarum Eccleſiarum, qui eandem conabantur ſententiam infirmare, in noſtra preſentia conſtitutis de mandato noſtro ſub examine dilecti filii noſtri (*b*) Soffredi Sancte Marie in Via lata Diaconi Cardinalis ſuper exortis queſtionibus fuerint hinc inde propoſite rationes, nos eandem ſententiam de communi Fratrum noſtrorum Concilio auctoritate duximus Apoſtolica confirmandam & litterarum noſtrarum patrocinio muniendam. Pro firmitate vero majori tenorem inſtrumenti ejusdem ſententie de verbo ad verbum juſſimus inſerendam. In nomine Dei Eterni Anno à Nativitate ejusdem milleſimo centeſimo octuageſimo octavo Indictione Sexta die quartodecimo intrante Januario in eorum preſencia quorum nomina dicentur inferius ſuper cauſam, que vertebatur inter Marcum Caſtellanum Epiſcopum, & inter Plebanos & Sacerdotes de Venetiis Dominus Vitalianus Canonicus Paduanus & Archi-

(*a*) Gerardus Pomedella ad Eccleſiam Patavinam promotus Anno 1169.
(*b*) Soffredus ex Cajetana Nobiliſſima Gente Piſis progenitus fuit. Obiit Ann. 1211. De eo Ciaconius & alii.

Archidiaconus Delegatus cum Domino Girardo Dei gratia Paduano Epiſcopo a Domino Papa Urbano (*c*) ex voluntate ſupradicti Domini Epiſcopi eo preſente & conſenciente pro ſe & pro ipſo Epiſcopo talem recitavit ſentenciam dicens: In nomine Domini. Nos Dei gratia Girardus Paduanus Epiſcopus & Vitalianus Canonicus Paduanus & Archidiaconus Delegati à Domino bone memorie Papa Urbano ſuper cauſa, que vertitur inter Marcum Venerabilem Epiſcopum Caſtellane Eccleſie ex una parte, & inter Plebanos & Sacerdotes Sancte Marie Matris Domini, Sancti Jeremie, Sancti Gervaſii, Sancti Hermacore, Sancte Sophye, Sancti Canciani, Sancti Luce, Sancti Symeonis Prophete, Sancti . . . ., Sancti Pauli, Sancte Margarite ſuper quibusdam partibus decimarum Archipresbitero Paduano, qui ab eodem Domino Papa nobis ad cognoſcendum ſocius datus fuerat, remoto & in loco ejus Abbati de Carraria (*d*) ſubſtituto & demum prefato Abbate per Dominum Papam Gregorium felicis recordationis a predicta cognitione excluſo, conſtitutis in hac cauſa Leonardo Primicerio a Caſtellano Epiſcopo, & Dominico Pino Archidiacono a prefatis Plebanis & Sacerdotibus Procuratoribus, que cauſa coram nobis ſic incepta eſt & ventilata: Petebat Archidiaconus pro hiis, quorum Procurator eſt, a prefacto Procuratore Epiſcopi, quod Dominus Epiſcopus dimitteret Plebanos & Sacerdotes predictarum Eccleſiarum quartam partem decimarum clericis debitam habere integram, ita tamen quod clerici uniuscujusque Eccleſie habeant precipue & inter ſe dividant quartam illam, que provenerit ex decimis ſuorum Parochianorum. Petebat etiam, ut idem Epiſcopus integre dimitteret eis quartam debitam pauperibus, & quartam debitam fabricis Eccleſiarum, nulla quarta ex ipſis retenta. E contra Procurator Epiſcopi dicebat, quod quartam clericis debitam integre habere non debebant; immo inter omnes clericos juxta diſpoſitionem Epiſcopi, ſicuti conſuetum fuerat, diſtribui debebat quartam partem pauperibus debite tum ex conſenſu clericorum, tum quia precipue ad ipſum cura pauperum reſpicit de jure retinere poterat. Porro quartam quarte fabricis debite pro reſtauracione Matricis Eccleſiæ juſte detinebat. Ideoque nos de predictis remoto appellationis obſtaculo cognoſcentes, auditis & cognitis rationibus & atteſtationibus & allegacionibus utriusque partis & diligenter inſpectis, habito quoque quorundam ſapientum clericorum Conſilio, pronunciamus, ut predicti Plebani & Sacerdotes quartam clericis deputatam a Parochianis ſuis provenientem habeant precipuam & integram, & inter ſe cujusque Eccleſie clerici predictarum Eccleſiarum quartam, que de decimis ſuorum Parochianorum *provenerit*, dividant, & condempnamus predictum Leonardum Procuratorem & Epiſcopum, ut permittat eos quiete ſic habere & dividere. Prefatum Leonardum Procuratorem ac ipſum Epiſcopum a peticione quarte partis, quam Epiſcopus ſolitus eſt retinere ex quarta pauperibus debita, & à peticione *alterius* quarte partis, quam de quarta parte fabricis debita pro reſtauratione Matricis Eccleſie detinebat, quam prefactus Archidiaconus & Procurator pro ſepedictis Plebanis & Sacerdotibus faciebat, abſolvimus, &, ut hec verius a nobis facta credantur, propriis ſigillis noſtris ipſam inſigniri fecimus. Actum in Camera epiſcopali Paduana. Teſtes Adam, Almericus, Cerittus, Jamboninus, Theotonicellus, Hugolinus Canonici Paduani, Presb. Paulus de Eccleſia S. Andree, Magiſter Epiſcope-

(*c*) Urbanus hujus nominis Papa III.

(*d*) Abbatia S. Stephani de Carraria ab Urbe Patavii diſtat octo circiter millia paſſuum verſus Oppidum Montiſſilicis.

ſcopelus S. Martini, Michael Presb. & Plebanus S. Angeli de Veneciis, Renaudus Clericus ejusdem Ecclesie, Gufredinus Clericus Sancte Lucie . . . & alii multi. Ego Boninus D. Frederici Imperatoris Tabellio interſui, & hanc ſententiam juſſu D. Epiſcopi jamdicti & Vitaliani Canonici Paduani & Archidiaconi ſcripſi. Quia vero de quarta parte, que reſtaurationi eſt Ecclesie deputata quartam ſibi & ſucceſſoribus ſuis memoratus Epiſcopus pro Matricis Ecclesie utilitate perpetuo reſervavit, & alias partes ejuſdem quarte vobis & ſucceſſoribus veſtris in communi privilegio Plebanis Sacerdotibus atque clericis aliarum Ecclesiarum conceſſo pro reficiendis Ecclesie veſtre fabricis atque libris aliiſque neceſſitatibus ſtatuit conferendis, ac de quarta pauperibus aſſignata, ſicuti ex tenore privilegii ejuſdem Epiſcopi nobis manifeſte comparuit, tres partes Parochie veſtre pauperibus ſtatuit idem Epiſcopus erogandas, quarta ſibi dum viveret reſervata, nos conceſſionem ipſam, ſicut ab eodem Epiſcopo Canonice facta eſt, & ſcripto autentico confirmata, preſentis ſcripti pagina roboramus, faciendi preterea ſecuritatis cartulas Parochianis veſtris, a quibus decimas receperitis plenam vobis & ſucceſſoribus veſtris tribuimus facultatem. ſtatuentes ut quaſcunque poſſeſſiones, quecunque bona eadem Ecclesia in preſentiarum juſte & Canonice poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis preſtante Domino poterit adipiſci firma vobis veſtriſque ſucceſſoribus & illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis: Locum ipſum, in quo preſata Ecclesia ſita eſt, cum omnibus pertinentiis ſuis, cum terris & callibus eidem Ecclesie pertinentibus. Decernimus ergo, ut nulli omnino liceat preſatam Ecclesiam tenere perturbare, vel ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, ſeu quibuslibet vexationibus fatigare, ſed omnia illibata & integra conſerventur eorum, pro quorum gubernatione ac ſuſtentatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura. Salva Sedis Apoſtolice auctoritate & Diecesani Epiſcopi Canonica juſticia. Si qua igitur in futurum Ecclesiaſtica ſecularisve perſona hanc noſtre Conſtitutionis paginam ſciens contra eam temere venire temptaverit, ſecundo, tertiove communita, niſi reatum ſuum digna ſatisfactione correxerit, poteſtatis honoriſque ſui careat dignitate, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a Sacratiſſimo Corpore & Sanguine Dei ac Domini Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtricte ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem loco ſua jura ſervantibus ſiat pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatenus & hic fructum bone actionis percipiant, & apud diſtrictum judicem premia eterne pacis inveniant. Amen, Amen.

Ego Clemens Catholice Ecclesie Epiſcopus ſſ.
✠ Ego Theobaldus Hoſtienſis & Velitren. Epiſcopus ſſ.
✠ Ego Joannes Presb. Card. tit. S. Marci ſſ.
✠ Ego Laborans Presb. Card. S. Marie Tranſtyberim tit. Caliſti ſſ.
✠ Ego Pandulfus Presb. Card. Baſilice XII. Apoſtolorum ſſ.
✠ Ego Melior Presb. Card. SS. Joannis & Pauli tit. Pamachii ſſ.
✠ Ego Petrus Presb. Card. tit. S. Cecilie ſſ. &c.
✠ Ego Rodulfus tit. S. Praxedis Card. ſſ.
✠ Ego Jacobus Diac. Card. S. Marie tit. Comidim ſſ.
✠ Ego Gratianus SS. Coſme & Damiani Diac. Card. ſſ.
✠ Ego Octavianus SS. Sergii & Bachi Diac. Card. ſſ.
✠ Ego Siffredus S. Marie in via lata Diac. Card. ſſ.

✠ Ego Gregorius S. Marie in Porticu Diac. Card. ſſ.
✠ Ego Joannes Felix Diac. Cardin. S. Euſtachii juxta Templum Agrippe ſſ.

Datum Laterani per manum Moyſi S. R. E. Subdiac. vicem agentis Cancellarii V. Idus Junii Indictione VI. Incarnationis Dominice Anno MCLXXXVIII. Pontificatus vero Domini Clementis Pape III. Anno Primo.

Ego Donatus Sancte Marie Matris Domini Presb. & Not. hoc exemplum exemplavi ſumptum ex authentico Domini Clementis Pape III. ejus Sigillo Plumbeo Sigillatum Anno Domini MCC. vigeſimo Octavo Menſe Novembris Indictione ſecunda Rivoalto nichil addens vel minuens, quod ſententiam mutet, ſcripſi, complevi, & roboravi.

DE

ECCLESIA PAROCHIALI SANCTI PAULI APOSTOLI.

PETRUS Tradonicus Dux XII. & Joannes filius Patri in dignitate ſocius aſſumptus ad Dei honorem Eccleſiam Sancti Pauli Apoſtoli apud Rivumaltum conſtruxere anno Incarnationis Dominicæ 837, quæ in Parochialem vicinarum Ædium conſtituta eæ regioni, quæ ultra Canalem Majorem *Seſtiero di S. Polo* nuncupatur, nomen attribuit. Quo anno conſecrationis munus acceperit, incompertum; anniverſaria dies ex antiqua inſtitutione celebratur undecimo Kalendas Auguſti. Parieti Eccleſiæ affixa adhuc viſitur marmorea epigraphes hæc exhibens:

„ MCCLXXXXIII. Menſe Aprilis Indictione Sexta. Factum
„ fuit hoc opus tempore Nobilis Viri Domini Petri Foſcari-
„ ni, Equitis, Procuratoris Eccleſiæ S. Pauli Apoſtoli.

Ea porro inſcriptio ad aram affinem potius, quam ad Eccleſiam pertinere putanda eſt, ſiquidem eo tempore nec ædificata traditur Eccleſia, nec renovata. Campanilis erectio, quæ anno 1352. perfecta fuit, ex inſcriptione januæ ipſius appoſita connotatur.

„ ✠ 1352. Di 22. de Decembrio fò fato questo Champanil
„ ſiando perchurador lo Nobel Homo Miſier Felipo Dandolo.

Sæculo XIII. Eccleſiam hanc in æſtuariis Veneris paludem, & aquam poſſediſſe, quæ *Cona S. Pauli* nuncupabatur, comperimus ex ſententia, qua anno 1286. Judices ad recuperanda bona Communis Venetiarum conſtituti ipſam aquam, & adjacentem paludem, ut pote uſurpatas potius quam juſto titulo poſſeſſas, juri publico adjudicarunt. Ex autographo ipſam exhibere Lectori erudito jucundum cenſeo.

„ In Chriſti nomine amen. Cum Nos Marinus Viadro, Bar-
„ tholomeus Contareno, Andreas Aurio de mandato Illuſtriſſi-
„ mi Domini noſtri Domini Johannis Dandulo Dei gratia Ve-
„ netiarum Dalmacie, atque Chrovacie inclyti Ducis & co-
„ munis Venetiarum officiales conſtituti ad inquirendum, in-
„ veniendum & recuperandum omnia ac univerſa publica co-
„ munis a Grado uſque ad capudaggeris, & ea per juſtitiam,
„ per laudum, per arbitrium quod nobis vel majori parti noſtrum
„ melius, & juſtius apparebit per diffinitivam ſententiam termi-
„ nandum. Cum pluries per Marinum Precacinum preconem de
„ mandato iſti Domini Ducis, & ordinatione noſtrorum in
„ hoc officio predeceſſorum juxta capitularis noſtri officii con-
„ tinenciam, & tenorem cridatum publice foret univerſas per-
„ ſonas tam eccleſiaſticas, quam ſeculares habentes ſeu affi-
„ ctantes, aut modo quolibet alio detinentes in confinio, ſeu
„ diſtrictu Venetiarum, & Epiſcopatus, & Dioceſis Caſtella-
„ næ terras aquas palludes & canedos deberent iſtis terminis,
„ & diebus coram eorum præſentia cum omnibus ſuis inſtru-
„ mentis, juribus, & rationibus comparere. Et etiam Preſbi-
„ terum Jacobum Maglaenzocho Plebanum Eccleſiæ Sancti Pau-
„ li dictus preco pluries & pluries oretenus coram eis, & etiam
„ coram nobis ut veniret oſtenſurus coram eis, & coram no-
„ bis ſuas cartas & rationes ſi quas haberet pro ſe, & pro
„ dicta ſua Eccleſia ſuper facto palludis & aque nominate Co-
„ na S. Pauli poſita poſt Eccleſiam, & locum S. Juliani de buc-
„ ca de flumine, quam dicitur ipſe, & alii Plebani S. Pauli
„ affictaſſe, & poſſediſſe nomine & dicte ſue Eccleſie multo
„ tempore jam elapſo qui Plebanus ſemper contempſit venire
„ coram eis, & etiam comparere noluit coram nobis nec ali-

quod

„ quod jus oſtendere ſuper facto dicte palludis & aque . Niſi „ tantum quod quidam Clericus nomine Gorardinus comparuit coram nobis, & videtur etiam comparuiſſe coram aliis „ noſtris predeceſſoribus dicens & proponens ſe venire pro dicto Domino Plebano producens quosdam ſuos teſtes ad docendum nos de facto dicte aque, & ad teſtificandum qualiter ipſa aqua confiniabat & erat, & pertinebat dicte Ecclesie S. Pauli quibus vero teſtibus & rationibus intellectis „ ab ipſo Plebano per dictum preconem oretenus requiſivimus „ ſi volebat vel habebat aliqua inſtrumenta, vel juria alia ſive teſtes, quos vel que vellet nomine ſue Eccleſie oſtendere & inducere coram nobis, & etiam ſibi pluries terminos peremptorie per ipſum preconem duximus aſſignandos „ infra quos poſſet & deberet inquirere omnia juria ſua, & „ ſue Eccleſie ſuper facto dicte aque, & dilligencius perſcrutare, & uti, ac producere coram nobis. Et inſuper claudicare nolentes ſet potius per rectam ſemitam, & veritatis viam ambulare prefactum Dominum Plebanum, & univerſas perſonas tam eccleſiaſticas, quam ſeculares oretenus & per cridam ſecundum conſuetudinem Venetiarum, licet ex abundanti potius quam de jure iterato fecimus, & requiri per dictum Marinellum preconem noſtrum, ut ſi ipſe Plebanus vellet vel haberet aliquod jus oſtendere in prefacta aqua, ſeu pallude preterquam ea quæ ſuperius ſunt expreſſa, ſeu aliqua alia perſona haberent ſeu vellent oſtendere deberent coram nobis cum omnibus ſuis inſtrumentis, & rationibus peremptorie comparere. Alioquin id quod juſtum exinde fuerit faceremus. Unde cum prefactus Dom. Plebanus non comparuerit nec jus aliquod aliud non produxerit, nec oſtenderit coram nobis preterquam ea, quæ ſuperius ſunt expreſſa, nec aliqua alia eccleſiaſtica ſecularisve perſona comparuerit tam pro ſe ipſis, quam per dictam Eccleſiam S. Pauli jus aliquod oſtenſura, pluribus & pluribus terminis jam elapſis, & peremptorie ſibi aſſignatis, ac etiam diucius expectatis. Nos prefacti Marinus Bartholomeus, & Andreas officiales ad dictum officium conſtituti, viſis, auditis, & examinatis teſtibus, & probationibus tam pro dicto Plebano, „ quam pro noſtro officio productis & omnibus racionibus, &

„ alle-

„ allegationibus que & quas idem Plebanus vel alius pro eo
„ nomine, & vice dicte ſue Ecclesie S. Pauli dicere, & allegare voluerint coram nobis comunicato conſilio & Deum habentes pre oculis, & ſuper hiis pleniſſima & diligenti deliberatione prehabita per racionem, per juſtitiam, per laudum, per arbitrium communiter & concorditer equanimi voluntate per deffinitivam ſententiam dicimus dictas ſuas probationes, & allegationes & jura inanes & frivolas eſſe, & quod dicta aqua que appellatur Cona Sancti Pauli cum ſuis confiniis ſit, & eſſe debeat publica & communis, & debeat a modo in commune, & publico conſervari. dictum Dominum Plebanum, & Eccleſiam iſtam S. Pauli, & ceteras univerſas perſonas eccleſiaſticas, & ſeculares de ipſa aqua iſta foris in omnibus & per omnia facientes & eisdem nihilominus ſilentium perpetuum imponendo.

„ Lata fuit hæc ſententia Rivoalti in camera predicti officii. Anno a nativitate Domini 1286. Ind. IV. die Lune quarto intrante Februario preſentibus Otonello Not. de homovertis de confinio Sancte Trinite Marco Urſo de confinio S. Juliani Franciſco Navigaioſo de confinio S. M. Magdalene teſtibus ad hec vocatis & rogatis ipſo Dom. Plebano abſente, & non comparente tamen legitime citato ad hanc ſententiam audiendam. Ego Marinus Viadro Judex mm. ſs. ✠ Ego Bartholomeus Contareno Judex mm. ſs. ✠ Ego Andreas Aurio Judex mm. ſs. Ego Petrus de Molliano ſacri Pallacii Publicus & dictorum nobilium Dominorum officiallium Notarius ad ipſum officium deputatus his omnibus interfui, & juſſu eorum ſcripſi complevi & roboravi.

In area patente, quæ Eccleſiam ambit, lateque extenditur, ſolemnes olim erant nundinæ per plures hebdomadæ dies frequentatæ, quæ tamen anno 1292. ex provido S. C. Decreto ad cujusque hebdomadæ feriam IV. tantummodo redactæ fuerunt.

Principis aræ Sacellum Græca ſtructura antiquitus ædificatum jam ex diuturniori ævo collabens in nobiliorem formam reſtitutum eſt circa finem ſæculi XVI. ſtudio & ſumptibus Antonii Gatto Plebani, qui in eodem Sacello æternam ſibi requiem delegit, ut notat emortuale ejus elogium.

„ Hoc

„ Hoc in Mauſoleo ſua quousque jacebunt
„ Oſſa Antonii Gattæ conſumpta, ac ſua membra
„ E cœlo donec veniat repetitus Olympo
„ Judex, qui cujusque actus perpendit, & arcte
„ Signa dabit, ne prius veniat, qui & judicet ipſe
„ Præſentes cum carne animas, quid deinde erit! & quum
„ Primo canet tuba, ſplendebit lux celica juſtis.
„ Flamma æterna reis, uret poſt luce ſuprema
„ Imparitas cur hæc? ſi clara eſt viſio merces
„ Tota beatorum, mœſtis atque onus Avernus.
„ Præmia ſupplicia, ac veluti, nam quisque merebit.
„ Accipiet, ſic cunctis agere ergo neceſſe eſt.
„ Celicolis fulgebit lux eadem omnibus æque
„ Unica tradetur miſeris, atque ignea pœna
„ Cognitio diſpar erit, at ſplendor utique
„ Plectenturque horrore mali, plangore geluque.

Altare (quod argentea tabula anaglyptici operis olim e Byzantina Sanctæ Sophiæ Eccleſia Venetias deducta ditatur) ex pario marmore reædificari juſſit ſupralaudatus Plebanus, ad cujus etiam ornatum augendum ænea hinc inde Divorum Pauli Apoſtoli & Antonii Abbatis ſimulacra erigi juſſit. His præcipuam venerationem quotannis impendi ære legato ex Teſtamento mandavit.

Opus CCC. aureis pie legatis juvaſſe Franciſcum Superantium Senatorem optimum ipſe Antonius Gatto Plebanus perpetuo teſtatum voluit appoſita epigraphe:

„ Sacellum hoc antea breve, obſcura circula, ac ruinoſum
„ CCC. aureis a Franciſco Superantio Jacobi dignitate Procura-
„ toris functi unico filio Senatori graviſſimo & Reipublicæ lu-
„ mine munificentia propria ex teſt. legatis. Antonius Catus
„ H. ædis Præfectus Eccleſiæ Ducalis inſignitus Almutia, ac
„ venerandi Collegii DD. MM. Ermagoræ & Fortunati Prin-
„ ceps, ſuaque pecunia tantum vero labore juſte collecta, &
„ honorifice parta Divino Spiritu aflatus memorque hujus cur-
„ riculi vitæ ad Sacroſanctæ & Individuæ Trinitatis unius In-
„ creati, Immenſi, & Æterni Dei Opt. Max. cultum & glo-
„ riam ac Paulinæ Baſilicæ venuſtatem Præfecturæ ſuæ anno
„ XXIIII. Verbi autem Humanati Sexto ac octogeſimo ſupra

„ quingenteſimum ac milleſimum v. Id. Apr. protendit, illu-
„ ſtravit, quadravit funditus, atque inſtauravit. Qui 62. ætat.
„ ſuæ anno & ab Incar. Chriſti MDLXXXXI. Dimiſſis ex teſt.
„ hæredibus ſuæ facultatis pauperibus Chriſti Plebis hujus,
„ pie, ut vixit, obdormivit in Domino; Quapropter R. Colle-
„ gium SS. Ermagoræ & Fortunati, & ſpeciatim Vincentius
„ de Agazis præfati Collegii Frater & hujus Eccleſiæ Titola-
„ tus, nunc autem S. Antonini Plebanus, quos ipſe ſui teſta-
„ menti inſtituit executores, ad perfectionem adduci hoc Sa-
„ cellum curarunt juxta ipſius ordinem MDLXXXXI Januarii.

Divi Pauli Apoſtoli converſionem in ipſius Aræ tabula egregie expreſſit Jacobus Palma, atque pari opere Dominicæ Cœnæ veneranda myſteria Dominicus Tinctoretus, & Deiparæ Deſponſationem Paulus Calliari Veronenſis pinxerunt.

Per majorem Eccleſiæ januam aditus patet ad Crucifixi Domini Sacellum, ubi ejus imago græco penicillo depicta, populique devotione percelebris, ex humili obſcuroque loco ſtudio Bartholomæi Carminati Plebani, atque Chriſtifidelium expenſis ad marmoream aram magnifice deducta eſt; cujus quoque cura, dum hæc ſcribo, Sacellum hujuſmodi novis iiſque ſumptuoſis ornamentis decoratur, quæ inter pretioſiora noſcuntur geminæ ex Numidico lapide ingentes columnæ, quas in Crucifixi Domini venerationem ad ejus Aræ decorem liberaliter obtulit Petrus Marcellus Divi Marci Procurator.

Myſteria Paſſionis Dominicæ (vulgo Via Crucis) ad Sacelli parietes colenda proponuntur. Hæc exhibent tabulæ, quas Joannes Dominicus Theupulus Joannis Baptiſtæ Pictoris eximii filius, & diſcipulus mira arte confecit.

Inſignis Dominicæ Crucis portio plurimæque Divorum Reliquiæ per aras Eccleſiæ decentibus loculis incluſæ aſſervantur, quas Franciſcus Ferdinandez del Gado Apoſtolicus Protonotarius, olim a ſecretis Hieronymi Veralli Archiepiſcopi Roſanenſis Sanctæ Sedis Apoſtolicæ apud Cæſarem Legati, a pluribus Germaniæ Eccleſiis anno 1546. dono accepit, ut ex authenticis litteris fuſius apparet.

Nos Joannes Holſerus Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Archidiaconus Aquiſgranenſis, & Decanus Veteris Capellæ Meder, & Præpoſitus majoris Eccleſiæ. Univerſis & ſingulis præſentes Teſtimoniales litteras inſpecturis ſalutem in eo, qui

omni-

omnibus ſalutem tribuit. Quoniam eſt æquum & congruum rationi veritati teſtimonium perhibere præſertim ubi pretioſæ Sanctorum interveniunt reliquiæ, univerſitati veſtræ, & cuilibet veſtrum tenore præſentium notum facimus, & atteſtamur auctoritate & interceſſione Reverendiſs. in Chriſto Patris, & D. D. Hieronymi Veralli Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopi Roſanenſis, & Sanctæ Sedis Apoſtolicæ legati de latere. In Capitulo Capitulari omnes Canonici congregati, & de conſenſu gratioſe dediſſe Magnifico Viro Franciſco Ferdinandez del Gado Prothonotario Sacerdoti Secretario ejusdem Domini infraſcriptas Sanctorum Reliquias videlicet.

De Tunica Petri Apoſtoli &c. De S. Cattarina V. & M. &c. De S. Blaſio &c. De S. Albano &c. De Sanguine Chriſti &c. De ligno Crucis &c. De Veſte Mariæ Virginis &c. De S. Nicolao &c. De S. Hieronymo &c. De S. Gregorio PP. &c. De S. Cirillo Epiſcopo &c. De S. Clara Monaca &c. Et ne aliquibus de ſupra dictis Sanctorum reliquiis, quæ per plures ceteros annos in ſacrario noſtro ſumma reverentia, & honore pro talibus reconditæ & tentæ fuere, dubitari, vel ambigi contingat, præſentes teſtimoniales litteras manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas illi duximus concedendas. Datum in ædibus noſtris prope Eccleſiam majorem dictæ Aquisgranenſis Civitatis, anno Jeſu Chriſti Incarnationis 1546. Menſe Januarii.

Aquisgrano   Joannes Holſerus Archidiaconus &c.

Nos Frater Didacus Volffgamrgus Miſeratione Divina Guardianus Monaſterii Ordinis S. Franciſci Nurimbergenſis: Univerſis, & ſingulis præſentes teſtimoniales litteras inſpecturis ſalutem in eo qui eſt omnium vera ſalus. Quoniam juſtum eſt, & rationi congruum, veritati teſtimonium perhibere, præſertim ubi precioſæ Sanctorum interveniunt reliquiæ univerſitati veſtræ & cuilibet veſtrum tenore præſentium notum facimus, & atteſtamur, autoritate, & interceſſione Reverendiſs. in Chriſto Patris, & D.D. Hieronymi Veralli Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopi Roſanenſis, & S. Eccleſiæ Apoſtolicæ apud Ceſarem, & per univerſam Germaniam cum poteſtate legati de latere, Monaci noſtri Conventus Capitulariter congregati conſilio pariter, & aſſenſu generoſe dediſſe Vener. Viro

D. Franciſco del Gado Presbyt. Sacellano præfacti Reverendiſs. Domini Nuntii Apoſtolici infraſcriptas Sanctorum reliquias videlicet.

De Arca, in qua Tunica inconſutilis Domini noſtri Jeſu Chriſti jacuit &c. De S. M. Magdalena &c. De petra ſupra quam Deus apparuit Moyſi &c. De columna ſupra quam Sancta Catherina fuit occiſa &c. De columna ubi Chriſtus fuit flagellatus &c. De Sepulchro S. Hieronymi &c. De Ligno Crucis &c. Oſſa S. Nicolai &c. Oſſa S. Bartholomæi &c. De Sepulchro Chriſti &c. De Preſepio ſuper quo fuit natus Chriſtus &c. *De Conſecratiſſimo Pane, de quo comederunt Apoſtoli in cœna Domini*, & ne ab aliquibus de ipſis dubitetur, præſentes litteras noſtra manu ſcriptas, & ſigillatas, ducimus concedendas. Datum in dicto Cœnobio anno Incarnationis 1546. in Menſe Aprili. Nurembergen &c.

Fr. D. Wolffgamrgus &c.

Pro veritate.

Eſtuen Aleman &c.

Nos Frater Andreas Bamberger Miſeratione Divina humilis Abbas Monaſterii & Conventus S. Martini Ord. S. Bernardi in Civitate Trevirenſi. Univerſis, & ſingulis præſentes teſtimoniales litteras inſpecturis ſalutem in eo, qui eſt omnium vera ſalus. Quoniam juſtum eſt, & veritati congruum teſtimonium perhibere, præſertim ubi precioſæ SS. interveniunt reliquiæ Univerſitati veſtræ & cuilibet veſtrum tenore præſentium notum facimus, & auctoritate, & interceſſione Reverendiſs. in Chriſto Patris, & D. D. Hieronymi Veralli, Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopi Roſanenſis & Sanctæ Sedis Apoſtolicæ apud Cæſarem, & univerſam Germaniam cum poteſtate Legati de latere, Monaci noſtri Conventus capitulariter congregati Conſilio pariter & aſſenſu gratioſe dediſſe Reverendo, ac Magnifico D. Franciſco Ferdinandez del Gado Presb. Prothonotario Sacellano infraſcripti Reverendiſs. D. Nuncii Apoſtolici infraſcriptas SS. reliquias vid.

De Sancto Laurentio &c. De S. Bartholomæo &c. De S. Nicolao &c. De S. Mauritio &c. & ſociorum &c. De S. Chriſtophoro &c. De S. Gedeone &c. De S. Remigio &c. De S. Elena &c. De S. Anaſtaſia &c. De S. Chriſtina &c. De S. Paulo,

Apo-

Apoſtolo &c. De S. Margarita &c. De S. Clara &c. De S. Maria Jacobi &c. Pars Spinæ Coronæ Domini Noſtri Jeſu Chriſti. Et ne ab aliquibus de Sacris dictis Sanctorum reliquiis, quæ per plures cæteros annos in ſacrario Monaſterii noſtri prædicti, ſumma reverentia, & honore pro talibus, & ut tales reconditæ & tentæ fuere in vaſis argenteis, dubitari, vel ambigi contingat, præſentes teſtimoniales litteras, manu noſtra ſubſcriptas & ſigillo noſtri Conventus munitas illi duximus concedendas. Ut pore ipſe dictus Dominus eas adaptari totaliter ac venerari in fide ac conſcientia ſua procuret, de quo certos nos reddit, & ſic promiſit.

Datum in ſupradicto noſtro Conventu S. Martini Ord. S. Bernardi. Ultima Februarii Anno Incarnationis Domini Noſtri Jeſu Chriſti 1546. &c.

Andreas Bamberger.
Jacobus Votemianus.

Pretioſa hæc divorum lipſana deinde ad manus devenerunt cujusdam pii viri Marci Deſiderati nomine in S. Pauli confinio commorantis, qui de ſacro theſauro in Paræciæ ſuæ Templo propriis ſumptibus collocando conſilium iniit. Ipſo tamen morte prævento hæredes votum pii defuncti negligentes ſacras exuvias Sodalitio S. Rochi obtulerunt; ſed Clero Divi Pauli obſiſtente, cum lis orta eſſet, diuque hinc inde certatum, tandem ex Patriarchali Laurentii Prioli S. R. E. Cardinalis ſententia Eccleſiæ S. Pauli ad defuncti poſſeſſoris mentem ſunt attributæ.

Noviſſimo quoque ornamento Ædes hæc decorata fuit, Reliquiis ſcillicet S. Joannis Nepomuceni, quas ad confovendam fidelium devotionem erga Sanctum Martyrem ibi vigentem obtulit dum Venetiis degeret anno Domini 1740. Piiſſimus Princeps Fridericus Auguſti II. Poloniæ Regis Primogenitus filius.

Index Chronologicus Plebanorum Eccleſiæ S. Pauli Apoſtoli.

1148. Vitalis Michael Vicarius S. Pauli electus Epiſcopus Caſtellanus. Ex Chronica Anonymi Veneti, qui ſcripſit ſæculo XIII.

1215. L. fortaſſe Laurentius Plebanus S. Pauli defuncto Thoma Mauroceno Patriarcha Conſtantinopolitano ab una Cleri parte evocatur ad Patriarchatum. Cum vero ab altera parte adlectus fuiſſet Epiſcopus Heracleæ, Innocentius III. totius rei negotio per Apoſtolicos delegatos diligenter examinato Gervaſium quemdam, ſeu Everardum origine Thuſcum Patriarchali Eccleſiæ præfecit, ut videre eſt apud Du Freſne Hiſtoire dell' Empire de Conſt. pag. 613. Le Quien Orientis Chriſtiani Tom. III. pag. 799. & inter Epiſtolas Innocentii III. lib. x. pag. 98. & lib. xv. pag. 613. & 793.

1219. Memoratur in Archivo Abbatiæ S. Mariæ de Follina Plebanus S. Pauli Venetiarum (fortaſſe ſupradictus L.) Judex delegatus ab Honorio III. in controverſia inter ſupradictam Abbatiam, & Monaſterium S. Firmi de Verona; latamque ab eo ſententiam confirmavit Pontifex hoc diplomate.

In nomine D. N. J. C. Hoc eſt exemplum ſumptum ex reſcripto bullato Bulla Dom. Honorii Papæ, cujus reſcripti tenor talis eſt:

„ Honorius Epiſcopus Servus Servorum Dei Dilectis Filiis
„ Abbati & Conventui de Follina Ciſtercienſis Ordi-
„ nis Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

„ Cum illius locum licet immeriti teneamus in terris,
„ qui non eſt Deus diſſenſionis, ſed pacis hiis nos
„ convenit robur Apoſtolicum adhibere, quæ aliquan-
„ do in contentione reducta, judicio ſunt, vel con-
„ cordia terminata. Ea propter dilecti in Domino
„ filii veſtris poſtulationibus grato concurrentes aſſen-
„ ſu, diffinitivam Sententiam, quam dilecti filii Ti-
„ bi Prior Sanctorum Marine & Juliani de Urbanis,
„ & Plebanus S. Pauli de Venetiis auctoritate noſtra

 „ pro

„ pro vobis contra Monaſterium S. Firmi de Verona
„ ſuper eo quod ...... Abbas & Conventus ejusdem
„ Monaſterii veſtram Eccleſiam ad ſe pleno jure per-
„ tinere dicebant & rebus aliis exigente Juſtitia pro-
„ mulgarunt, ſicut eſt juſta & legitima provocatio-
„ ne ſuſpenſa, authoritate Apoſtolica confirmamus.
„ Nulli ergo &c.

„ Datum Romæ apud S. Petrum III. Kalend. Junii Ponti-
„ ficatus noſtri anno tertio.

„ Ego Patavinus Sacri Palatii Notarius Supraſcriptum Re-
„ ſcriptum exemplavi anno Domini milleſimo ducen-
„ teſimo decimo nono, Indictione VII. die nona exeun-
„ te Julio nihil addens, vel minuens niſi forte vel in
„ punctis, vel in compoſitione litterarum, & ſupra-
„ dictum exemplum corroboravi.

1242. Panthaleon Juſtinianus primum Plebanus S. Mariæ Murianenſis. Veneti Statuti leges cum nonnullis aliis eximiæ nobilitatis, & doctrinæ viris Jacobo Theupolo Duce reformavit. Capellanus Innocentii IV. Papæ ab eo Patriarcha Conſtantinopolitanus eligitur ut ſuperius citati Du Fresne, & Le Quien referunt. Ex ejus teſtamento arguitur quanto grati animi ſenſu parentum ſuorum memoriam ſit proſequutus.

Ex Teſtamento Rev. in Chriſto P. & D. D. Panthaleonis Juſtiniano olim Patriarchæ Conſtantinopolitani.

Ommiſſis.

Item ordinamus unam eſſe Capellaniam in Eccleſia Sancti Panthaleonis, vel S. Marci ſuper quam Capellaniam inſtituimus noſtros fideicommiſſarios Dominos Procuratores S. Marci ſuper Commiſſariis conſtitutos inſimul cum noſtris Commiſſariis, & quod de ipſa Capellania ordinamus, ſic ipſi poſt noſtrum compleant obitum: Pro qua Capellania ordinamus, & volumus dari Ipperpera mille tam in Venetiis, quam extra Venetias quamcitius fieri poterit poſt obitum noſtrum cum voluntate Presb. Antonii. Quam Capellaniam habeat ſupraſcriptus Presb. Antonius in vita ſua, &

ipſe

ipſe celebrare debeat pro anima noſtra, & animabus Patris & Matris noſtræ, & parentum noſtrorum, a quibus multa benefitia conſequuti ſumus.

1286. Paulus Maglaenzocho, ex ſuprarelato documento Judicum ſuper bona communis Venetiarum.

1306. Petrus Dondei. Ex Cataſtico Fratrum Sanctæ Mariæ Servorum.

1316. Petrus Fuſcarenus. Ex Cataſtico Eccleſiæ Sanctæ Margaritæ.

1341. Marcus Fuſcarenus Canon. S. Marci. Obiit 9. Julii 1356. Ex ipſius teſtamento.

1356. Bartholomæus Prior Hoſpitalis S. Mariæ de Miſericordia. Ex rog. Marini Pleb. S. Gervaſii & Not.

In hujus Plebani ædibus extremum diem clauſit anno 1507. die 18. Julii, Azo de Magis de Regio Epiſcopus Tarviſinus qui *propter guerram Regis Hungariæ imminentem contra civitatem Tervisinam Venetiis apud Eccleſiam S. Pauli in domo Plebani* ſe ſe receperat, ibique conſuevit ſuum Capitulum convocare, atque in ipſa Eccleſia tumulatus quieſcit cum hac epigraphe. *Hic jacet laudabilis & Venerabilis memoriæ R. in Chriſto Pater D. Azo de Magis de Regio eximius legum Doctor Dei gratia olim Epiſcopus Eccleſiæ Tarviſinæ. Anno* 1357. *die Martis* 18. *menſis Julii obdormivit in Domino*. In hujus Eccleſiæ Sacrario congregatum anno 1357. die XVIII. Julii Capitulare Collegium Eccleſiæ Tarviſinæ ſupplices Innocentio VI. libellos porrexerunt pro electione ſucceſſoris, quos videre eſt in additionibus ad Ughel. Tom. V. col. 554.

1366. 27. Junii. Joannes Sagredo. Ex ipſius Teſtamento.

1366. 25. Auguſti. Stephanus Pianigo Not. Pleb. primum S. Stephani Conf. deinde S. Pauli Archipresb. Caſtell. & Canon. Ducal. Ex rog. ejuſdem.

1403. Benedictus Michael Presb. S. Gervaſii Canon. S. Marci & Not. Ex rog. ejuſdem.

1411. Baſilius Darvaſio Not. & Ducalis Aulæ Cancell. Fuit primo Plebanus Eccl. S. M. Magdalenæ, deinde S. Trinitatis, poſtremo Sancti Pauli, & Canon. Baſilicæ Ducal. Ex rog. ejuſdem.

1416.

1416. Nicolaus de Griſalconibus Not. & Curiæ Petitionis Scriba, eo enim temporis in uſu erat, ut Presbyteri etiam Plebanatu inſigniti hujusmodi munia in magiſtratibus exercerent; quod ut pote Sacerdotali dignitati, & Paſtorali ſollicitudini minus conveniens Eugenius IV. Pontifex Maximus vetitum eſſe Presbyteris ſequenti Apoſtolico Diplomate declaravit.

Eugenius Epiſcopus Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Cum ex injuncto nobis officio ad ea libenter intendamus quæ vitam & mores Clericorum reformare poſſunt, eo ſedulius preclare Civitatis Veneciarum omni ſacerdocio & ſtatui Clericali proſpicimus quo ex congenita nobiſcum patria affectione requirentibus moribus excitamur ut animarum ſaluti pro miniſterio divinorum munerum & bonis populorum exemplis proviſione Sedis Apoſtolicæ conſulatur & ipſi clerici preſertim ſacerdotes quorum intentiones actus & converſationes dicate ſunt Domino a turbine fluctuantium negociorum laicalium in portum ſalutaris vitæ reducantur, & Eccleſiæ Civitatis ejusdem, quæ electiori tempore ſuis rectoribus remanent deſtitutæ debitis colantur officiis. Cum per doctrinam Domini enunciatam per Apoſtolum habeamus, quod nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſecularibus. Unde felicis memoriæ Honorius Papa Predeceſſor noſter intelecto ex litteris Pontini Comitis, quod clerici nonnulli potius ſecularibus negotiationibus quam Divinis officiis intendebant, & gaudere volentes clericali privilegio etiam volebant ſtatutis Patriæ ſe tueri ſicut laicos ut ſuarum negotiationum queſtibus ſubjacerent provida ratione mandavit quod niſi tales clerici tertio moniti reſipuerint de facto privilegium abjicerent Clericale nam ejusmodi eſſe debent Clerici Sacerdotes ut amorem pecuniæ quaſi materiam cunctorum criminum fugiant & ſecularia officia negotiaque abnuant, veluti ſacrorum canonum decreta teſtantur, ipſi quidem divina miniſtrantes fugere debent loca iræ atque blaſfemiæ ubi

nonnunquam a litigantibus in facie ſacerdotum perjura committuntur, & alia ſcelera deteſtanda. Nam ſi Deo diviniſque miniſteriis ſuæ vitæ exercitia & opera quaſi quedam divinitatis imago & effigies ſunt dicata: quod Dei eſt debent dare Deo & relinquere laicis quæ laicorum ſunt. Et licet dum eſſemus in minoribus conſtituti cum gravi abominatione ſentiremus, quod in foro laicorum cauſarumque Civilium Civitatis-Venetiarum Notarii & Scribe ſunt pro majori parte Clerici & Sacerdotes deſtinati venire ad ſonum Campane ad forum quorum nonnulli ſunt Plebani in tempore electiſſimo ab una hora diei uſque ad Tertiam vel Sextam ſuas Eccleſias deſerentes, & forenſi queſtui cauſis & litibus aſſiſtentes. Poſtquam in hanc Sedem aſſumpti ſumus, accepimus quod ipſi Plebani Clerici, & Sacerdotes nedum in foro cauſis & litibus & provenientibus inde iracundiis blasfemiis perjuriis & ſceleribus converſantur, ſed ipſorum nonnulli ſub conceſſo hujusmodi exercitio Eccleſias ſuas liberius deſerentes & ampliorem ſibi licentiam vindicantes in publico negotiorum loco ſtationes publicas conduxerunt ibique per totam fere diem intenti queſtui commorantes Notarios ſe Imperiales & Venetiarum mere Laicos profitentur cum ſingulari nota & infamia ordinis clericalis & malo exemplo aliorum etiam in ipſa Civitate Clericorum, qui dum Notariorum hujusmodi vident Eccleſias minus coli & divina officia negligi depravato exemplo inducti ſuas etiam Eccleſias minus colunt, divinaque officia negligunt unde religio ceſſat, devotioque minuitur populorum cum periculo animarum & ſalutis æternæ ad quam ipſi Clerici verbis exemplis & operibus deberent eſſe propicii directores. Nos idcirco cupientes tot inconvenientiis paterna clementia providere maxime hoc tempore, quo etiam per Generale Concilium quod in Baſilea duximus celebrandum mores, & vitam clericorum inter cetera mandavimus reformari tenore preſentium ex certa ſcientia apoſtolica

aucto-

auctoritate decernimus, quod univerſi & ſinguli Plebani, Sacerdotes, & Clerici Caſtellanæ Dioceſis vel in Civitate Venetiarum commorantes in ſacris ordinibus conſtituti etiam in minoribus ſi beneficiati ſint infra ſex menſes a data preſentium computandos quos ſibi pro Primo, Secundo, & Tertio peremptorio termino prefigimus ſub excommunicationis pena, quam incurrere eos volumus ipſo facto a qua nequeant præterquam a Romano Pontifice vel in mortis articulo abſolutionis munus obtinere, & ſub pena privationis omnium beneficiorum ſuorum debeant omnes ſcribanatus, notariatus, & officia, eorumque exercitia dimiſiſſe hiis caſibus duntaxat exceptis quod teſtamenta ea preſertim ubi ad pias cauſas legata perveniunt conficere poſſint & omnia alia inſtrumenta quibus de religione ac eccleſiarum utilitate, & reformatione, Hoſpitalium conſtructione, & pauperum ſuſtentatione, & aliis piis cauſis tractatur, ita tamen quod ſub ipſorum pretextu ſtaciones non teneant, vel publicas apotecas, ſed eccleſiis ſuis vacare ſtudeant ſicut debent. Et quod tres Cancellarii dilecti filii Nobilis Viri Ducis Veneciarum qui per tempora fuerint poſſint ut de preſenti ſuum Cancellariatus officium exercere ſtatutis diebus interpretando ſcripturas, & alia ad dictum officium ſpectantia exercendo ſalvo quod in venditionibus pignorum, & aliis hujusmodi mere laicale officium concernentibus ſub pena premiſſa ullo colore nequeant exercere, vel ullatenus intereſſe ſimilibus tenore ſcientia & auctoritate declarantes quod laici dictarum Civitatis, & Dioceſis quibuscunque officiis dignitatibus vel exercitiis conſtituti ſi prefatos Plebanos, Sacerdotes vel Clericos in premiſſis poſuerint vel eiſdem dederint conſilium auxilium vel favorem, vel ſcripturas ipſorum quomodolibet intereſſe voluerint caſibus ſupradictis exceptis, penas excommunicationis prædictas ipſo facto incurriſſe intelligantur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtri decreti & declarationis in-

ſringere vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare preſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo triceſimo tertio Sexto Idus Junii Pontificatus Noſtri Anno Tertio.

1430. Leonardus Bonus. Ex Cataſt. Eccleſiæ.

1445. Ambroſiùs Baſſo Not. & Capell. S. Marci. Ex Eccleſia S. Margaritæ cujus erat Plebanus translatus eſt ad Plebanatum S. Pauli.

1456. Franciſcus de Graſſis Not. Ex Tabulario Monaſt. S. Michaelis de Muriano.

1467. Benedictus Omnebonum Not. Obiit 1475. die 4. Aug. Ex lib. Eccleſiæ.

1476. Julianus Ziato. Ex lib. Eccleſiæ.

1482. Marcus Julianus. Ex lib. Eccleſiæ.

1493. Victor Armelinus. Ex rog. Natalis Regia Not. ejus ſepulturæ appoſitum fuit pro elogio hoc minus comptum diſtichon.

„ Armelinus Victor Pauli Paſtor fuit olim
„ Plebanus jacet hic gloria magna domus.
„ 1495. 7. Junii.

1533. Petrus Spontoni Canonicus Caſtellanus & Archipresbyter Congregationis Sancti Pauli. Obiit 30. Maii 1554. Ex lib. Eccl.

1554. 25. Junii. Franciſcus de Antonellis Canon. S. Marci & Archipresb. Cong. S. Pauli. Dum Lauretum peteret ſubitanea morte in itinere correptus eſt die 14. Aprilis 1559. Ex codice Plancherii.

1559. Marinus de Archis ſeu de Arcubus. Obiit 1562. 19. Decembris. Ex eod. Codice.

1562. M. V. 13. Januarii. Antonius Catta Canon. Ducal. Archipresb. Cong. S. Hermachoræ. Omnia bona ſua in eleemoſinas ex teſtamento diſtribuit. Obiit XI. Sept. 1591. Ex lib. Eccleſiæ. De eo ſuperius dictum.

1591. Bartholomæus Pelegrini Canon. S. Marci. Obiit 1609. Ex lib. Eccleſiæ.

1609.

1609. Sanctus Riccius Canon. S. Marci. Obiit 1629. Ex lib. Eccleſiæ.

1629. Gaſpar Pelegrini. Obiit 1634. Ex lib. Eccl.

1634. Joannes Baptiſta Strazzolinus. Obiit 1649.

1649. Franciſcus Albertinus. Obiit 1653.

1653. Bartholomæus Caliſſonius Canon. Ducal. Obiit 1663.

1663. Sanctus Amigazzius J. U. D. Obiit 1680. 5. Junii.

1680. 15. Junii. Bernardinus Fontana Sacræ Theologiæ Doct. Presb. S. Auguſtini. Obiit 1706. 23. Julii.

1706. Laurentius Lazari J. U. D. Canonicus S. Marci & Archipresbyter Congregationis Sancti Canciani. Obiit 4. Decemb. 1731.

1731. 10. Decemb. Bartholomæus Carminati J. U. D. Canon. & Vicar. Ducal. Baſilicæ.

DE

DE
ECCLESIA PAROCHIALI SANCTI THOMÆ APOSTOLI.

NONNULLI Rerum Venetarum Chronologi, quibus ſubſcripſit Sanſovinus, Eccleſiæ Divo Thomæ Apoſtolo erectæ meritum Genti Æmilianæ attribuunt, a qua ædificatam dicunt ſæculo noſtræ ſalutis X. ineunte. Sæpe enuntiatus Venetæ Chronicæ Scriptor Anonymus, qui ſæculo XIII. floruit, diverſimode ſentit; *Corolianus Tribunus fecit Eccleſiam* S. Thomæ Apoſtoli. Utcunque fundatio in obſcuris remotiſque temporibus ſe habuerit hoc ex antiquo atque adhuc extante monumento conſtat, Eccleſiam *ipſam* ſuper fundum de jure Familiæ Toniſtæ ædificatam fuiſſe, a qua deinceps quamplurimis fuit exornata muneribus, dum ſeri Nepotes certatim ſtudent majoribus in hoc anteire. Hæc teſtatus eſt Marcus Nicola Epiſcopus Caſtellanus in ſuperius enuntiato monumento, quo *de voluntate, & conſenſu Plebani & omnium Clericorum Eccleſiæ S. Thomæ* conceſſit *Joanni Toniſto unum pedem unius pontis hædificati ſuper terram dictæ Eccleſiæ S. Thomæ*, quam quidem terram *ad jurisdictionem ipſius Eccleſiæ S. Thomæ Pater* Joannis *intuitu pietatis* donaverat *tem-*

pore

pore Joannis Polani Epiſcopi Caſtellani. Ad eam porro terræ partem concedendam Epiſcopus ex eo adductus eſt, quod cognoviſſet Præceſſores avum ſcilicet, & Patrem Joannis ipſumque *in propria perſona multa bona Eccleſiæ S. Thomæ contuliſſe*, atque *fundamentum ipſius Eccleſiæ* de jure ipſius Familiæ Toniſtæ olim fuiſſe.

Conceſſionis inſtrumentum ex Eccleſiæ Archivo deductum hoc eſt:

„ Dignum eſt & omni rationi conſentaneum, ut Eccleſia
„ hiis a quibus multa noſcitur bona tempore congruo rece-
„ piſſe provideat, & concedat, que ſine ipſius leſione exhi-
„ bere & concedere poteſt. Intellecto ſiquidem, quod Prede-
„ ceſſores tui ſcilicet avi & Pater tuus, nec non tu in pro-
„ pria perſona multa bona Eccleſie S. Thome Apoſtoli contu-
„ liſſes, & fundum ipſius Eccleſie tuorum fore cognoſcimus,
„ idcirco Nos quidem Marcus Nicola Dei gratia Epiſcopus Ca-
„ ſtellanus cum noſtris ſucceſſoribus tibi Johanni Toniſto &
„ tuis heredibus, & ſucceſſoribus voluntate, & conſenſu Ple-
„ bani, & omnium Clericorum Eccleſie S. Thome, concedi-
„ mus in perpetuum unum pedem unius pontis hedificati ſu-
„ pra terram dicte Eccleſie noſtre S. Thome, quam quidem
„ terram cum quibusdam aliis pertinentibus modo ad juriſdi-
„ ctionem ipſius Eccleſie S. Thome ad ſepedictam Eccleſiam
„ S. Thome, Pater tuus intuitu pietatis donavit & tranſacta-
„ vit tempore D. Joannis Polani Dei gratia Epiſcopi Caſtel-
„ lani bone memorie, que quidem terra eſt in caput Piſci-
„ næ, ubi Eccleſia jamdicta habet introitum, & exitum, nec
„ non & jaglationem.

„ Pontis vero pes tenet unum ſuum caput in proprietate,
„ que fuit Petri Bonoaldi, nunc tuum, alium itaque pedem
„ firmat, & tenet ſupra prefatum terrenum noſtre Eccleſie S.
„ Thome memorate. hunc itaque prenominatum & predeſi-
„ gnatum pontem tibi concedimus, & permittimus, & omni-
„ bus vicinis Eccleſie S. Thome, ut amodo habeas plenam
„ poteſtatem cum amicis & inimicis, & cum Familia tua, &
„ omnibus habitantibus in domibus tuis, & cum quibuscun-
„ que tibi tuiſque heredibus ac ſucceſſoribus placuerit, eun-
„ di, & redeundi per jam dictum pontem, & hedificandi, &

„ ador-

„ adornandi ipſum pontem prout tibi bonum, & dictis per-
„ ſonis videbitur, atque expediverit.

„ Quicunque tibi aliquo modo vel ingenio contra hanc no-
„ ſtre conceſſionis cartam ire preſumpſerit excommunicationis
„ vinculo feriatur, & inſuper emendare atque ſolvere debeat
„ cum ſuis heredibus ac proheredibus auri libras decem;
„ medietas cujus ſit noſtre Sancte Eccleſie Caſtellane, & alia
„ medietas ſupraſcripto Joanni Toniſto, & ſuis heredibus,
„ vel ſucceſſoribus, & hec conceſſionis carta maneat in ſua
firmitate.

„ Ego Marcus Nicola Dei gratia Epiſc. Caſtell. m. p.
„ Ego Ermacoras Presb. S. Thome Pleb. manu mea p.
„ Ego Presb. Manfredus manu mea.

Circa annum milleſimum trecenteſimum nonageſimum quintum reædificatam fuiſſe Eccleſiam ex teſtamento Thomæ Faletri in Parœcia commorantis addiſcimus, quo per manus Comitis Bertoldi Divi Pantaleonis Presbyteri & Not. rogato die XXIII. Decemb. Indict. IV. anno MCCCVC. decem aureos nummos ad reædificationem Templi ex legato adjudicavit. Anno deinde MDVIII. anguſtus Eccleſiæ circuitus ampliori ſpatio dilatatus fuit, atque Turris ſacra campanis inſtructa.

Olim ante faciem hujus Eccleſiæ porticum, ſeu atrium erectum fuiſſe teſtatur Patriarchale Divi Laurentii Juſtiniani decretum, quo facultas data fuit Plebano & Capitulo Eccleſiæ Sancti Thomæ concedendi & aſſignandi Sodalitio Calceolariorum nonnulla monumenta *ſub porticu Eccleſiæ* poſita, atque ad ipſam Eccleſiam pertinentia.

„ *In Chriſti Nomine Amen. An. Nativ. ejuſdem* 1455. *Indi-*
„ *ctione* IV. *die* 29. *Decembris*.

„ Reverendiſſimus Pater & Dominus D. Laurentius Juſtinia-
„ nus Miſeratione Divina Patr. Venet. audito, & intellecto per
„ Presb. Andream Titulatum Presb. & Procuratorem Capituli
„ Eccleſiæ S. Thomæ de Venetiis quod Eccleſia prædicta ha-
„ bet certas arcas ſub porticu Eccleſiæ ad ipſam Eccleſiam
„ pertinentes, quas Gaſtaldio & Officiales S. Aniani Caligario-
„ rum habere petunt pro ſepelliendis corporibus dictæ Scolæ
„ offerunt dare & ſolvere eiſdem Presbyteris & Capitulo prout

„ intra

„ infra deductum in pactis eorum pro bono & utili dictæ Ec-
„ cleſiæ & divino cultui ſervientium in dicta Eccleſia cedit
„ & contulit liberam licentiam & facultatem eidem Plebanò
„ & Presb. Andrea prædicto facientibus totum Capitulum dan-
„ di & concedendi eidem Gaſtaldioni & Sociis per ſe, & ſuc-
„ ceſſoribus ſuis in perpetuum dictas archas ſeu ſepulturas
„ cum pactis, & conventionibus quæ inierunt inter eos quæ
„ infra ſequuntur, quæ pacta & conventiones ipſe Reverendiſs.
„ Pater & Patr. ex nunc pro tunc ratificavit & confirmavit,
„ & pro majori horum robore ſuam interpoſuit auctoritatem,
„ atque decretum.

Anno MDCLII. Exterior Templi facies marmore eo quod ab Iſtria advehitur ab imo ad ſummum obtecta fuit collatis ad id eleemoſynis, ut conſpicua epigraphes in fronte affixa teſtatur.

„ D. O. M.
„ Hanc Mille Argenti Nummis Baduarius Ædem,
„ Plebsque Simul Reparant, Et Titulata Cohors.
„ Prima Camberlothi Laus Eſt; Linuscius Inde:
„ Tertius eſt Bullus Præſul, & Ipſe Merens.
„ Gloria Plebanis, Pietas Populo, Et Baduaria Vivet.
„ Et Procuratorum Hic Lapis Albus Erit.
„ Anno. Domini MDCLXX. Tertio Id. Nov. Capt. Jo: Bapt.
„ Nigronio.

Antiquiſſimum Divi Thomæ ſodalitium in ipſius Eccleſia ad aram majorem inſtitutum traditur ab anno circiter milleſimo cujus adhuc remanet marmoreum documentum hæc exhibens:

„ A nome di Chriſto Amen. Ad honor e ſtado del biado Apo-
„ ſtolo Miſier Tomado, a remiſſion d'ogni pecador MCCCLVIII.
„ del meſe di Magio fo fata e comenzada queſta benedetta
„ Scola di Miſier San Tomà Apoſtolo da Miſier Mario Nadal
„ Avicario ſier Nicoleto dalle Store ſcrivan, ſier Filippo Na-
„ dal Degan, ſier Piero Bon dal Ferro, e ſier Franceſco Ve-
„ rier, e ſier Piero Cimador, e ſier Nicolò Bereter, e ſier
„ Piero Calegher, e ſier Lorenzo Tentor, e ſier Antonio Ca-
„ legher, e ſier Andrea Orexe. Jacomelo Calegher Nonzolo,
„ Gaſtalda donna Nicolota, e Degana donna Catharina dalla
„ Sora. La qual Scola fu tratta da una Mariegola che com-
„ parſe in MCLXXXVII. del meſe d'Avril.

Tractu autem temporis, cum in obſequia Dominico Corpori in ipſa ara majori aſſervato præſtanda devote incumberet, Sodalitium ipſum inde Sanctiſſimi Sacramenti Schola dici & eſſe cæpit.

Ad Aram Divæ Theodoſiæ Virgini & Martyri dicatam, quam Goſypii elaborandi artifices vulgo *Fuſtagneri* Protectricem venerantur, ipſius Divæ lipſana Conſtantinopoli translata Brachium nempe & Pes aſſervantur, thecæ vero quibus continentur antiquæ ſtructuræ Græco opere, & caracteribus effigiem Sanctæ Martyris, & nomen exhibent. Ex immemorabili conſuetudine Sanctæ Theodoſiæ Virginis & Martyris ſolemnitas ritu duplici celebratur in Eccleſia S. Thomæ ad diem XXII. Decemb. cujus quoque commemoratio olim agebatur in Officio Dominicæ in Albis ob translationem fortaſſe ſacrarum Reliquiarum Venetiis factam.

Agunt de S. Theodoſia Virgine & Martyre Cæſareæ in Palæſtina Biographi Antuerpienſes ad diem II. Aprilis, ubi cultum ejus celebrem fuiſſe afferunt apud Græcos & quidem variis diebus, ejusque encomium ex Mæneis Græcorum eductum exhibent, Acta vero vitæ ac Martyrii ejus ex Latinorum libris ſeu ms. ſeu typis editis omittere maluerunt *veriti ne ex actis aliorum Martyrum ſint plurima aſſuta, aut inſerta.* Antiquam Virginis venerationem etiam in Eccleſia Occidentali viguiſſe ex Latinis Martyrologiis arguunt, in quibus plurima de Diva Theodoſia ex Latinis actis deducta referuntur. Quod vero ad rem noſtram magis attinet, Virginis *corpus aut notabilem ejus partem fuiſſe ex Palæſtina Conſtantinopolim aliquando translatum ejusque rei memoriam die* XXIX. *Maii feſtivius recoli in omnibus Mæneis, & Sinaxariis Græcis*, ex eo ſuaſos ſe dicunt ſupralaudati Hagiographi *quod hujus Sanctæ Virginis celeberrimus fuerit in Urbe Regia cultus*, ut præ cæteris colligitur ex Ephemeride Meorica ad diem 29. Maii; *unde autem* (optime arguunt eruditiſſimi Viri) *fuiſſet Conſtantinopolitanis ita proprium hoc feſtum, idque alio quam obiti Martyrii die, niſi ex occaſione translati eo corporis vel alia ſimili? Feliciſſimum Theodoſiæ Virginis de Tyranno trophaeum* Latino ſermone concinnavit *Franciſcus Niger Venetus Protonotarius Apoſtolicus* in quo primum Sanctæ Martyris familiam & genus, tum invictam in fide conſtantiam, & palmam triumphalem, deni-

denique miracula Venetiis patrata *brevi*, ut ait ipſe, *argumento faciliq́ue oratione proſequitur*. Priores Libelli partes fortaſſe ob ſuperius enuntiatas cauſas prætermittunt ſæpelaudati Antuerpienſes Hagiographi, tertiam vero ex integro proferunt Tom. I. Aprilis pag. *63*. In ipſius exordio Beatiſſimæ Martyris translatio ex Cæſarea, & ſepultura referuntur hoc modo: *Cum autem Deo Summo Optimo nefas eſſe videretur Beatiſſimæ Virginis Theodoſiæ Corpus inter fœdiſſimos carnifices jacere eo inſpirante Chriſtiani quidam ex Cæſarea Civitate membra ipſa ſanctiſſima in Conſtantinopolitanam Urbem transſerenda curavere, atque* IV. *Kalendas Junias non poſt multos annos in condigno monumento condidere. Ubi tanta cœpit meritis hujus Sanctiſſimæ puellæ in populos Deus oſtendere miracula quod totus pene terrarum orbis ad ejus ſepulcrum confluebat.*

Deinde ipſius miracula Venetiis facta fuſe enarrantur, ex quorum fama (cum in præclariſſima Venetiarum civitate tantæ Virginis nomen incognitum haberetur), cæpit exinde devota civium veneratione invocari. Mirum autem mihi prorſus videtur nullam de primo miraculo quod in Monaſterio Corporis Domini recenter ædificato patravit mentionem ingeſſiſſe Bartholomæam Riccobonam ejusdem Monaſterii Sanctimonialem in accuratiſſimo Chronico jam pluries enuntiato & laudato operis noſtri Decade I. Quid enim in cauſa eſſe potuit ut pia æque ac diligens Virgo inter cæteras Monaſterii res hoc ſolum ignoraverit vel prætermiſerit? Alia deinde Libelli author Sanctæ Martyris beneficia recenſet cuidam Venetæ mulieri ipſam invocanti præſtita, quam Andreæ Ingenerii matrem eſſe aſſerit. Andreas hic in Elencho Plebanorum S. Thomæ mox recenſendus Parœciam regere cæpit anno 1459. atque Canonicatu Ducalis Baſilicæ ornatus Notarii munus juxta illorum temporum conſuetudinem ad mortem uſque exercuit. Hæc ex Franciſci Nigri enarratione, in qua ne verbum quidem de lipſanis S. Theodoſiæ in hac Eccleſia antiquitus locatis nec de vetuſta ejus ara ibidem erecta.

Eadem miracula quæ ad Andreæ Sacerdotis matrem ſpectant referuntur paucis mutatis eodem pacto in libello Venetiis impreſſo per *Antonium de Zanchis Bergomenſem de Abano regnante Inclyto Principe Auguſtino Barbadico Venetiarum Duce* MCCCCLXXXXVIII. *die* XXII. *Menſis Decembris*: Antonii hujus

 impreſ-

impreſſoris meminit Orlandius, atque breviarium ab eo typis vulgatum refert, nullam tamen de Opuſculo hoc mentionem facit, quod bono omine datum eſt mihi reperire in Bibliotheca Cœnobii Veneti S. Mariæ Servorum. Libellus iſte cujus author ſuppreſſo nomine reticetur, agonem primo feliciſſimæ Martyris enarrat, quem ut pote e latinis Actis deductum & ab inſtituto noſtro nimis alienum conſulto omittimus; *Legendam* deinde profert *miraculorum Beatæ Virginis & Martyris Theodoſiæ, quæ operata eſt in Matre Vener. Presbyteri Andreæ dicti Ab Organis*, quæ prodigia cum in Urbe noſtra evenerint, ad reſtituendam inter Venetos tantæ Virginis venerationem exhibere optimum cenſeo.

„ Incipit legenda miraculorum Beate Virginis & Martyris
„ Theodoſie que operata eſt in matre Venerabilis Viri Domini
„ Præsbiteri Andree (*a*) dicti ab Organis ac Venetiis anno
„ Mccccxxxv. (*b*)

„ Virgo immaculata & Martyr invictiſſima Beata Theodo-
„ ſia ſanctimonia ejus palmam martyrii, & coronam virgini-
„ tatis ſibi vindicavit, que ſicut in vita hujus ſeculi ſuis ſan-
„ ctiſſimis orationibus multos a malo liberavit: ita hec in
„ morte devotos ſuos ab infinitis languoribus miraculoſe ſal-
„ vavit. Cujus res magnifice geſte & admirabiles per univer-
„ ſam greciam (*c*) clariſſime patent. Precipue Bizantii (*d*)
„ ubi ſanctiſſimum Corpus ejus requieſcit. Illa Virgo ſanctiſ-
„ ſima multos etiam in Urbe Venetiarum gratiarum genere
„ coronavit quos in preſenti Hiſtoria nominabimus de ceteris
„ vero alibi ſcripta (*e*) patent. Vivebat eo tempore Mater
„ cujuſdam Venerabilis Sacerdos nominatus Andreas ab orga-
„ nis vocata franceſchina mulier comendabilis vite & devo-

„ ta:

(a) *Andreas hic qui* ab Organis *nuncupatur idem prorſus eſt cum Andrea de Ingeneriis, cum enim, ut in ſexti miraculi enarratione dicitur, fiſtulis organi egregie luderet hinc id agnominis eſt illi inditum.*

(b) *Anno* MCCCCXXXV. *Presbyter tantummodo erat in Eccleſia S. Thomæ & Notarius, prout ex ipſius rogitis manifeſte apparet.*

(c) *De Divæ Theodoſiæ cultu per Græcam Eccleſiam late diffuſo ſuperius dictum eſt.*

(d) *Ex hac quoque enarratione confirmatur Corpus S. Theodoſie Conſtantinopolim translatum fuiſſe.*

(e) *Vel de Franciſci Nigri Opuſculo vel de alio volumine vitam & prodigia Sanctæ hujus Martyris referente verba hæc dicta ſunt.*

„ ta: cujus corpus adeo erat infirmitatibus oppreſſum ut unum-
„ quodque ejus corporis membrum tremeret.

„ *Primum Miraculum.*

„ OCULOS ipſa ſuos pre nimia infirmitatis moleſtia aperire
„ non valebat: ita ut ſi quando neceſſariis indigebat ad ma-
„ nus ſemper trahebatur. Accidit fato celorum ut quidam con-
„ ſtantinopolitanus prefate domine ancillam venderet: qui vi-
„ dens eam doloribus infirmitatum cruciari interrogavit: quod
„ cauſe fuerat, cui infirmitatis ejus principium fuit expoſi-
„ tum & dolorum via: quos patiebatur. Videns enim ipſe in-
„ firmitatem fore incurabilem cepit ei predicare ſanctiſſimum
„ nomen & varia miraculorum genera beate virginis & mar-
„ tyris Theodoſie (*a*). Poſt receſſus illius hominis maritus
„ ejus nomen ſancte Theodoſie muro inſcripſerat ante quod
„ ipſa flexis genibus orationem agens vovit dum viveret fe-
„ ſtum ejus ſolemniter celebrare partemque orationum & de-
„ votionum ejus in honorem virginis Theodoſie dietim de-
„ cantare debere. Nec dum orationem edixerat ſurrexit ab in-
„ firmitate ejus liberata: laudans Deum & nomen beate
„ Theodoſie.

„ *Secundum Miraculum.*

„ Remanſerat illius infirmitatis in parte dextera capitis que-
„ dam particula: ita ut caput tanquam glaciem frigidum fo-
„ re ſentiebat. Oblatum enim fuit a conſtantinopolitano ho-
„ mine donum ſibi devotum & optatum. Videlicet particula
„ panni quo ſanctiſſimum Theodoſie corpus in tumulo coper-
„ tum fuerat: (*b*) quam cum capiti impoſuit ab omni cor-
„ poris dolore & langore evaſit.

Ter-

(a) *Credibile eſt Conſtantinopolitanum hominem merita Beatæ Theodoſiæ præ cæteris Græcis Sanctis ideo mulieri infirmæ prædicaſſe quia ipſi innotuerat in proxima Divi Thomæ Eccleſia reliquias Sanctæ Virginis aſſervari.*

(b) *Apud Eccleſias tum Græcam, tum Latinam præcipuo in uſu fuit illuſtrium Sanctorum monumenta pannis cooperire, qui deinde devotionis intuitu aliquando inter fideles dividebantur.*

„ *Tertium Miraculum*.

„ Tranſactis vero annis fere tribus ſtatuerat ut ex bizantio „ ymago ſancte Theodoſie depicta aportaretur ut cum ſanctiſſimam ejus effigiem intueretur majori poſſet flagare devotione. Que cum delata fuit ob inordinati & nimii precii petitionem vir prefate mulieris imaginem ſanctam comparandam renuit. Sperabat enim pulchriorem & ejus animo gratiorem a venetis pictoribus (*a*) depingi. Ex eo enim tempore quando ymaginem remiſit: mulier illa in priſtinam iterum egritudinem incidit cruciata doloribus ac multis laboribus jactata. Recordata eſt in egritudine ymaginis beate Theodoſie quam dimiſerat: & convocans maritum & filium precepit ut beatam effigiem duplici precio ſolutam domum deportent. Factum autem eſt ita ut illa pictura domum deportata ſignum memoria condignum & magna devotione ſit operata videlicet ſanando mulierem de infirmitate quam iterum inciderat.

„ *Quartum Miraculum*.

„ Currente vero anno mileſimo quadringenteſimo quadrageſimoquinto apoſtemationis infirmitatem paſſa eſt eo quidem pacto ut omnes ſenſus ſuos amiſerat. Ululabat enim in doloribus ſuis non ut homo ſed velut fera atrociſſima. Derelicta denique ab omnibus medicis tanquam cadaver: cujus corpore ſpiritus vix ſuos regebat artus. Tota ejus familia merore plena lachrimans & plorans magis penas quibus corpuſculum ejus vexebatur quam ſecuturam mortem. Filius quidem ſuus quem in ſuperiori nominavimus miraculo accepit effigiem beate Theodoſie ante quam plorans vovit Deo & Sancte Theodoſie vigiliam in pane & aqua jejunare. Fecitque ei orationem humilime & devote his verbis.

Oratio

(a) *Seculo XV. ineunte floruerunt Venetiis Jacobelus de Flore pictor ea tempeſtate laudatiſſimus cujus mentio facta eſt ubi de Monaſterio S. Hieronymi, atque alii artis ejusdem avo illo peritiſſimi.*

Oratio filii.

(*a*) „ O Virgo & Mater invictiſſima beata Theodoſia cui pro-
„ pter honorem ſanctiſſimi ac divi nominis tui apud deum da-
„ ta eſt omnis poteſtas: te deprecor ut ſicut variis infinita largita
„ es miracula: (*b*) ita ut matri mee & toti noſtre familie hoc
„ beneficium impendere digneris: ut ſibi reddita ſanitate deum
„ vivum & te glorioſam virginem piam & miſerabilem in ec-
„ cleſiis tuis (*c*) ſine fine laudare valeat. Expleta oratione
„ impoſuit Figuram beate Theodoſie lumbis maternis receſ-
„ ſitque illico. Poſt modicum temporis clamores ejus infirmi-
„ tatis auditi non fuerunt: ita ut vir filiusque & ſui credentes
„ eam jam expiraſſe lectulum ubi jacebat receſſerunt. Quam cum
„ inveniſſent dormientem ac ſomno ſanitatis ſopitam admira-
„ ti abierunt. Audita autem eſt tunc mulier voce valida &
„ grandi clamare: vivat ſancta fides catholica & beata virgo
„ Theodoſia vivat ſancta fides: curſitavit tunc omnis familia
„ cameram ubi jacebat ut quod cauſe eſſet videret quam cum
„ repererint hinc inde per lectulum ſalientem & una voce omni-
„ bus clamantem palpate & videte corpus meum meritis glo-
„ rioſe Theodoſie ab omnibus moleſtiis, & anguſtiis libera-
„ tum. Vidit autem tunc omnis turba que aderat miracu-
„ lum grande & inopinale quod beata Theodoſia fuit operata:
„ mulier vero laxata ab infirmitate quam paſſa fuerat: ſtetit
„ ad modum octo dies in lecto: liberata ab omni malo, &
„ dolorum pena. Renarrabat poſtea ſuis qui ab ea querebant
„ cur in infirmitate tam vehementer proclamabat: beatam
„ Theodoſiam ad eam veniſſe cum piſcide plena reliquiis ſan-
„ ctorum ac ei mandaſſe ut ſimul cum ipſa vociferer vivat
„ ſancta fides catholica & beata virgo Theodoſia.

Quin-

(a) *Oratio hec diverſa omnino eſt ab illa quam Franciſcus Niger in ſuo Opuſculo protulit; ſenſus itaque eosdem, non eadem verba orantis filii authores hos expreſſiſſe dicendum eſt.*

(b) *De prodigiis loquitur in Græcia patratis.*

(c) *Ex his verbis non obſcure ſignificatur eo tempore Venetiis ad Sanctæ Theodoſiæ honorem aras erectas fuiſſe, nullam enim Eccleſiam nomini ejus in Urbe Veneta dedicatam datum eſt invenire.*

„ *Quintum Miraculum.*

„ Ab eo enim tempore maritus ejus feſtum beate Teodoſie „ ſolemniter domi celebrabat convocabatque omnes amicos ut „ illa die ſecum feſtum agerent: quibus libenter quasdam res „ ſuo ingenio fabricatas Locationis & ſolacii cauſa demon„ ſtrabat. Accidit tunc ut vaſo cupro igni impoſito aerem in „ ignem convertat: quod ob aeris in eo clauſi vim crepuit: „ percuſſit primo frontem prefate mulieris & exinde in ter„ ram cadens ellevatum iterum lecti velum transfixit. Inven„ tum eſt vas ruptum & totum coliſum. Quis hoc grande „ miraculum non admiraretur ut vas tanto impetu mulieri „ nihil noceat. Magna quippe eſt gloria tua Deus & ſancto„ rum tuorum potentia.

„ *Sextum Miraculum.*

„ Altera autem mulier ex eo tempore magna devotione ſan„ ctam Theodoſiam venerabatur: ita ut in ſomniis multa ve„ ra ſibi apparere faciebat. Filius autem ſuus pulſandi ſcho„ lam tenere conſueverat: in qua pro pueris in hyeme olam „ igne plenam tenebat. Cui a matre nuntiatum fuit ignem in „ ſchola fore diſperſum: & ſi non frequenter adproperaſſet do„ mum totam incendio deditam comperiet. timens ergo filius „ ne ſibi id contingat quod mater retulerat viſum: abiit in„ venitque eo pacto quo a matre ſibi nuntiatum fuerat. Alia „ infinita operata eſt miracula (*a*). Nam & hi qui in con„ trata (*b*) illa peſtem patiebantur ob iſtius mulieris de„ votionem Deo ac beate Theodoſie vovebant & mox libe„ rabantur.

„ Vos

(a) *Inter cætera ſanctæ hujus Virginis mirabilia Virum a gravi morbo liberavit, qui in grati animi teſtimonium carmen ad paſſionis ejus honorem Elegiaco Metro concinnavit, quod infra exhibemus.*

(b) De Contrata *S. Thomæ intelligendum eſt ubi præcipuus vigebat Sanctæ Martyris cultus, quamvis & in aliis Eccleſiis cultam fuiſſe credendum eſt ob ſacras ejus reliquias quæ in ipſis aſſervabantur, quemadmodum in Eccleſia Corporis Domini ubi ejus Pes, & in Eccleſia S.* [illegible] *ubi alia ejus inſignis Reliquia.*

„ Nos vero qui devotione ejus urimur hec que audivimus „ miracula expoſuimus ut & hi quibus has largita fuit gratias „ in legendo hyſtoriam majori flagrare poſſint devotione : & „ alii audientes ea que diximus precibus ſanƈte Theodoſie ſe „ commendare valeant. Deo gratias amen.

„ Carminis (*ſequentis*) author ſacre ejuſdem Virginis precibus „ ab omnipotentiſſimo Deo gravis morbi liberationem impetravit.

„ Proconſul ſacros ſacrate virginis artus
„ Impie quid toties dilaniare jubes
„ Auxilio ſuffulta Dei Theodoſia virgo
„ Exuperat penas ſceve tyrane tuas
„ Verberibus non leſa ſubeſt: nec carcere tetro
„ Incluſam angelici deſtituere chori
„ Deſiſte in ſacram ſcevire Urbane puellam
„ Ecce oleum ad penas igne calere nequit
„ Vincula ſolvuntur. Tumidis non mergitur undis
„ Hanc licet immenſo pondere ſaxa premant.
„ Ingeminata truces laſſant tormenta miniſtros
„ Virgo inviƈta manens carmina ſacra canit
„ Immo inter ſcevos cruciatus fortior illa
„ Speƈtantes fidei dogmata ſanƈta docet
„ Tradita de cœlo tanta eſt conſtantia menti
„ Virginee: tanta eſt Virginis alta fides.
„ Nec periiſſe putes quamvis poſtrema ſatelles
„ Implens juſſa ſuum abſtulit enſe caput
„ Vitrici aſcendit celos redimita corona
„ Regnat in etherei ſede locata poli
„ Illic leta capit Theodoſia grata laborum
„ Præmia ſuppliciis faƈta beata ſuis
„ Illic de terris voces & vota precantum
„ Preſentat ſummo Virgo rogata Deo.
„ Martyris ille memor fidei: memor ille dolorum
„ Quidquid pro nobis exigit ipſa facit
„ Hanc igitur merito noƈteſque dieſque precemur
„ Succurrat noſtris commiſerata malis
„ Atque omnes pariter Theodoſie Virginis alme
„ Cantemus dignum nomen ubique coli
„ Ut que de viro claros tulit hoſte triumphos.
„ Nos quoque preſidio protegat uſque ſuo.

Sequuntur inde & Romano & Monaſtico ritu Eccleſiaſtica Officia ad celebrandum Sanctæ Martyris feſtum apte ordinata quorum Antiphonæ Reſponſoria Capitula & Hymni Sanctæ Theodoſiæ agonem ex Latinis actis excerptum afferunt. Longiores inde Litaniæ *ad honorem glorioſiſſime Virginis Theodoſie Martyris Inclyte* libello finem imponunt, quæ variis titulis Theoſiæ nomen decorantes ejus apud Deum interceſſionem implorant.

Dies xxx. Julii ſolemnis Eccleſiæ eſt ob Sanctorum Martyrum Abdon & Sennen veneranda capita e Fulgineo Umbriæ civitate, (ut immemorabilis fert Eccleſiæ traditio) deducta, quæ quidem civitas ipſorum Martyrum lipſana ſe habere gloriatur. De ipſorum Reliquiis alibi aſſervatis Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, & ſupralaudati Hagiographi Antuerpienſes ad diem 30. Julii.

Manus, & alia Sanctorum Innocentium Martyrum oſſa ad aras decenter locata quieſcunt.

Os integrum quod ex antiqua Eccleſiæ traditione ad Divum Apoſtolum Titularem pertinere dicitur.

Eccleſiam præ vetuſtate corruentem ex unanimi Capituli & Parochianorum conſilio anno MDCCXLI. ſtatutum fuit ſolo æquare, dumque opus everſionis inceptum in pervigilio Nativitatis Deiparæ progrederetur, die 11. Octobris, terram ad jacienda fundamenta effodientes pavimentum lapideum muſivo opere confectum atque multa hac illac monumenta, & altius humum egerendo antiquæ ciſternæ ruinas invenerunt, quæ utique antiquitatis veſtigia priſcum uſum humiles & ad imum deſcendentes Eccleſias conſtruendi confirmare videntur.

Primos Eccleſiæ lapides ſolemni pompa in fundamentis jecit Aloyſius Foſcari Patriarcha Venetiarum, cujus rei memoria ipſis quoque lapidibus credita fuit his verbis:

„ *In uno lapidum.*
„ Quis poſuit hunc lapidem Aloyſius Foſcari Patriarcha Ve-
„ netiarum Die XXII. Febr. MDCCXLII.

„ In altero vero lapidum.
„ *Sedente Benedicto* XIV. *Pontif. ſui An.* II. *Duce Petro Gri-*
„ *mano Plebano Jo: Baptiſta Brunelli.*

Conſecratio dictæ Eccleſiæ anniverſaria celebritate recolebatur die XI. Septembris.

Series

Series Plebanorum Eccleſiæ Sancti Thomæ Apoſtoli.

1221. Hermacoras. Ex Arch. Eccleſiæ.

1288. Marcus Rana Notarius & Aulæ Inclyti Ducis Venetiarum Cancellarius complevit anno 1293. privilegii confirmationem datam a Petro Gradonico Duce Abbati, & Monaſterio S. Hilarii. Ex Arch. Abbat. S. Gregorii.

1298. Leonardus. Ex Arch. Eccleſiæ.

1309. Jacobus Vendelinus, Canon. Ducal. Ann. 1310. cum nefariæ Bajamontis Theupuli conjurationi nomen dediſſet exilii perpetui pœna damnatus fuit cum Nicolao, & Joanne fratribus in ipſo ſcelere ſociis. Ex Caroldo & Savina.

1334. Franciſcus Mieli Archipresb. Cong. S. Sylveſtri. Ex rog. Guidonis Presb. S. Baſſi & Not.

1337. Marcus Longo Nob. Ven. Not. & Aulæ Inclyti Ducis Venet. Cancell. Archipresb. Cong. S. Sylveſtri. Obiit 27. Junii 1337. Ex rog. Nicolai de Grimanis Presb. S. Pauli & Not.

1341. Laurentius de Medio Archipresb. Cong. S. Pauli olim Pleb. S. Joannis in Oleo. Ex rog. Nicolai de Grimanis ſupradicti.

1347. Nicolaus Triviſanus. Obiit 8. Novemb. 1348. Ex rog. Omneboni Pleb. S. Joannis de Rivoalto.

1350. Joannes de Molino. Ex rog. Nicolai Stamario Pleb. S. Fantini. Obiit 14. Maii 1367.

1368. Nicolaus Fuſculo Presb. S. Bartholomæi Canon. S. Marci & Archip. Cong. S. Lucæ. Ex ejus Teſtamento completo per Joannem Gazzo Pleb. S. Joannis Decolati & Not.

1389. Antonius de Belanzinis ſeu Ballanzonis Not. & Aulæ Ducis Venet. Cancell. olim Presb. Eccl. S. Pauli Canon. Caſtell. Ex rog. ejusdem.

1403. Antonius Catapanus Archip. Cong. S. Pauli in teſtamento mandavit de ſepultura corporis ſui hoc modo: Volo corpus meum ſepelliri ſub porticu dictæ Eccleſiæ S. Thomæ. Ex teſtam. ejusdem.

1427. Antonius Tarandino Baſilicæ Ducal. Canon. Obiit primo Aprilis 1459. Ex teſtam. & lapide ſepulcrali.

1459. Propertius Doctor egregius. Obiit ipſo anno 1459. die VIII. Auguſti.

1459. Andreas de Ingeneriis Canon. S. Marci Not. Curiæ Procuratoris. Ex rog. ejusdem, de eo ſuperius dictum eſt.

1499. Aloyſius Venturini. Ex Arch. Eccl.

1509. Joannes Franciſcus Zucconianus J. U. D. atque Antonii Contareno Patriarchæ Venetiarum Vicarius in ſpiritualibus generalis. Monialibus S. Danielis habitum laneum griſeum ex privilegio Julii Papæ II. in lineum album mutavit, quem deferunt Canoniſſæ Regulares Lateranenſes.

1531. Carolus Rhenius J. U. D. Canon S. M. Obiit 10. Novemb. 1566. extra Venetias, & deinde corpus ejus delatum fuit Venetias. Ex Arch. Eccl.

1566. Aloyſius Bondumerius. Ex Arch. Eccl. Obiit 3. Dec. 1576.

1577. Dom:cus de Bernardinis. Ex Arch. Eccl. Ob. 20. Junii 1594.

1594. Vincentius Galleriani. Ex Arch. Eccl. Ob. 17. Martii 1596.

1596. Ludovicus Panzani. Ex Arch. Eccl. Ob. 18. Decemb. 1612.

1613. Petrus Vertua. Ob. 13. Januarii 1616. M.V. Ex Arch. Eccl.

1617. Auguſtinus de Stephanis. Ex Arch. Eccl. Ob. 8. Mart. 1620.

1620. Hieronymus Franchi. Ex Arch. Eccl. Ob. 12. Maii 1631. peſte correptus.

1631. Matthæus Caberlotus S. T. D. Ex Arch. Eccl. Ob. 27. Januarii 1663. M. V.

1663. Joannes Maria Linuſius. Ob. 15. Novemb. 1669.

1669. Jacobus Bulli Canon. Caſtell. Ob. 9. Martii 1698.

1698. Petrus Gobbati Archip. Cong. S. Pauli. Ob. 28. Junii 1722.

1722. Angelus Zanardi J. U. D. Canon. Duc. Ob. 12. Martii 1735.

1735. 16. Martii. Joannes Baptiſta Brunelli Eccleſiam collabentem piorum eleemoſynis quos verbo & exemplo ad pium opus accendit a fundamentis ſumptuoſo opere reædificandam curavit.

DE

DE
ECCLESIA PAROCHIALI
SANCTI PANTALEONIS Mart.

VENETI Cives jam inde a primis Reipublicæ exordiis, quum ad Græcas Urbes ipſamque Conſtantinopolim velificarent, & commercii cauſa ultro citroque commearent, a Græcis cultum Sanctorum, qui in iis regionibus magno in honore erant, contraxere. In primis autem D. Pantaleonem cœperunt colere, cujus nomen tota urbe frequens evaſit, & inde factum eſt, ut Civibus ejus nomen in ſacro fonte aſſumentibus locus vulgari cuidam Scommati daretur. Sacra etiam D. Pantaleonis oſſa obtinuerunt, eo crediderim tempore, quo Byzantium cum Gallis fœderatis expugnarunt, & inter opima ſpolia vim etiam ingentem Reliquiarum (ut exteri quoque Scriptores notant) diviſerunt. Quomodocunque peracta ſit translatio, quam Veneti authores alto ſilentio præterierunt, Divi Pantaleonis Lipſana honorifice locata quieverunt apud Divi Marci Procuratores, donec (ut quædam ms. chronicæ teſtantur) An. 1314. Jacobus Bertaldus ſeu Bonfaldus Eccleſiæ S. Pantaleonis Presbyter & Ducalis Notarius ea ſuæ Eccleſiæ impetravit, ut majori magisque publico

cultui

cultui darentur. Quanquam autem alicubi legatur corpus S. Pantaleonis tranſlatum in hanc Eccleſiam fuiſſe, non tamen intelligendum eſt de integro corpore. Fuit enim iis temporibus communiter receptus (quod notant Ferrarius aliique eximii authores) mos, ut Corporis nomine donaretur quæcunque notabilis atque inſignis ejusdem pars. Hoc ipſum de Divo hoc dicendum eſſe, ex eo deducitur, quod ante tranſlationem complures Venetæ Eccleſiæ & ipſum Ducale Divi Marci Templum habebant inſignes S. Pantaleonis Reliquias, nec niſi partes aliquæ, etſi inſignes ad Templum Divo huic ſacrum transferri potuerunt. Sanſovinus hujus Eccleſiæ exordia familiis Signolæ, & Daulæ poſtea Dandulæ attribuit An. 1205. Decipi tamen virum meritiſſimum evincunt chronicæ a Savina a Theupolo aliisque accuratis authoribus conſcriptæ, quorum teſtimonio novimus jam inde ab Anno 1009. Duce Ottone Urſeolo reædificatum fuiſſe Sacellum S. Pantaleonis a familia Jordana, quæ mox inter Patricias adnumerata fuit. Dum igitur ad annum 1009. dicitur reædificatum, multo ante extiterat. Hoc idem teſtimonium populari traditioni adverſatur, quæ jampridem invaluit, nimirum Eccleſiam hanc titulo Abbatiæ fuiſſe inſignitam, & Santæ Julianæ Virgini Nicomedienſi & Martyri ſacram, donec Angelus Simiteculus Abbas ultimus commendatarius, illam in Parœciam erexit Divo Pantaleoni Martyri dicatam.

Commentum hoc anile ex autographis documentis reprobatur ad annos 1207. & ſequentes confectis, in quibus Plebani S. Pantaleonis, & præcipue Angelus Semiteculus nullo alterius dignitatis addito titulo nuncupantur. Horum primo *Petrus Marino* de confinio Sanctæ Crucis anno 1207. pro *petia de terra vacua poſita in confinio S. Pantaleonis* ſibi *ſub annuali penſione* a Michaele Presbytero, & Procuratore Eccleſiæ Sancti Pantaleonis conceſſa promittit ipſi *Procuratori, & Procuratoribus, ſeu Plebanis qui per tempora erunt in eadem Eccleſia perpetualiter dare, & perſolvere in Nativitate Domini in unoquoque anno in ſupraſcripta Eccleſia, & ejus Vicariis libras boni olei ſex & mediam* certis ſtatutis conditionibus, quæ in ipſo promiſſionis inſtrumento manu Dominici Suavis Plebani S. Joannis Evangeliſtæ & Notarii completo & roborato fuſius exhibentur. (A) Altero, quod donationis inſtrumentum eſt

Jaco-

Jacobus Barbo Procurator Eccleſiæ S. Marci *Angelo Simitecalo Presbytero & Plebano Eccleſiæ S. Pantaleonis*, *ejusque ſucceſſoribus in perpetuum medietatem totius unius Laci*, quæ pridem fuerat *de jure & pertinentia ſupraſcriptæ Dei Eccleſiæ S. Pantaleonis* cum pleniſſima poteſtate conceſſit donationis tabulas firmante *Joanne* ipſius Eccleſiæ *S. Pantaleonis Presbytero* & Notario. (B) Ex hujus porro Notarii nomine & titulo, quibus ſe Joannem S. Pantaleonis Presbyterum appellat non obſcure deduci poteſt jam tunc Eccleſiam S. Pantaleonis fuiſſe Collegiatam. Ad annum quoque 1251. altero donationis inſtrumento Angelus ipſe Semiteculus Plebanus *conſentiente Ven. Patre Domino Petro* (Pino) *Dei gratia Epiſcopo Caſtellano de conſenſu & voluntate expreſſa Joannis*, *Marini*, *& Pauli* Presbyterorum (en tibi evidenter Collegiatam, ne dum Parochialem Eccleſiam), ordinavit, & ſtatuit ut redditus poſſeſſionum quas proprio labore acquiſierat, atque ſolerti induſtria ad meliorem ſtatum adduxerat paludes elevando, & domos ædificando, de cætero in tres partes dividerentur, quarum una ſibi & Plebanis pro tempore exiſtentibus, ſecunda vero Presbyteris & Clericis, tertia demum Eccleſiæ ornatui, & Pauperum ſubſidio æquis portionibus dividenda aſſignarentur. Inſtrumentum cui ſubſcripſerunt Plebanus, & tres titulati Presbyteri, atque ſua manu firmavit Petrus Epiſcopus, in publicas ſolemnes tabulas redactum fuit die 20. Junii anno milleſimo ducenteſimo quinquageſimo primo per Bartholomæum Eccleſiæ SS. Apoſtolorum Plebanum & Notarium. Piiſſimi viri donationem, & ſtatutas in inſtrumento ordinationes, ut majori ſoliditate firmarentur apoſtolica authoritate approbavit Innocentius Papa IV. dato Mediolani Diplomate die XXI. Julii anno milleſimo ducenteſimo quinquageſimo primo. Iisdem die & loco ipſe Pontifex Abbati Sanctorum Yllarii & Benedicti Caſtellanæ Dioceſis per Apoſtolica ſcripta mandavit ut Clericos S. Pantaleonis, ad quorum preces Angeli Plebani donationem confirmaverat contra ejusdem confirmationis tenorem non permitteret indebite moleſtari, moleſtatores hujusmodi per cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo (C). Innocentii Decretum novæ approbationis munimine roboravit Alexander hujus nominis Papa Quartus die XII. Jannuarii Anno Domini milleſimo ducenteſimo quinquageſimo ſeptimo (D).

Paro-

Parochialis itaque Divi Pantaleonis Eccleſia ſtudio ſupralaudati Angeli Plebani reſtaurata, & in meliorem formam reſtituta fuit ope præſertim familiarum Gavillæ, Jordanæ, & Signolæ quarum hæc ultima ſupremam ædificationi manum impoſuit. His actis piiſſimus Plebanus evolavit ad cœlum Parœcia per multos annos magna cum pietatis laude optime adminiſtrata, a Joanne Theupolo in ſuo indice Beati titulo inſignitus. Emortualem ejus epigraphen dabimus in ſerie Plebanorum.

Primam Eccleſiæ conſecrationem ex marmorea epigraphe addiſcimus talia exhibente.

„ 1305. menſe Julii die XIV. exeunte conſecrata fuit Eccle-
„ ſia S. Pantaleonis per Venerabiles Patres Dominos Fratrem
„ Rambertum Epiſcopum Caſtellanum. Antonium Banſtro Ar-
„ chiepiſcopum Durach. Petrum Archiepiſcopum de Nazareth.
„ Fratrem Auguſtinum Epiſcopum Civitatis Nove. Joannem
„ Epiſcopum Caprulanum, & Albricum Epiſcopum Valon. qui
„ omnes Pontifices indulgentiam fecerunt omnibus vere peni-
„ tentibus & confeſſis, qui ſingulis annis ipſam Eccleſiam vi-
„ ſitabunt eo die & per ejus octavam ann. VI. & XL. DI.

Longi autem temporis tractu Templum ob vetuſtatem fatiſcens anno 1684. ſolo æquatur, indeque a fundamentis in ampliorem ornatioremque formam deduci cæpit, atque tandem anno 1704. (opus aſſiduo ſtudio promovente Joanne Antonio Zampelli Plebano) ex pio fidelium ære abſolutum eſt, ariſque marmoreis ingentis ſumptus decoratum. Eas inter præcipue ſpectanda eſt quæ Divo Martyri Pantaleoni ſumptuoſo opere erecta fuit, atque anno MDCCXLVI. a Gaſpare de Nigris Epiſcopo Parentino VIII. Idus Februarii conſecrata. Marmoreis hic loculis incluſa aſſervantur ipſius Sancti Titularis aliorumque Divorum lipſana, atque Dominicæ Crucis inſignis portio, quam ex Pauli Lambardi teſtamento legatam Eccleſiæ huic lata ſententia adjiudicarunt Curiæ Procuratorum Judices die XXXI. Maii anno MCCCCII. (E)

Inſignes vero tum Divi Pantaleonis tum aliorum Sanctorum Reliquias ſingillatim recenſere non abs re fore puto. Cryſtallus os cruris continet, cui appoſita eſt argentea lamina græcis inciſa caracteribus, ex quibus hi tantummodo (reliquis diuturnitate temporis conſumptis) conſpiciuntur


|T|....TNKΛ....RNK|T|C \ MENOG....ΘΠA T

Capſu-

Capſula ex argento inaurato operculo carens duo oſſa aſſervat cum hac Græca inſcriptione,

✠ ΙΑΤΡΟϹ	quam ſic interpretamur:
ΟΥ ΤΟϹΜΡ	*Medicus iſte Martyr*
ΑΤΥϹΠΑ	Pantaleo,
ΝΤϾΛϾΗ	vel ut aliis placet
ΜΟΟΝ:—	*Medicus hic omnibus*
	Pantaleon.

Argentea Græcanici operis arcula, in qua ſervantur duo integra oſſa, dens collumellaris, pluraque alia oſſium fragmenta. Ipſi adjecta viſitur hæc epigraphes Græcis caracteribus barbaro nimis modo exaratis.



✠ ΕΥΡΟΙΜΙ ΔΩΡΟΞΕΟΣ ΕΝ ΚΡΙΣΕΙ ΤΟΤΕ ΠΑΝ-ΤΕΛΕΗΜΟΝα ΠΡΕΣΒΙΝ ΕΙΣ ΤΟΝ ΔΕσποτην.

Quæ verba, facili conjectura ex aliis quoque conſimilis operis Græcis Inſcriptionibus ſumpta, ſic vertimus.

Jesus	Christus
Vin	cit

Inveniam Dorotheus in Judicio tunc Pantaleonem Interceſſorem apud Dominum.

Oſſis fragmentum argentea lamina includitur, cui circumſtant hæ litteræ:

✠ ΑΓΙΨΑΝΟΝ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΠΑΝΤ
ЄΠЄΗ ΩΜΟΓ: ΧΟΧΟΧΟ.

Reliquiæ Sancti Pantaleonis.

Os integrum argentea lamina coopertum, quo ex antiqua Eccleſiæ conſuetudine aqua benedicitur ad febres depellendas beneficiis probata.

Aliis quoque ditatur Eccleſia Reliquiis, quas inter os S. Julianæ Nicomedienſis Virginis & Martyris quam uti titularem veneratur Clerus officio duplici ex immemorabili conſuetudine ad diem XVI. Februarii. Hoc olim ad Altare ipſi dedicatum aſſervabatur; ut plumbea lamina conſecrationis adhuc aſſervata teſtatur.

HOC ALTARE CONSE CRATVM AD HONOREM MARIÆ V S. P. APPLL AT QVE IVLIANE.	*Ex altera parte.* RELIQVIE· S. IVLIANE.

Reliquiæ S. Pantaleonis aliorumque divorum ſuper aram viſebantur, quam omnibus triumphantis Eccleſiæ Civibus voluit eſſe dicatam anno 1444. Franciſcus Gritti ex hujus Eccleſiæ Plebano Archiepiſcopus Corcyrenſis, ut hæc plumbea lamina exhibet.

„ Reliquie de S. Pantalon. de S. Maffio, de S. Almorò, de
„ S. Aguſtin, de S. Arian Eremita. & altre Reliquie trovade
„ in un altare conſegrado collocade nel preſente altare de ogni
„ ſanti, conſegrado 1444. adi primo Novembre. fu fondado e
„ dotado p. miſier Franceſco gritti piovan de S. Pantalon e
„ Cancellier del Prencipe.

Ex iis tantummodo ſuperſunt Divorum Matthæi, & Pantaleonis Reliquiæ:

Altera quoque plumbea lamina aliorum Sanctorum nomina & reliquias recenſet.

„ He

„ He S. Rel. SS. App. Mart. Philippi. & Jacobi. Sebaſtiani.
„ Clementis. Stephani. Remigii Marcelli & Petr. Coſm. &
„ Damian. quatuor Coronatorum Tabre, Tabrathe, Fortu-
„ nati, Sabini, & Pontiani, Eutichii Mm.

Ex quibus reliquiis deperditis modo ſuperſunt Sebaſtiani, Clementis, & Petri Martyrum fragmenta.

Colitur quoque inſigne Divæ Magdalenæ Os ex antiqua Eccleſiæ ara Sanctiſſimo Chriſti Corpori olim die XVIII. Novemb. anni 1553. conſecrata, una cum Divi Pantaleonis oſſe erutum: Memoria autem Conſecrationis hæc eſt:

„ Nos Joannes Franciſcus de Rubeis Decretorum Doctor,
„ Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Auren. ac pro Re-
„ verendiſs. D. Patriarca Venetiarum ſuffraganeus conſecravi-
„ mus hoc altare in honorem SS. Corporis Chriſti, in quo po-
„ ſuimus Reliquias S. Pantal. M. & S. Mariæ Magdalenæ con-
„ cedentes ſingulis annis in ejus anniverſario omnibus Chri-
„ ſtifidelibus pie viſitantibus dies 40. indulgentiæ. In quorum &c.
„ MDLIII. die XVIII. Menſis Novembris.

Præterea unius ex Bethleemitis pueris corpus.
Divæ Appoloniæ V. M. dens.
Ex Cranio S. Thomæ Apoſtoli, & ex Præcurſoris crure venerandæ portiones.

Novi Templi ſolemnem peregit conſecrationem Aloyſius Foſcari Patriarcha Venetiarum die 29. Auguſti anno 1745. cujus memoria lapideæ epigraphi tradita fuit.

„ Has ædes D. O. M. in memoriam SS. Chriſti Martyrum
„ Pantaleonis, Hermolai, atque Julianæ anno centeſimo ſupra
„ milleſimum jam erectas vetuſtate labentes, ac denuo in am-
„ pliorem hanc formam a fundamentis extructas ſolemni ritu
„ dedicavit Aloyſius Foſcari Patriarcha Venetiarum Dalmatiæ-
„ que Primas IV. Kalendas Septembris CIↃIↃCCXLV. Gregorio
„ Bianchi Plebano curante Benedicti XIV. Pontificis Maximi
„ anno VI. Petri Grimani Ducis V.

Ordo Chronologicus Plebanorum Eccleſiæ S. Pantaleonis.

1222. Angelus Simiteculus Nobilis Venetus maximus Eccleſiæ benefactor quam inſtauravit, & redditibus auxit: Vir eximiæ pietatis a pluribus, inter quos etiam a Joanne Teupulo Patriarcha Venetiarum, Beati titulo inſignitur. Per plurimos annos Parœciam optime adminiſtravit, obiitque die VI. Januarii 1253. ut ejus ſepulcrale elogium manifeſtat.

„ ✠ En jacet in tumulo Plebanus Angelus iſto.
„ Vir fuit angelicus divino lumine fultus.
„ In ſe vir parcus pietatis munere largus.
„ Hoc docet Eccleſia terraque nuper egena.
„ Partem contratæ lucratur viribus arte.
„ Copia nummorum trahitur de parte domorum
„ Fundamen quarum ſuperat curſus aquarum.
„ Eccleſiam reparat ceræ totamque decorat.
„ Hiſtoriam ſancti retinent hæc mænia Templi.
„ Hic voluit ſumma fiat diviſio trina.
„ Plebano prima ſit Presbyteriſque ſecunda.
„ Tertia ſit fabricæ ſit donum pauperis eque.
„ Preſul cum Papa confirmant hæc ſua facta.
„ Mille ducentenis certe cum quinque decenis.
„ His tribus junctis Domini currentibus annis.
„ Ad patriam vitæ migravit Presbyter iſte.
„ Nam feſtum ſtelle ſequebatur luce ſequente.
„ Iſtos verſiculos dat Clemens ecce Sacerdos.
„ Procurat Dominus hæc talia Bartholomæus.
„ Cujus erat vere cognomen Juſtinianus.

1253. Marinus Dandulus Nobilis Venetus. Ex Cataſticis Eccl.

1286. Simeon Maurus Nobilis Venetus Plebanus primum SS. Gervaſii & Protaſii 1263. ut in duplici membrana in chartulariis Eccleſiæ; mox anno 1269. Plebanus S. Barnabæ, & Vicarius totius Capituli Caſtellani anno 1286. vacante Sede Epiſcopali; Quo anno ad Plebanatum S. Pantaleonis electus eſt; ad Clodienſem inde Sedem expoſtulatus onus ſubire recuſavit: tandem anno 1287.

Primi-

Primicerius Ducalis Baſilicæ renunciatur. Obiit Epiſcopus Caſtellanus.

1288. Bartholomæus Dandulus Nob. Venet. Obiit die XIV. Octobris an. 1310. ut ejus emortualis inſcriptio docet.

„ ✠ Hic jacet Dominus Bartholomæus Dandulus olim „ S. Pantaleonis Plebanus: 1310. menſe Octuber die „ XIIII. intrante.

Ab aliquibus Jacobum Bartaldum Plebanum S. Pantaleonis circa hæc tempora Eccleſiam adminiſtraſſe dicitur: Verum cum nullibi eum Plebanum legerim, ſed tantummodo S. Pantaleonis Presbyterum, extra Plebanorum ordinem virum meritiſſimum laudandum cenſeo.

1321. Nicolaus Zanchanus dictus Boacino. Ex cataſt. Sanctæ Margharitæ.

1362. Aloyſius Mauroceno Nobilis Venetus.

1366. Paulus Foſcari Nob. Ven. Decretorum Doctor electus die 26. Novemb. Cum Parœciæ per ſeptem dies præfuiſſet ad Epiſcopatum Coronenſem aſſumptus fuit die 11. Decemb. Obiit Epiſcopus Caſtellanus 1376.

1380. Laurentius de Curſanis. Ex rog. Petri Zonello Pleb. S. Martialis.

1385. Peregrinus Vivianus. Ex rog. Comitis de Bertholdis.

1401. Alexander De medio Nob. Ven. Ex Arch. Eccl.

1402. Alexander de Bonacurſio. Ex Cataſtico Eccleſiæ. Vide documentum hujus Eccleſiæ littera E.

1405. Martinus de Bernardinis Canon. Tarviſinus & Cenetenſis anno 1398. Plebanus S. Jeremiæ, Caſtellanus Archipresbyter, atque S. Mariæ Formoſæ Presbyter (fortaſſe Titulatus) ad Plebanatum S. Pantaleonis translatus eſt anno 1405. Prioratum S. Salvatoris Venetiarum commendatario titulo anno 1423. aſſumpſit, indeque anno ſequenti ad Eccleſiam Juſtinopolitanam evectus fuit (Ugh. Tom. V. col. 390.) Anno deinde 1428. ad Epiſcopatum Motonenſem translatum fuiſſe aſſerit Lequienius in Oriente Chriſtiano. Archiepiſcopus tandem Corphienſis renunciatus *cum nonnullas pecuniarum quantitates, atque alia mobilia & immobilia bona per Georgium* (Delphinum Ordinis Predicatorum

cujus

cujus mentionem ingerit Lequienius in Oriente Sacro) *Archiepiſcopum Corphienſem præceſſorem tempore ſui obitus relicta, & ad menſam Archiepiſcopalem Corphienſem legitime ſpectantia ad diverſas perſonas perveniſſe* cognoviſſet, quæ ea reſtituere injuſte renuebant, Apoſtolicæ Sedis authoritatem pro Eccleſiæ bonis recuperandis imploravit. Datis itaque die XXIX. Aprilis anno milleſimo quadringenteſimo trigeſimo primo epiſtolis Eugenius Papa IV. Paulo Venerio Abbati S. Michaelis de Muriano nec non S. Joan. Chryſoſtomi & SS. Apoſtolorum de Venetiis Plebanis per Apoſtolica ſcripta mandavit, quatenus vocatis perſonis prædictis & auditis hinc inde propoſitis, quod juſtum eis videretur appellatione remota decernerent. Diploma damus ex autographo deductum quod in archivo S. Michaelis de Muriano aſſervatur.

„ Eugenius Epiſc. Servus Servorum Dei Dilectis filiis Abbati Monaſterii S. Michaelis de Muriano Torcellanæ ac S. Johannis Chriſoſtomi & SS. Apoſtolorum de Veneciis Caſtellanæ Diœceſum plebium plebanis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Sua nobis Vener. Frater noſter Martinus Archiepiſcopus Corphienſis petitione monſtravit, quod nonnullæ pecuniarum quantitates jocalia vaſa aurea, & argentea, nec non alia mobilia, & immobilia bona per bo: mem: Georgium Archiepiſcopum Corphienſem dicti Martini Archiepiſcopi prædeceſſorem tempore ſui obitus relicta, & ad menſam Archiepiſcopalem Corphienſem legitime ſpectantia ad diverſas perſonas pervenerunt, quæ teſtamentariæ diſpoſitionis, quam præfatus Georgius Archiepiſcopus feciſſe dicitur & aliis captatis occaſionibus innitentes ipſi Martino Archiepiſcopo ad opus ejuſdem menſæ pecuniarum quantitates jocalia vaſa & bona hujuſmodi deliberare & tradere indebite contradicunt in ipſorum Martini & menſæ præjuditium non modicum, atque damnum. Quocirca diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus quatenus vocatis perſonis prædictis etiam ſi eccleſiaſticæ, & quotcunque numero ſint, ac aliis qui fuerint evocandi & auditis hinc inde propoſitis quod juſtum fuerit appellatione remota decernatis facientes, quod decreveritis per cenſuram eccleſiaſticam firmiter obſervari. Teſtes autem qui fuerint nominati ſi ſe gratia odio vel timore ſubtraxerint cenſuram ſimili appella-

„ pella-

„ pellatione ceſſante compellatis veritatis teſtimonium perhibe-
„ re. Quod ſi non omnes hiis exequendis potueritis intereſſe
„ duo aut unus veſtrum ea nihilominus exequantur.

„ Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Domi-
„ nicæ milleſimo quadringenteſimo triceſimo primo III. Kal.
„ Maii Pontificatus noſtri Anno Primo.

Commiſſionem inde a Nicolao V. Pont. Max. anno 1447. dum Venetiis ſe ſe deduxiſſet accepit, ut tanquam Delegatus Apoſtolicus Monaſterium S. Hieronymi Ordinis S. Auguſtini extra muros Civitatis Tarviſinæ recenter extructum, alteri Monaſterio Camaldulenſis Ordinis S. Chriſtinæ tunc, modo S. Pariſii nuncupato, atque in ipſa Tarviſii Civitate poſito authoritate Apoſtolica adnecteret & uniret. Hæc per Franciſcum Gritti ſuum in Plebanatu S. Pantaleonis ſucceſſorem quem ad hæc exequenda ſubdelegatum elegerat præſtitiſſe noſcitur ex ipſo ſubdelegati inſtrumento dato & acto Venetiis die xx. Octobris anno MCCCCXLVII. quod ad calcem Pontificii Diplomatis exhibemus.

„ Nicolaus Epiſcopus Servus Servorum Dei Ven. Fratri
„ Martino Archiepiſcopo Corphienſi Venetiis Caſtellana Dioe-
„ ceſi reſidenti Salutem, & Apoſtolicam benedictionem. Di-
„ gna reddimur attentione ſolliciti, ut in admittendis eorum
„ votis, benivolum impartiamur aſſenſum, qui mundanis il-
„ lecebris, & mortalis viri thoro propulſis, in illius, qui præ
„ filiis hominum ſpecioſus exiſtit beneplacitis ſub ſuavi con-
„ templationis jugo laudabiliter converſantur. Exhibita ſiqui-
„ dem Nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum
„ Bartholomeæ S. Hieronymi extra, & Luciæ S. Chriſtinæ in-
„ fra Triviſij muros S. Auguſtini & Camaldulenſis Ordinum
„ Monaſteriorum Abbatiſſarum petitio continebat, quod in
„ unoquoque Monaſteriorum prædictorum duæ duntaxat Mo-
„ niales commorantur, quæ & Abbatiſſæ prædictæ ſub regu-
„ lari obſervantia S. Benedicti in eodem Monaſterio S. Chri-
„ ſtinæ vivere, ac earum Sponſo, qui Chriſtus eſt, perpetuo
„ famulari ferventer exoptant, dummodo ipſæ Abbatiſſa & Mo-
„ niales S. Hieronymi cum earum bonis ad præfatum Mona-
„ ſterium S. Chriſtinæ transferantur, ipſumque Monaſterium
„ S. Hieronymi præfato Monaſterio S. Chriſtinæ perpetuo unia-

„ tur,

„ tur, annectatur & incorporetur. Quare pro parte dictarum
„ Abbatiſſarum aſſerentium propter hujusmodi unionem, ſi
„ fiat, earum & dictarum Monialium ſaluti animarum rerum-
„ que & bonorum ſuorum conſervationi debita cum honeſta-
„ te proviſum eſſe, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut di-
„ gnitatem Abbatiſſalem ac Ordinem S. Auguſtini in præfato
„ Monaſterio S. Hieronymi ſupprimere & extinguere, illud-
„ que cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis, præfato Mo-
„ naſterio S. Chriſtinæ perpetuo unire annectere & incorpo-
„ rare dictasque Moniales in eodem Monaſterio S. Hierony-
„ mi degentes cum rebus & bonis ſuis omnibus ad prædictum
„ Monaſterium S. Chriſtinæ transferre, aliisque in præmiſſis
„ opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.
„ Nos igitur de præmiſſis certam notitiam non habentes, hu-
„ jusmodi ſupplicationibus inclinati Fraternitati tuæ per Apo-
„ ſtolica ſcripta mandamus, quatenus de præmiſſis omnibus
„ & ſingulis ac eorum circumſtantiis univerſis authoritate no-
„ ſtra te diligenter informes, & ſi per informationem hujus-
„ modi ita eſſe repereris, ſuper quo tuam conſcientiam one-
„ ramus, ceſſionem regiminis, & adminiſtrationis bonorum,
„ authoritate noſtra hac vice duntaxat, recipias ac admittas,
„ eaque per te recepta & admiſſa, ipſam Bartholomæam ac
„ prædictas in Monaſterio eodem S. Hieronymi degentes Mo-
„ niales cum omnibus & ſingulis rebus & bonis ſuis ad præ-
„ fatum Monaſterium S. Chriſtinæ eadem authoritate transfe-
„ ras, easque inibi recipi facias in Moniales, ipſumque Mona-
„ ſterium S. Hieronymi, cujus ſeptuaginta, Abbatiſſali digni-
„ tate & ordine S. Auguſtini in eo per te prius ſuppreſſis pe-
„ nitus & extinctis cum omnibus juribus & pertinentiis ſu-
„ pradictis, eidem Monaſterio S. Chriſtinæ, cujus octuoginta
„ Florenorum auri de Camera fructus redditus & proventus
„ ſecundum communem exiſtimationem valorem annuum, ut
„ ipſæ Abbatiſſæ aſſerunt, non excedunt, eadem authoritate
„ in perpetuum incorpores, unias & annectas, ita quod liceat
„ ex tunc Abbatiſſæ & Monialibus dicti Monaſterii S. Chriſti-
„ næ per ſe vel alium, vel alios corporalem Monaſterii S.
„ Hieronymi juriumque & pertinentiarum prædictorum poſſeſ-
„ ſionem authoritate propria libere apprehendere ac hujusmo-
„ di illius fructus redditus & proventus in ſuos & dicti Mo-

„ naſte-

„ naſterii S. Chriſtinæ uſus utilitatemque convertere, & per-
„ petuo retinere, Diœceſani loci & cujuslibet alterius licentia
„ ſuper hoc minime requiſita. Non obſtantibus Conſtitutionibus
„ & Ordinationibus Apoſtolicis ac Statutis & Conſuetudinibus
„ Monaſteriorum & Ordinum Prædictorum juramento, confirma-
„ tione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis & quibusli-
„ bet Privilegiis & litteris Apoſtolicis generalibus & ſpetialibus
„ quorumcunque tenoris exiſtant, per quæ præſentibus non ex-
„ preſſa vel totaliter non inſerta effectus earum impediri va-
„ leat, quomodolibet vel diferri, & de quibus quorumque to-
„ tis tenoribus habenda ſit in noſtris litteris mentio ſpetialis.
„ Proviſo, quod Eccleſia dicti Monaſterii S. Hieronymi ad
„ profanos uſus veluti hæreditas minime redigatur. Volumus
„ autem quod dictæ transferendæ Abbatiſſa, & Moniales ex
„ tunc illum geſtent habitum, qui in eodem Monaſterio S.
„ Chriſtinæ geritur, & habetur, ac illius inſtitutis regulari-
„ bus ſe conforment, nec non tam ipſæ, quam præfata Lu-
„ cia, & Moniales dicti Monaſterii S. Chriſtinæ ſub regulari
„ obſervantia Ordinis S. Benedicti, quam ibidem perpetuo vi-
„ gere volumus, vivere teneantur. Et inſuper, ſi translatio-
„ nem, ſuppreſſionem, extinctionem, unionem, annexionem,
„ & incorporationem prædictas per te præſentium vigore fie-
„ ri contingat, ex nunc irritum decernimus, & inane, ſi ſe-
„ cus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel igno-
„ ranter contigerit attemptari. Datum Romæ apud S. Petrum
„ Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo
„ quadrageſimo ſeptimo, quarto Nonas Septemb. Pontificatus
„ noſtri anno primo.

pro Poggio (*a*)

L. de Coſciaris.

„ Reverendo in Chriſto Patri & Domino D.... (*b*) Dei &
„ Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopo Tarviſino, ejusque in ſpi-
„ ritualibus & temporalibus Vicario generali omnibusque aliis

(a) *Iſte eſt illuſtris Poggius Gucci Bracciolini a Terranova filius, qui uſque ad annum 1453. vitam ſuam traxit in Romana Curia.*

(b) *Hermolaus Barbarus nepos ex fratre Franciſci B. latinæ, græcæque linguæ doctiſſimi, ex Protonotario Apoſtolico primum Tarviſinus, deinde Veronenſis Epiſcopus, deceſſit anno 1471.*

„ & ſingulis ad quos infraſcriptum tangit negotium, ſeu tan-
„ gere poterit, quomodolibet in futurum Franciſcus Gritti Ple-
„ banus Contratæ S. Pantaleonis de Venetiis Caſtellanenſis Diœ-
„ ceſis ſubexecutor Apoſtolicus ad infraſcripta ſpetialiter depu-
„ tatus per Reverendiſs. in Chriſto Patrem & Dom. Marti-
„ num Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopum Cor-
„ phienſem principalem executorem ad infraſcripta, & ſpetia-
„ liter deputatum. Salutem in Domino, & præſentibus fidem
„ indubiam adhibere. Noveritis, qualiter Vir Venerabilis Do-
„ minus Angelus de Concordia de Venetiis Caſtellanæ Diœce-
„ ſis, Sindicus, & Procurator Venerabilium Dominarum Bar-
„ tholomææ S. Hieronymi extra, & Luciæ S. Chriſtinæ intra
„ Tarviſinos muros S. Auguſtini, & Camaldulenſis Ordinum
„ Monaſteriorum Abbatiſſarum, & ipſorum Monaſteriorum
„ Monialium, prout de mandato nobis plene conſtitit, Nobis
„ exhibuit & præſentavit commiſſionem Nobis factam una cum
„ litteris Apoſtolicis & commiſſione facta per Sedem Apoſtoli-
„ cam dicto Dom. Archiepiſcopo, vid. Bulla plumbea more Ro-
„ manæ Curiæ in pendenti munitis, ſanis integris non vitia-
„ tis, non abraſis, non cancellatis, nec in aliqua ſui parte ſu-
„ ſpectis, ſed omni prorſus vitio & ſuſpicione carentibus in
„ præſentia Notarii infraſcripti, & teſtium infraſcriptorum.
„ Quæ quidem noſtra commiſſio eſt ſubſequentis tenoris, vid.
„ Martinus Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopus Cor-
„ phienſis dilectis nobis in Chriſto Venerabilibus Viris Domi-
„ nis Franciſco Gritti S. Pantaleonis Ducalis Aulæ Venetæ Can-
„ cellario & . . . . S. Euſtachii de Venetiis Plebanis Caſtellanæ
„ Diœceſis ſalutem & ſinceram in Domino charitatem. Litte-
„ ras Santiſſimi in Chriſto Patris & Dom. noſtri D. Nicolai
„ Papæ V. ſanas, integras, & illæſas Bulla plumbea ad chor-
„ dulam Canapis pendentis bullatas; nos ea qua cum decet
„ reverentia recepiſſe noveritis, quarum tenor infra ſequitur,
„ & eſt talis. Nicolaus Epiſcopus Servus Servorum Dei Vene-
„ rabili Fratri Martino Archiepiſcopo Corphienſi Veneto, Ca-
„ ſtellana Diœceſi reſidenti ſalutem & Apoſtolicam benedictio-
„ nem. Digna reddimur attentione ſolliciti &c. *Et finit*. Da-
„ tum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ
„ 1447. quarto nonas Septemb. Pontificatus noſtri Anno pri-
„ mo. Quocirca non valentes nos executoriis reſcripti hu-

„ jusmo-

„ juſmodi Apoſtolici aliis occupati negotiis intendere de ve-
„ ſtra & utriusque veſtrum prudentia & diſcretione plenam in
„ Domino fiduciam obtinentes, dictam executionem præfati
„ reſcripti, & commiſſionis Apoſtolicæ ſupradictæ cum omni-
„ bus dependentibus & connexis, utrique veſtrum inſolidum,
„ tenore præſentium totaliter committimus vices noſtras, do-
„ nec eas ad nos duxerimus revocandas, harum ſub noſtri
„ parvi ſubſcripti impreſſione ſigilli teſtimonio litterarum.
„ Datum in Domibus noſtræ ſolitæ manſionis apud Monaſte-
„ rium S. Agnetis de Portugruario die octava Octobris 1447.
„ Franciſcus Notarius de Lendenaria de mandato ſcripſit. Te-
„ nor vero ſupraſcriptarum litterarum Apoſtolicarum, de qui-
„ bus ſupra fit mentio, ut ſupra Bullatarum Bulla plumbea,
„ & de verbo ad verbum in omnibus, & per omnia loqui-
„ tur & eſt talis. Nicolaus Epiſcopus Servus Servorum Dei
„ Ven. F. Martino Corphienſi Archiepiſcopo &c. Digna red-
„ dimur &c. quas quisdem litteras ut filius obedientiæ ut te-
„ nemur reverenter recepimus, & poſt ipſarum præſentationem
„ & receptionem idem D. Angelus Sindicus & Procurator di-
„ xit, quod de omnibus contentis in ipſis litteris & earum
„ circumſtantiis univerſis tam præfatus D. Archiepiſcopus, quam
„ nos plenariam habuimus & habemus informationem, quam-
„ quam omnia in dictis litteris Apoſtolicis expreſſa ac narra-
„ ta Santiſs. D. N. Papæ viſa ſunt & plena viſitatione fulciun-
„ tur. Ipſeque Syndicus & Procurator tanquam Procurator ſu-
„ pradictæ D. Abbatiſſæ Bartholomeæ ſupraſcripti Monaſterii
„ paratus ſit cedere adminiſtrationi & regimini dicti Monaſte-
„ rii S. Hieronymi; Eapropter inſtanter requiſivit dictis no-
„ minibus per Nos ipſam ceſſionem admitti, & ſucceſſive
„ translationem, ſuppreſſionem, extinctionem, & incorpora-
„ tionem dictis litteris Apoſtolicis per nos jure in omnibus &
„ per omnia juxta formam earumdem litterarum Apoſtolica-
„ rum. Nos itaque Franciſcus Plebanus & ſubexecutor ante-
„ dictarum velut obedientiæ filius cupientes Apoſtolicis pare-
„ re mandatis, ut tenemur, recepta per nos ſufficienti dili-
„ gentique informatione de contentis in præfatis litteris Apo-
„ ſtolicis & earum circumſtantiis univerſis, cognoſcentes om-
„ nia & ſingula in dictis litteris Apoſtolicis contenta & San-
„ ctiſſimi D. N. Papæ expreſſa plena voluntate fulciri, quemad-

„ modum præfatus D. Archiepiſcopus executor principalis re„ perit, prout plene informati ſumus, legitime propriis in „ manibus noſtris & coram nobis dicto D. Angelo procurato„ rio nomine dictæ D. Bartholomææ Abbatiſſæ præfati Mona„ ſterii S. Hieronymi cedenti regimini & adminiſtrationi ipſius „ Monaſterii. Et eamdem ceſſionem per nos auctoritate Apo„ ſtolica prædicta admiſſa dictam Sororem Bartholomæam & „ dictas Moniales ipſius Monaſterii S. Hieronymi ibidem de„ gentes cum omnibus & ſingulis rebus, & bonis ſuis ad præ„ fatum Monaſterium S. Chriſtinæ authoritate publica, qua „ fungimur in hac parte, tranſtulimus & tenore præſentium „ transferimus, ipſasque Sororem Bartholomæam cum dictis Mo„ nialibus in dicto Monaſterio Sanctæ Chriſtinæ recipi man„ damus, & præcipimus, Abbatiſſalem dignitatem & Ordinem „ S. Auguſtini in ipſo Monaſterio S. Hieronymi totaliter, & „ in totum extinguentes, & actualiter abolentes, ac in ipſo „ extinctam & ſuppreſſam, ac extinctum & ſuppreſſum te„ nore præſentium decernimus, juxta prædictarum litterarum „ Apoſtolicarum & præſentis noſtri proceſſus per ſe *vel alium*, „ ſeu alios corporalem Monaſterii præfati S. Hieronymi ju„ riumque & pertinentiarum prædictarum poſſeſſionem autho„ ritate propria libere apprendere & retinere, fructusque red„ dituum & proventus ipſius in uſus & utilitates Monaſterii „ S. Chriſtinæ convertere, & perpetuo retinere Diœceſani & „ cujuſcumque alterius licentia ſuper hoc minime requiſita. „ Nos obſtantibus omnibus & ſingulis, quæ præfatus D. Papa „ in dictis litteris Apoſtolicis decrevit non obſtare. Manda„ mus tamen quemadmodum D. N. Papa voluit, quod dicta „ Bartolomæa & reliquæ Moniales dicti Monaſterii S. Hiero„ nymi illum geſtent habitum, qui in eodem Monaſterio S. „ Chriſtinæ geritur, & habetur; & illius inſtitutis Regulari„ bus ſe conforment, nec non tam ipſæ, quam præfata Do„ mina Lucia & Moniales dicti Monaſterii S. Chriſtinæ ſub „ regulari obſervantia S. Benedicti perpetuo vivere teneantur „ juxta prædictarum litterarum Apoſtolicarum formam & te„ norem. Quæ quidem omnia & ſingula a nobis Rev. Patri „ D. Epiſcopo Tarviſino & omnibus intimamus, inſinuamus, „ & notificamus, & ad veſtram ac omnium veſtrum notitiam „ deducimus & deduci volumus. Decernentes irritum ac ina-

„ ne

„ ne ſi contra formam prædictarum litterarum Apoſtolicarum
„ & præſentis Noſtri proceſſus a quoquam quavis authoritate
„ ſcienter, vel ignoranter contigerit attemptari quemadmodum
„ in dictis litteris Apoſtolicis eſt expreſſum, in quorum omnium
„ & ſingulorum fidem & teſtimonium omnium præmiſſorum
„ has præſentes litteras ſeu publicum præſens inſtrumentum
„ hujuſmodi noſtrum Proceſſum in ſe continens fieri juſſimus
„ & conſueti ſigilli noſtri appenſione muniri. Dactum & actum
„ Venetiis penes S. Bartholomæum præſentibus D. Joanne de
„ Tragurio Officiatore S. Pantaleonis, Ser Raphaeleto Notario
„ de contrata S. Gervaſii teſtibus rogatis habitis & vocatis Pon-
„ tificatus Sanctiſſimi D. N. Papæ Anno primo, dieque vige-
„ ſimo menſis Octob. milleſimo quadringenteſimo quadrageſi-
„ mo ſeptimo.

„ Ego Marinus filius Ser Peregrini Zuffo de Venetiis Cleri-
„ cus Caſtellanæ Diœceſis Publicus Imperiali authoritate No-
„ tarius prædictis omnibus & ſingulis interfui, & rogatus dum
„ aliis occuparer negotiis, per alium ſcribi feci. Et quia fideliter
„ ſcriptum comperi, ideo me ſubſcripſi, & in hanc publicam for-
„ mam redegi ſignumque meum apposui conſuetum una cum
„ dicti Domini Subdelegati Sigilli appenſione. In fidem omnium
„ præmiſſorum.

Venetiis etiam degens ea facultate uſus quam ſibi conceſſerant Martinus & Nicolaus horum nominum V. Pontifices Romani extremæ ſuæ voluntatis diſpoſitionem rogavit die XIV. Decembris, corpuſque ſuum in Divi Pantaleonis Templo tumulari mandavit, cui propterea Eccleſiæ lapidem viridis coloris veneratione digniſſimum pro amoris argumento legavit. Excerpta hujus Teſtamenti exhibemus qualia apparent ex regeſtis Teſtamentorum in Archivo Procuratorum de Ultra pag. 92.

„ Ego Martinus de Bernardinis Dei gratia Archiepiſcopus
„ Corphienſis indignus, ſanus mente, & intellectu, auctorita-
„ te Apoſtolica vid. Sanctæ memoriæ D. Martini Papæ V. ac
„ D. Nicolai Papæ V. mihi conceſſa ut patet per Bullas &c.

„ Primo declaro pro ut notorium eſt quod antequam ad Prio-
„ ratum S. Salvatoris de Venetiis promotus eſſem, fueram Ca-
„ nonicus Terviſinus, & Creten. Eccl. nec non Plebanus S.
„ Pantaleonis de Venetiis, & moram trahebam in Romana
„ Curia, ubi a primo S. memoriæ D. Bonifacii IX. uſque ad
„ D. Eu-

„ D. Eugenium IV. multa bona acquiſivi etiam per induſtriam,
„ de quibus bonis uſque nunc habui, & habeo comoditatem.
„ De Prioratu S. Salvatoris præter victum, & veſtem unam
„ nihil habui, quoniam gravabatur de impoſitionibus de quin-
„ que millibus, & quingentis libris &c.

„ *Et infra.*

„ In primis eligo corporis mei ſepulturam in Eccleſia San-
„ cti Pantaleonis de Venetiis &c. prout videbitur comiſſariis
„ meis infraſcriptis, vid. D. Franciſco Gritti Eccleſiæ S. Pan-
„ taleonis Plebano, & Ducalis aulæ Cancellario, & Simoni de
„ Vivianis Plebano S. Simeonis Prophetæ, D. Presb. Benedi-
„ cto Zuchato Pleb. S. Vitalis &c. quos ſemper ut fratres di-
„ lexi &c. &c. &c.

„ Volo ut lapis viridis coloris ad formam cordis, ubi la-
„ crymæ B. Virginis Filio ſuo J. C. in Cruce exiſtente ceci-
„ derunt, dum ad Crucem fleret ut creditur, & fertur, &
„ de Jeruſalem portatus fuit, prout ſtat ponatur, & ornetur in
„ Cryſtallo in uno tabernaculo condecenti, & perpetuo ſit
„ ipſius Altaris B. Virginis nec poſſit ullo modo extra Eccle-
„ ſiam dari.

Porro Altare hoc Deiparæ dedicatum ipſius Martini Archie-
piſcopi impenſis erectum fuiſſe teſtatur marmorea epigraphes
ad latera ipſius Aræ hæc exhibens:

„ Martinus hic Venetus Bernardini familia ortus ſacerdo-
„ tiis plurimis primo dotatus Juſtinopolitanæ Eccleſiæ merito
„ prælatus, inde ad Mothonenſem, poſtremo Archiepiſcopa-
„ tum rexit Corphyrenſem, pauperibus bona diſtribuens, al-
„ tare quod hic extruxit Virginis in honorem &c. Quievit in
„ pace 1452. 16. Martii.

Obiit inde die XVI. Martii anno 1452. ipſiusque Cadaver an-
te Divi Michaelis Altare terræ demandatum fuit hoc ſuper-
poſito elogio:

✠ Hic jacet Reverendiſs. in Chriſto pater D. Martinus de
Bernardinis Divina Miſericordia Archiepiſcopus Cor-
phienſis qui diem ſuum clauſit extremum die XVI. men-
ſis Martii 1452. cujus anima requieſcat in pace.

1418. Marcius Pleb. Eccl. S. Pantaleonis Venetiarum. Ex epi-
ſtola ejusdem data Conſtantiæ die XXIX. Januarii an-

no

no 1418. ad Cl. Virum D. Bartholomæum de Zabarellis Sedis Apoſtolicæ Protonotarium Franciſci Cardinalis Zabarellæ ex Fratre Nepotem: quæ extat in calce orationis Poggii Florentini in funere ejuſdem Cardinalis impreſſæ Patavii typis Pauli Frambotti anno 1655.

1419. Michael Bono Archidiaconus Caſtellanus & S. Marci Capellanus. Obiit 1427. ut ex ejus emortuali Inſcriptione colligitur.

„ Sepulcrum Vener. viri Dom. P. Michaelis. Bono. Eccle-
„ ſiæ. S. Pantaleonis. Plebani. nec non D. Ducis. ac
„ S. Marci. Capelani qui obiit ann. 1427. menſis Octob.
„ die vi. Inditione vi. cujus anima in pace requieſcat.

1427. Franciſcus Gritti Not. & Aulæ Inclyti Ducis Venetiarum Cancell. Ducal. Baſilicæ Canon. & Vicarius ex Plebanatu Eccl. SS. Trinitatis ad hanc Eccleſiam translatus. Anno 1443. pro Congregatione S. Lucæ cujus erat Archip. Concilio Baſileenſi interfuit. Martini Archiepiſcopi Corphyenſis olim in Plebanatu præceſſoris ſubdelegatus Monaſteria Tarviſina S. Hieronymi, & S. Chryſtinæ ut ſuperius dictum eſt univit anno 1447. Promotus inde a Nicolao Papa V. cui in Acolythatus offitio deſerviebat ad Archiepiſcopales Corcyrenſes inſulas anno 1452. Parœciam tamen commendatario titulo retinuit quoad vixit. Sacellum Omnium Sanctorum in ipſa S. Pantaleonis Eccleſia eo mandante conſtructum fuiſſe ejus teſtamenti verba, atque emortualis inſcriptio teſtantur.

Ex Teſtamento q. Rev. Dom. Franciſci Gritti Archiepiſcopi Corphienſis completi & roborati manu Ven. Presb. D. Thomæi de Thomeis Pleb. S. Sophiæ & Not. ſub die primo menſis Auguſti anno Domini MCCCCLVIII. Indictione Sexta.

Omiſſis.

„ Item quia de Anno Domini MCCCCXLVI. Tranſactavi
„ Capellæ meæ Omnium Sanctorum ſitæ in Eccleſia
„ prædicta S. Pantaleonis ducatos mille impreſtito-
„ rum partem in Sexterio Dorſi duri. Et partem in
„ Sex-

„ D. Eugenium IV. multa bona acquiſivi etiam per induſtriam,
„ de quibus bonis uſque nunc habui, & habeo comoditatem.
„ De Prioratu S. Salvatoris præter victum, & veſtem unam
„ nihil habui, quoniam gravabatur de impoſitionibus de quin-
„ que millibus, & quingentis libris &c.

„ *Et infra.*

„ In primis eligo corporis mei ſepulturam in Eccleſia San-
„ cti Pantaleonis de Venetiis &c. prout videbitur comiſſariis
„ meis infraſcriptis, vid. D. Franciſco Gritti Eccleſiæ S. Pan-
„ taleonis Plebano, & Ducalis aulæ Cancellario, & Simoni de
„ Vivianis Plebano S. Simeonis Prophetæ, D. Presb. Benedi-
„ cto Zuchato Pleb. S. Vitalis &c. quos ſemper ut fratres di-
„ lexi &c. &c. &c.

„ Volo ut lapis viridis coloris ad formam cordis, ubi la-
„ crymæ B. Virginis Filio ſuo J. C. in Cruce exiſtente ceci-
„ derunt, dum ad Crucem fleret ut creditur, & fertur, &
„ de Jeruſalem portatus fuit, prout ſtat ponatur, & ornetur in
„ Cryſtallo in uno tabernaculo condecenti, & perpetuo ſit
„ ipſius Altaris B. Virginis nec poſſit ullo modo extra Eccle-
„ ſiam dari.

Porro Altare hoc Deiparæ dedicatum ipſius Martini Archiepiſcopi impenſis erectum fuiſſe teſtatur marmorea epigraphes ad latera ipſius Aræ hæc exhibens:

„ Martinus hic Venetus Bernardini familia ortus ſacerdo-
„ tiis plurimis primo dotatus Juſtinopolitanæ Eccleſiæ merito
„ prælatus, inde ad Mothonenſem, poſtremo Archiepiſcopa-
„ tum rexit Corphyrenſem, pauperibus bona diſtribuens, al-
„ tare quod hic extruxit Virginis in honorem &c. Quievit in
„ pace 1452. 16. Martii.

Obiit inde die XVI. Martii anno 1452. ipſiuſque Cadaver ante Divi Michaelis Altare terræ demandatum fuit hoc ſuperpoſito elogio:

✠ Hic jacet Reverendiſſ. in Chriſto pater D. Martinus de Bernardinis Divina Miſericordia Archiepiſcopus Corphienſis qui diem ſuum clauſit extremum die XVI. menſis Martii 1452. cujus anima requieſcat in pace.

1418. Marcius Pleb. Eccl. S. Pantaleonis Venetiarum. Ex epiſtola ejuſdem data Conſtantiæ die XXIX. Januarii an-

no

no 1418. ad Cl. Virum D. Bartholomæum de Zabarellis Sedis Apoſtolicæ Protonotarium. Franciſci Cardinalis Zabarellæ ex Fratre Nepotem: quæ extat in calce orationis Poggii Florentini in funere ejuſdem Cardinalis impreſſæ Patavii typis Pauli Frambotti anno 1655.

1419. Michael Bono Archidiaconus Caſtellanus & S. Marci Capellanus. Obiit 1427. ut ex ejus emortuali inſcriptione colligitur.

„ Sepulcrum Vener. viri Dom. P. Michaelis. Bono. Eccleſiæ. S. Pantaleonis. Plebani. nec non D. Ducis. ac
„ S. Marci. Capelani qui obiit ann. 1427. menſis Octob.
„ die VI. Inditione VI. cujus anima in pace requieſcat.

1427. Franciſcus Gritti Not. & Aulæ Inclyti Ducis Venetiarum Cancell. Ducal. Baſilicæ Canon. & Vicarius ex Plebanatu Eccl. SS. Trinitatis ad hanc Eccleſiam translatus. Anno 1443. pro Congregatione S. Lucæ cujus erat Archip. Concilio Baſileenſi interfuit. Martini Archiepiſcopi Corphyenſis olim in Plebanatu præceſſoris ſubdelegatus Monaſteria Tarviſina S. Hieronymi, & S. Chryſtinæ ut ſuperius dictum eſt univit anno 1447. Promotus inde a Nicolao Papa V. cui in Acolythatus offitio deſerviebat ad Archiepiſcopales Corcyrenſes infulas anno 1452. Parœciam tamen commendatario titulo retinuit quoad vixit. Sacellum Omnium Sanctorum in ipſa S. Pantaleonis Eccleſia eo mandante conſtructum fuiſſe ejus teſtamenti verba, atque emortualis inſcriptio teſtantur.

Ex Teſtamento q. Rev. Dom. Franciſci Gritti Archiepiſcopi Corphienſis completi & roborati manu Ven. Presb. D. Thomæi de Thomeis Pleb. S. Sophiæ & Not. ſub die primo menſis Auguſti anno Domini MCCCCLVIII. Indictione Sexta.

Omiſſis.

„ Item quia de Anno Domini MCCCCXLVI. Tranſactavi
„ Capellæ meæ Omnium Sanctorum ſitæ in Eccleſia
„ prædicta S. Pantaleonis ducatos mille impreſtito-
„ rum partem in Sexterio Dorſi duri. Et partem in
„ Sex-

„ Sexterio S. Pauli obligatos conditioni quam ſupra
„ darem per hoc meum teſtamentum: Volo quod
„ ipſa impreſtita, & alios ducatos mille quingentos
„ dictæ monetæ impreſtitorum quos volo immedia-
„ te ſcribi dictæ Capellæ per obitum meum, niſi for-
„ te ante obitum meum eos ſcribi feciſſem:

„ D. O. M.

„ Franciſci Gritti Plebani ab anno MCDXXVII. ad MCDLII.
„ Cancellarii Ser. Ducis Vicarii S. Marci Archipres-
„ byteri Cong. S. Lucæ tandem Aeolythi SS. Nico-
„ lai Papæ V. & Archiep. Corcyrenſis cui hæc Ec-
„ cleſia in commendam tradita. Oſſa. Hic in vetu-
„ ſta capella Omnium Sanctorum ab ipſo erecta ſa-
„ cris locupletata cum antea regimen Eccleſiæ ac re-
„ dictuum mirifice auxiſſet ex Teſtamento poſita:
„ Ob recentem Ven. Sacramenti conſtructionem re-
„ condita indeque translata anno MDCLXXVII. Vigi-
„ lia Omnium Sanctorum in pace requieſcunt. Obiit
„ die IV. Auguſti MCDLVIII.

1458. Antonius de Lauris anno ſequenti tranſiit ad Plebanatum S. Martini ut ex S. C. diei X. Decemb. MCCCCLIX. colligitur.

1459. 10. *Decemb in rogatis*.

Cum nuper facta fuerit permutatio de Plebibus S. Pantaleonis Et S. Martini per Summum Pontificem, vid. de Perſona Vener. Viri Presbiteri Antonii Michael Plebani S. Martini ad Plebanatum S. Pantaleonis & Presb. Antonii de Lauris ad Plebanatum S. Martini; Vadit Pars quod dicta permutatio acceptetur, & utrique eorum detur Poſſeſſio utriusque Plebanatus juxta formam Bullarum Apoſtolicarum, maxime quia dicta Permutatio eſt de voluntate conſenſu ac contentamento Parochianorum utriusque Contractæ.

Plura de eo ad Eccleſiam S. Martini.

1459. Antonius Michael olim Pleb. S. Martini. Pro eo ad Paulum Papam II. deprecatoriam miſit epiſtolam Aloyſius Foſcarenus eximiæ virtutis & doctrinæ Vir Pontificem vehementer rogans ut Eccleſiaſticam penſionem olim

Pres-

Preſbytero Marco Mazzæ conceſſam ad ipſum Plebanum gravi ætate confectum deduceret, ipſique a Plebanatus onere abſoluto ſupradictum Marcum ſubrogari debere decerneret. Ipſam damus ex codice pergameno epiſtolarum ipſius Aloyſii in ornatiſſima Bibliotecha Cl. Viri Marci Fuſcareni Procuratoris aſſervato.

„ *Summo Pontifici Paulo* II. *Ludovicus Foſcarenus Felicitatem.*

„ Beatiſſime Pater poſt humilima pedum oſcula beatorum „ pudet me tanto ſilentio conticuiſſe veritum magnitudinem „ Sanctitatis tuæ quia Dei veri vices geris, omniſque mor„ talis auctoritas Majeſtati tuæ comparata vileſcit: nec men„ te repetiiſſe, quod ſacro & pio mandaverit ore, ut pro ami„ cis ſi quando opus fuerit ſcriberem, nec animadvertiſſe, „ quod pro infinita Clementia juſtis ſervorum tuorum votis „ occuris, ideo impræſentiarum ad me rediens, omnibus di„ ligenter inſpectis Utar clementia Sanctitatis tuæ in re, que „ beatitudini tuæ carior eſſe debet, quam michi. Scio enim „ quod major eſt Sanctitati tuæ cura Venetæ religionis, quam „ Senatoribus omnibus noſtris, qui ſunt fuerunt aut futuri „ ſunt & maxime Parochie S. Pantaleonis que atriis magnifi„ ce cinctis, coctilibus muris ornatis, marmoribus auro ful„ gentibus, parentis pro avorum, & ceterorum Barborum tuo„ rum plurimum fulget. Hec habet plebanum vel ætate, vel „ morbo animi ita confectum, quod aut ſibi ſoli, aut nulli „ prodeſt; Ipſeque ſuæ inertiæ conſcius munus vendere poſſe „ ſupplicavit, quam ſuplicationem Sanctitas Tua pro vetuſtiſſimo „ & juſtiſſimo ſuo more lacerandam juſſit, quia nunquam paſſus „ es, nec patieris divina ſymoniace transferri. Quod maxime vel„ lem eſſe. Huic decrepito Antonio Michaeli otium opta„ tum dares, & pro ejus victu præbenda presbiteri Marci Maz„ ze Capelani mei conſignari juberes, ipſum vero præsbyte„ rum Marcum plebanatus dignitate jam diu ſuis virtutibus „ emerita ornares, ſeu ad ſupplenda Antonii negligentiam, „ ſeu ad rem benegerendam quoniam jam pluribus annis Mar„ cus ipſe oneribus omnibus plebanatus rogatus, cujuscun„ que dignitatis, conditionis, ſexus, ordinis precibus ſe lu„ benter ſuppoſuit; & cum Romæ eſſemus pie ipſum ſæpiſſi„ me complexus es Anconæ omnes, celebrationes, jejunia, „ vota pro tuo Pontificatu Deo ſummo fecit. Poſtremo Romæ

„ humi jacens, a Sanctiſſimis pedibus tuis multis pro-
„ miſſionibus lætus, me preſente diſceſſit. Hujus vo-
„ luntatem latius ſi audire dignaberis explicabit Joan-
„ nes Franciſcus Pavinus juſtiſſimæ Rotæ meritiſſimus
„ auditor, quem ſi audies, cui ſi morem geres, ora-
„ torem ſummo Deo gratum majoribus tuis dedica-
„ bis, univerſæ plebi jamdiu vexatæ proſpicies, quæ
„ uno conſenſu una mente, uno teſtimonio Prasby-
„ terum Marcum laudibus effert, & moribus ſuis
„ cuſtodem dari optat, ac me, qui eo adjutore, ſo-
„ tio, conſultore in duriſſimis itineribus uſus ſum,
„ gratiſſimo munere donabis: dataque tuam vene-
„ randam dexteram in minoribus fidem in obſequen-
„ tiſſimos promiſſa in majeſtate ſervabis; optimo viro
„ præſidio eris, qui ſe ſemper ſub pedibus Beatitu-
„ dinis tue munitum & ornatum ſperavit, & ſperat.
„ Religioſiſſimis celebrationibus quarum peritiſſimus
„ eſt bene conſules nec plura dicam magis confidens
„ naturali Sanctitatis tuæ clementia quam *ineptis* ver-
„ bis meis. Cujus Beatitudini ſupplicantem & me
„ humilime commendo. Paduæ pridie Kal. Jullias.

1461. Marcus Mazza Not. olim S. Stephani Murianenſis Pleb. Canon. S. Marci, & Cong. S. Lucæ Archipresbyter. Ex Arch. Eccl.

1489. Franciſcus Niger. Ex ejus teſtamento rogato anno 1489.

1502. Sebaſtianus Bozza Canon. Ducalis Baſilicæ & Archip. Cong. S. Lucæ. Obiit 22. Aprilis 1532. Ex Archivo Eccleſiæ.

1532. 2. Julii. Nicolaus Moravio Decretorum Doctor Protonotarius Apoſtolicus Joannis Baptiſtæ Egnatii auditor Plebanus primum S. Geminiani, mox S. Pantaleonis, Divi Marci Canon. & Vicarius, librum Ceremoniarum ad uſum Ducalis Baſilicæ concinnavit. Prior Hoſpitalis apud S. Marcum, Archip. Cong. S. Mariæ Matris Domini. Veneti Cleri privilegia a ſe collecta typis Comini Triſſini in lucem edidit anno 1545. vocatus propterea Cleri Pater, & defenſor. Obiit die XVI. Novemb. anno 1571. ætatis ſuæ annor. LXXXVI.

1571. Andreas Stertius Archip. Cong. S. Hermacoræ. Ex Cataſt. Ecc.

1584.

1584. Bartholomæus Burghius Archipr. Cong. S. Mariæ Matris Domini. Obiit die VII. Februarii anno 1605. M.V. annorum IVC. Ex Cataſt. Eccl.
1605. Dominicus Biondello Canon. Caſtellanus.
1608. Alexander Rota Protonotar. Apoſtolicus.
1613. Joannes de Martinis Canon. Ducalis Prot. Apoſt.
1645. Joannes Baptiſta Vinanti Canon. S. Marci.
1675. Joannes Antonius Zampelli J. U. D. Prot. Apoſt. Ducalis Baſilicæ Canon. Auditor Metropolitanus Joannis Cardinalis Delphini Patriarchæ Aquilejenſis, Joannis Baduarii Patriarchæ Venetiarum Vicarius Generalis, Archip. Cong. S. Lucæ. Obiit die XXVIII. Martii anno 1720. Ædificavit Altare Domini Crucifixi.
1720. Jacobus Bonaccioli Archip. Cong. S. M. Formoſæ. Obiit XX. Octobris anno 1737.
1737. 28. Octob. Gregorius de Blanchis Canon. Caſtell. Archip. Cong. S. Michaelis Archangeli. Ad fovendum Deiparæ Virginis cultum Sacellum adinſtar Lauretanæ Domus Eccleſiæ adjacens extrui curavit.

Plebanis ex ordine recenſitis libet memoriam exhibere illuſtrium Virorum, qui ex hujus Eccleſiæ gremio prodierunt. Jacobus Bertoldus ſeu Bertaldus ab aliquibus in Plebanorum ſerie enumeratur; attamen cum eo titulo nusquam invenerim inſignitum, malim Presbyterum (ut in actis legitur) tantummodo dicere; Cong. Divi Lucæ Archipresb. atque Aulæ Inclyti Ducis Cancellarius librum concinnavit ms. cui titulus, Opus de conſuetudine Urbis Venetæ. Servari in Cæſarea Bibliotheca mihi traditum eſt; ſed de hac re alii certiora dabunt. Inter ſchedas ſæpelaudati Petri Gradonico de S. Juſtina hæc leguntur. „ Jacopo Bertoldi, o come vogliono altri Bertaldi. 1310. ſi nomina Prete di S. Pantalone, Arciprete della Congregatione di S. Luca, Cancellier del Principe. 1311. Scriſſe un' opera intitolata *Opus de conſuetudine Urbis Venetæ*, e ſi conſerva nella Biblioteca Ceſarea.

Anno 1314. die X. Septemb. Epiſcopus Veglenſis nuncupatur; cum vero ad annum 1314. apponatur Ind. XIII.

dicendum eſt eo temporis & loci Indictionis initium a Kal. Septemb. numerari ſolitum fuiſſe.

Obiit die 3. Aprilis Anno 1315. in Templo S. Pantaleonis tumulatus cum hoc elogio:

„ Jacobus jacet hac Veglenſis Epiſcopus arca
„ Berthaldus Venetum quoque Cancellarius olim
„ Presbyter atque ſacri devotus Pantaleonis
„ Mille trecentis currentibus quindecim annis
„ Nuper exeunte die tertio menſis Aprilis.

Sylveſter de Datiariis ex pergamenis inſtrumentis memoratur hujus Eccleſiæ alumnus ad diem 26. Martii anni 1439. mox Diaconus titulatus ad annos 1462. & 1474. In antiquo Eccleſiæ Tabulario per Nicolaum Morarium Plebanum anno 1561. confecto hæc de Sylveſtro pag. 1. *Reverendus Dominus Sylveſter de Datiariis Epiſcopus Clugienſis fuit Diaconus noſter.*

In hiſtoria ms. Clodienſi Petrus Morarius Epiſcopus Juſtinopolitanus mentionem ingerit de Sylveſtro: “ Nell’anno 1480.
„ per la morte de Niccolò de Inverſi fù creato veſcovo Silve-
„ ſtro, il quale fu in Roma conſecrato la II. feſta di Paſqua
„ che fù li 3. Aprile di cui non ritrovo nè il cognome, nè
„ la patria, il qual viſſe anni 7. in circa con molto frutto del-
„ le anime.

De eo Ughellus absque agnomine in Epiſcopis Clugienſibus Tom. V. col. 1357.

Petrus Paulus Calorius Congregationis Somaſchenſis alumnus, inde Archiepiſcopus Spalatenſis: Antonius Vaira in Gymnaſio Patavino celeberrimus juris profeſſor, mox Epiſcopus Adrienſis; & B. Joannes Marinonius inter Clericos Regulares virtutum meritis & vitæ Sanctimonia inſignis, huic Eccleſiæ a teneris annis in Clericorum numero deſervierunt.

Petrus

Petrus Marino promittit Michaeli Presb. & Procuratori Eccleſiæ S. Pantaleonis cenſum annuatim ſolvendum pro terra vacua de jure ejuſdem Eccleſiæ.

A.

1207. Madii.

Ex Cataſtico Eccleſiæ S. Pantaleonis de Venetiis.

IN Nomine Dei & Salvatoris Noſtri Jeſu Chriſti Amen Anno Domini milleſimo ducenteſimo ſeptimo Menſis Madii. Indictione Decima Rivoalei. Poſt conceſſionis cartam factam mihi in Rivoalto Menſe Septembris nuper tranſacto ſuper ſupraſcripta indictione (*a*); quam tu mihi feciſti, conſentiente tibi D. Marco (*b*) Ven. Caſtellano Epiſcopo, per quam mihi dediſti, conceſſiſti, atque tranſactaſti ſub annuali penſione cunctam, & ſuper totam unam petiam de terra vacua, poſitam in confinio S. Panthaleonis, quæ eſt de jure, & pertinentiis Eccleſiæ ſupraſcriptæ S. Panthaleonis, quæ habet uno ſuo capite in Rivo ſupraſcriptæ Dei Eccleſiæ S. Panthaleonis, unde eſt introitus, & exitus, junctorium, & jaglatio, atque transjaglatio, & aliud ſuum caput firmat in lacu ſupraſcriptæ Eccleſiæ, unde habere debet jaglationem, & transjaglationem, uſque dum aliqua terra ibi ellevata fuit, quæ in me firmare debet, nullo inibi homine contradicente, ab uno ſuo latere firmat in hæredibus Rachini, & ab alio in terra, quæ fuit Marci Magiſtri, quæ petia de terra habet per latitudinem pedes triginta duos, & in ſua longitudine habet pedes quinquaginta &c. Promittens promitto Ego Petrus Marinus de confinio Sanctæ Crucis cum meis hæredibus tibi Michaeli Præsbitero & Procuratori (*c*) ſupraſcriptæ Eccleſiæ S. Panthaleonis, & Procuratoribus ſeu Plebanis, qui per tempora erunt in eadem Eccleſia, & veſtris ſucceſſoribus, & ab hodie in antea in unoquoque Anno in Nativitate Domini in ſupraſcripta Eccleſia, & ejus Vicariis perpetualiter dare, & perſolvere debeam pro cenſu de ſupraſcripta petia de terra libras boni olei ſex & mediam, & ſi prænominata petia de terra, ſive ſit ibi domus hædificata, ſive non ſit & in parte vel in toto ad vendendum, donandum, commutandum, vel aliquo modo alienandum venerit non debeam eam vendere, donare, commutare, vel aliquo modo alienare, ullo unquam tempore, in aliqua perſona hominum, niſi prædictæ Dei Eccleſiæ, & ejus Plebanis per tale præcium, quale appræciata fuerit à bonis hominibus, per minus denarior. trig. ſed ſi prædicta Dei Eccleſia, & ejus Plebani eam comparare noluerint, nec tantum præcium dare, tunc poteſtas maneat mihi meiſque hæredibus eam vendere cuicunque voluero, nullo mihi homine contradicente. Tamen libera poteſtas eſt mihi, dimittere eam filiis meis, ſalvo tamen memorato cenſu omni Anno in ſupraſcripta Dei Eccleſia, & ejus Plebanis in Nativitate Domini imperpetuum. Et in ipſo capite quo firmat eadem ſupraſcripta terra in rivo de ſupraſcripta Dei Eccleſia, de, infra

(*a*) Ex eo manifeſte patet tunc temporis in uſu fuiſſe apud Venetos Notarios Indictionis numerum a Kal. Septemb. mutare.

(*b*) Marcus Nicola Epiſcopus Caſtellanus.

(*c*) Michaelem hunc quem Presbyterum & Procuratorem legimus, Eccleſiæ S. Pantaleonis nullo modo dicendum eſt fuiſſe Plebanum, ſiquidem iis temporibus Rectores Eccleſiarum Parochialium Plebani dicebantur aliquibus exceptis, qui adhuc Vicarii vocabantur; Procuratores autem ii appellabantur, qui Eccleſiarum temporalia negotia procurabant.

infra ipſis quinquaginta pedibus de longitudine, & infra ipſa mea terra debeo dare callem unum latum pedibus quinque juxta ſupraſcriptum rivum S. Panthaleonis, & in culmine eam retinere debeo & per ipſum callem ad ſupraſcriptam Eccleſiam S. Panthaleonis ſemper ad officium venire, & debita obſequia: ſcilicet parvulos, nuptias, mortuos, anniverſaria, ultimas pœnitentias, & cætera debita obſequia ad jamdictam Eccleſiam ſemper facere promitto: & per ipſum callem ego, & omnes mei conſortes, qui ibidem terram habent, & mei ſucceſſores, & omnes homines quibuscunque tu concedere voluis, ire debent pacifice ſurſum, atque deorſum in die, & in nocte ad omnes noſtras, & veſtras neceſſitates ibi facientes; ita quod pars parti nullo modo contradicere debeamus, ſed ſemper ipſe callis apertus, & diſoccupatus inter nos ſit imperpetuum, & ſi unquam tempore Plebani ejuſdem Eccleſiæ terram allevare voluerint, in me firmare debeant nullo eis homine contradicente. Super hæc autem ſtatutum, & poſitum eſt inter nos, quod ſi aliquo tempore de ipſo ſupraſcripto lacu aquimoli feceris fundamentum ſalinarum, nos nullam latrinam facere infra ipſum lacum, nec habere debeamus per ullum ingenium, & totam prædictam meam terram in culmine retinere debeam imperpetuum, unde nullum damnum accreſcat ad ipſum lacum, nec marinandum, nec ſal ellevandum, & nullo unquam tempore ipſam meam terram elongare, vel ellevare debeam de longitudine infra ipſum veſtrum lacum plus quam ipſos quinquaginta pedes de longitudine, quos mihi dediſtis abſque licentia tua, vel Plebanorum ſupraſcriptæ Eccleſiæ, quod ſi eam elongavero vel ellevavero, vel plus inventa fuerit ipſa mea terra pro unoquoque pede de terra date promitto in ſupraſcripta Dei Eccleſia denarios Venetos triginta & inde in antea cenſum, & quintellum de ea perſolvere debeam ſicut & de alia facio. Et ſemper in capite triginta annorum hanc ſupraſcriptam promiſſionis cartam renovare prædictæ Dei Eccleſiæ promitto. Promitto etiam cum meis hæredibus, & ſucceſſoribus, quod ſi prædicta petia de terra ſive ſit ſive non ſit ibi domus hædificata & aliquo tempore ad venundandum, donandum, vel aliquo modo alienandum venerit prædictæ Dei Eccleſiæ & ejus Vicariis abſque omni occaſione cenſum & quintellum integrum dare. Hæc autem quæ ſupraſcripta ſunt ſi non obſervavero tunc emendare debeam cum meis hæredibus tibi, & tuis ſucceſſoribus auri libras quinque, & hæc promiſſionis carta in ſua firmitate permaneat. Ego Petrus Marinus m. m. ſſ. Ego Marcus Julio tit. ſſ. Ego Petrus Marinus tit. ſſ.

Ego Dominicus Suavis Sancti Joannis Evangeliſtæ, Plebanus Presbyt. & Not. complevi & roboravi.

Jaco-

Jacobus Barbo Procurator S. Marci medietatem totius unius Laci, quæ olim fuerat de proprietate Eccleſiæ S. Pantaleonis donat Angelo Semiteculo Plebano Eccleſiæ ejuſdem S. Pantaleonis, & ſuis ſucceſſoribus.

B.

1222. Maii.

Ex Archivo Patriarchali.

IN Nomine Domini Noſtri Dei & Salvatoris Noſtri Jeſu Chriſti Anno Domini 1222. Menſis Madii Indictione X. Rivoalti. Manifeſtum facio Ego Jacobus Barbo quondam de confinio S. Panthaleonis nunc Procurator Eccleſiæ S. Marci, quod cum meis hæredibus do, dono, atque tranſacto tibi Angelo Semiteculo Presbytero & Plebano Eccleſiæ ejuſdem Sancti Panthaleonis & tuis ſucceſſoribus in perpetuum, videlicet unam medietatem totius unius Laci, quæ medietas fuit de jure, & pertinentia ſuprаſcriptæ Dei Eccleſiæ S. Panthaleonis, ſecundum, quod totus ſuprаſcriptus lacus partim firmat in proprietatibus Contratæ ejuſdem Sancti Panthaleonis & partim in proprietatibus oræ S. Crucis partim etiam in proprietatibus Sanctorum Simonis & Judæ & Simeonis Prophetæ, & partim in proprietatibus contratarum S. Thomæ & S. Stephani Confeſſoris. Hanc autem medietatem totius ſuprаſcripti Laci cum omni ſua longitudine, & latitudine, cum capitibus, & lateribus ſuis, cum introitibus, & exitibus ſuis, & cum omnibus ſuis habentiis, atque ſuis adjacentiis intus & foris, qui tam ſubtus terram quam ſupra terram ibidem adeſſe noscuntur, & ſecundum quod ab auctoribus & proauctoribus meis, & à ſuprаſcripta Eccleſia Sancti Panthaleonis poſſeſſa & retenta fuit, & à me uſque modo dominata extitit. Ita eamdem medietatem totius ſuprаſcripti Laci in tuam & ſucceſſorum tuorum do, dono, atque tranſacto cum pleniſſima poteſtate & virtute à modo in antea intromittendi, habendi, tenendi, vendendi, dandi, donandi, commutandi, & in perpetuum poſſidendi, vel quicquid inde tibi placuerit faciendi cum omnibus ſuis novis, & veteribus, & illarum vigore, & robore ad ipſam pertinentibus, nemine tibi contradicente. Unde plenam & irrevocabilem ſecuritatem facio ego quidem ſuprаſcriptus Jacobus Barbo cum meis hæredibus, tibi ſuprаſcripto Angelo Presbytero, & Plebano & ſuis ſucceſſoribus de tota ſuprаſcripta medietate totius ſuprаſcripti laci, quatenus à modo in antea inde ſecurus & quietus permaneas in perpetuum, quia nihil inde remanſit, unde ſe amplius requirere, aut compellere valeat per ullum ingenium, quod ſi unquam contra hanc donationem, & ſecuritatem ire temptavero, tunc emendare debeam cum meis heredibus tibi, & tuis ſucceſſoribus auri libras quinque, & hæc donatio & ſecuritas in ſua firmitate permaneat.

Ego Jacobus Barbo m. m. ſcripſi.
Ego Michael Bonifacius Pleb. S. Mariæ Jubenico m. m. ſcripſi.
Ego Nicolaus Juſto Presb. teſtis &c.
Ego Joannes &c. S. Panthaleonis Presb. & Not. complevi & roboravi.

Imo-

Innocentius IV. approbat donationem Angeli Semitecolo Plebani S. Pantaleonis factam eidem Eccleſiæ.

C.

1251. 21. Julii.

Ex Autographo in Archivo Eccleſiæ.

INnocentius Epiſcopus Servus Servorum Dei dilectis filiis Clericis Eccleſiæ S. Pantaleonis de Venetiis Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem Exhibita nobis veſtra petitio continebat, quod dilectus filius A. Plebanus veſter proventus quarumdam domorum & poſſeſſionum quas ipſe ſuis laboribus & ſudoribus aquiſivit de conſenſu Diœceſani loci, pie ac provide ſub ea forma perpetuò Eccleſiæ veſtræ conceſſit; quod una pars dictorum proventuum Plebano ipſius, qui pro tempore fuerit, ſecunda verò Clericis ejuſdem Eccleſiæ proveniat, & tertia in ornatum ipſius ac ſubſidium pauperum veſtræ Parochiæ convertatur, pro ut in patentibus litteris ex inde confectis, & ſigillo Epiſcopi memorati ſignatis plenius continetur. Nos itaque veſtris ſupplicationibus annuentes, quod ſuper præmiſſis pro inde factum eſt, ratum, & firmum habentes id auctoritate Apoſtolica confirmamus & preſentis Scripti patrocinio communimus. Tenorem autem litterarum ipſarum de verbo ad verbum præſentibus fecimus annotari, qui talis eſt.

In Nomine Dei Æterni Amen. Anno ab Incarnatione D. N. J. C. MCCLI. Menſe Julii die X. Exeunte Indit. IX. Rivoalti.

Cum ſecundum Apoſtolum ad omnes Eccleſia teneatur, maxime quidem ad fidei domeſticos Eccleſiaſticis continue utilitatibus deſudantes, dignum eſt eos Eccleſiaſtica remuneratione gaudere, ut qui ſe voluntarie obſequiorum neceſſitatibus ſponte ſubjiciunt, digne ſtipendiis & proviſionibus Eccleſiæ conſolentur, in qua & per quas divinis obſequiis adſcribuntur; quatenus iidem aliqua conſolatione recepta retro reſpicere non cogantur. Porrò cum a jure Canonico diſcrepare minime videatur, ſi in tantum excreſcerent Eccleſiæ facultates, quod pluribus poſſent ſufficere competenter, in plures quam hactenus conſueverit dividantur; ea propter, conſentiente Ven. Procuratore D. Petro Dei gratia Epiſcopo Caſtellano (a) Ego Angelus Presb. & Plebanus Eccleſiæ S. Panthaleonis de Venetiis pro remedio Animæ meæ, & bono ſtatu, & reformatione ipſius Eccleſiæ, de conſenſu & voluntate expreſſa omnium confratrum meorum Joannis, Marini, & Pauli Presbiterorum volentium & conſentientium, volo, ordino, & ſtatuo, ut redditus poſſeſſionum, quas ipſi Eccleſiæ & Plebano meo proprio labore, & ſudore, adjuvante Domino, aquiſivi, propriaque induſtria augmentavi in dictæ Eccleſiæ confinio poſitas alevando de aqua quandam paludem, quæ eſt Eccleſiæ memoratæ ſuper quam ædificari domos, & duas alias domos quas de proprio comparavi in loco, qui vocatur Rivus pitulus poſitas, quarum una eſt poſita juxta domum, quæ fuit qu: Dominici Malaſlatma & alia juxta domum quæ fuit quondam Petri Romani, quamquam omnes redditus poſſeſſionum ipſarum primo & principaliter pertineant ad me tantum ratione Plebanatus ipſius in tres partes de cetero dividantibus ex redditibus, quarum poſſeſſionum retineo, unam integram tertiam partem in me, & ſucceſſo-

(a) Ex hoc etiam inſtrumento præter ea, quæ affert Cl. V. Nicolaus Colettus, corrigendus eſt Ughel in Epiſc. Caſtellanis, ubi Petrum Pinum aſſerit anno 1255. ad Caſtellanam Sedem translatum fuiſſe.

ceſſores meos Eccleſiæ ipſius Plebanos], Aliam verò tertiam partem præſentes & reſidentes tantum Sacerdotes ipſius Eccleſiæ, qui quamquam ſint nunc quinque numero, procedente tempore, cum unus mortuus fuerit vel remotus Canonice ab ipſa Eccleſia, omni tempore ſint quatuor, excepto Plebano & non plures, cum aliis Clericis ipſius Eccleſiæ præſentibus & reſidentibus tantum habeant, & percipiant, & dividatur redditus ipſius tertiæ partis inter eos ſecundum eam quantitatem & eum modum, quo cenſuerit obſervari inter Preſbiteros & Clericos in Venetiis in decimis dividendis. Tertia vero pars ſit ipſius Eccleſiæ, & pauperum Contratæ ipſius, quæ inter ipſam Eccleſiam & pauperes equaliter dividantur, & ſi contigeret, quod aliquis Sacerdotum vel aliorum ordinum Clericorum de licentia Plebani exierit de Eccleſia, & extiterit extra, ultra medium Annum, pars quæ ad illum contigeret, deveniat in utilitatem ipſius Eccleſiæ fabricæ, & domorum quamdiù abſens fuerit Sacerdos, vel Clericus antedictus, & in reverſione ſua cum preſens fuerit & ſervierit in Eccleſia percipiat & habeat integre partem, quæ ipſum ante abſentiam ſuam contigere conſuevit, & quia non debet addi afflictis afflictio, ſi aliquem de Confratribus contigeret infirmari, vel deprimi ſenectute, partem quæ ad eum ſpectant integraliter percipere debeat, quamdiù idem Sacerdos vel Clericus infirmatur vel ſenectute deprimitur. Et quod annuatim cuilibet Sacerdoti per Ordinem ſecundum ætatem temporis & non Ordinis uniuscujusque Sacerdotis incipiendo a majori in ætate, & veniendo per Ordinem uſque ad minorem circulariter in perpetuum, cura & ſollicitudo colligendi redditus, & penſiones dictarum poſſeſſionum a Plebano & Fratribus committatur. Et ipſe cum Plebani Conſilio debeat reparare, meliorare, & augmentare & manutenere dictas poſſeſſiones de introitu & proventu earum ſecundum quod ſibi & Plebano, qui pro tempore erit, viſum fuerit. Et bis in anno redditus, & proventus, quos habuerit & perceperit, ſicuti ſcriptum eſt dividere teneatur & pro labore ſuo percipiat & habeat libras denariorum Venetorum quinque ex dicto reddituo. Quod ſi aliquis Sacerdotum curam, & ſollicitudinem procurandi prædicta ſecundum dictum Ordinem ſuſcipere recuſaverit, prædicto beneficio tertiæ partis in perpetuum ſit privatus ipſo facto. Et ut preſens conſtitutio ſive ſcriptum plenum robur plenamque firmitatem obtineat dictus D. Epiſcopus Caſtellanus juſſit ipſam conſtitutionem, ipſumque ſcriptum ſui ſigilli typo, & munimine roborari.

Ego Petrus Dei Gratia Epiſcopus Caſtellanus m. m. ſcripſi.
Ego Angelus Presbiter & Plebanus Eccleſiæ S. Pantaleonis & Not m. m. &c.
Ego Joannes S. Pantaleonis Presb. & Not. mea m. &c.
Ego Paulus S. Pantaleonis Presb. mea manu &c.
Ego Marinus Presb. S. Pantaleonis &c.
Ego Henricus Presb. & Plebanus S. Margaritæ teſtis.
Ego Jo: Clericus S. Margaritæ teſtis.
Ego Bartholameus SS. Apoſtolorum Presb. & Pleb. Not. complevi & roboravi.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc Paginam noſtræ confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei, & B.B. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Mediolani XII. Kal. Aug. Pontificatus Noſtri Anno IX. (b)

Innocentius Epiſcopus Servus Servorum

(b) Pariſius in Hiſt. Anglic. aſſerit Innocentium IV. die VIII. Septembris ad Urbem Mediolanenſem acceſſiſſe, quod utique Diplomatis hujus teſtimonio reprobatur; cui concordant alia ejuſdem Pontificis Diplomata Mediolani data ante diem octavam Septembris quæ affert Raynaldus ad Annum 1257. Hiſt. Eccleſiaſt. Tom. XIII.

rum Dei. Dilecto filio ſuo Abbati Sanctorum Ylarii & Benedicti Caſtellanenſis Diœceſis. Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Exhibita nobis dilectorum filiorum Clericorum Eccleſiæ Sancti Panthaleonis de Venetiis petitio continebat. Quod dilectus filius A. Plebanus ipſorum proventus quarumdam domorum, & poſſeſſionum, quas ipſe ſuis laboribus, & ſudoribus acquiſivit, de conſenſu Dioceſani loci pie ac provide ſub ea forma perpetuo Eccleſiæ eorum conceſſit, quod una pars dictorum proventuum Plebano ipſius, qui tempore fuerit. Secunda vero ejuſdem Eccleſiæ Clericis proveniat; & tertia in ornatum ipſius, ac ſubſidium pauperum eorum Parrochiæ convertatur prout in patentibus litteris exinde confectis, & ſigillo Epiſcopi memorati ſignatis plenius continetur. Quocirca diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus non permittas ipſos contra confirmationis noſtræ tenorem ſuper hiis ab aliquibus indebite moleſtari. Moleſtatores hujuſmodi per cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo. Datum Mediolani XII. Kal. Auguſti Pontificatus noſtri Anno Nono.

Alexander IV. donationem Angeli Semiteculo Plebani S. Pantaleonis factam Eccleſiæ confirmat.

D.

1257. 22. Januarii.

Ex Autographo in Archivo Eccleſiæ.

ALexander Epiſcopus Servus Servorum Dei. Dilectis filiis Clericis Eccleſiæ S. Panthaleonis de Venetiis ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem. Exhibita nobis veſtra petitio continebat quod dilectus filius A. Plebanus veſter proventus quarundam domorum & poſſeſſionum, quas ſuis ipſe laboribus ac ſudoribus acquiſivit de conſenſu Diœceſani loci pie ac provide ſub ea forma perpetuo Eccleſiæ veſtræ conceſſit, quod una pars dictorum proventuum Plebano ipſius, qui pro tempore fuerit; ſecunda vero ejuſdem Eccleſiæ Clericis proveniat; & tertia in ornatum ipſius ac ſubſidium pauperum veſtræ Parochiæ convertatur prout in patentibus exinde confectis, & ſigillo Epiſcopi memorati ſignatis plenius continetur. Nos itaque veſtris ſupplicationibus annuentes, quod ſuper præmiſſis provide factum eſt, ratum & firmum habentes, id ad inſtar felicis recordationis Innocentii Papæ Prædeceſſoris noſtri authoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Tenorem autem litterarum ejuſdem Prædeceſſoris noſtri præſentatum nobis ſub ſigillis Venerabilis Fratris noſtri Raguſinorum Epiſcopi; & bonæ memoriæ Epiſcopi Caſtellanenſis de verbo ad verbum præſentibus fecimus adnotari qui talis eſt.

In Nomine Dei æterni Amen. Anno ab Incarnatione Domini Noſtri Jeſu Chriſti MCCLI. Menſe Junii die X. exeunte. Inditione IX. Rivoalti.

Cum ſecundum Apoſtolum &c.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ Confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contrahire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei, & BB. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Lateran. undecimo Kal. Februarii Pontificatus noſtri Anno tertio.

Judi-

Judices Curiæ Procuratorum adjudicant Eccleſiæ S. Pantaleonis Reliquiam S. Crucis ipſi Eccleſiæ legatam a Paulo Lambardo.

E.

1402. 31. Maii.

Ex Cataſtico Eccleſiæ S. Pantaleonis.

IN Nomine Dei Æterni Amen. Anno ab Incarnatione Domini Noſtri Jeſu Chriſti MCCCCII. Menſis Maii die ultima Indictione Decima Rivoalti. Teſtificamur nos Joannes de Tarviſio, & Bartholamæus Joannis ambo præcones, quod die dicto eramus in Curia D.D. Judicum Procuratorum qui de mandato D. N. D. Michaelis Steno Incliti Venetiarum Ducis ibidem ante ſe ad placita decidenda ſedebant, quando Ven. Viri D.D. Alexander de Bonacurſio Plebanus Eccleſiæ S. Panthaleonis de Venetiis Præsbit. Conto de Bertholdis. Præsb. Joannes Tajapetra. Præsb. Jacobellus qu: Andreæ Presb. Joannes de Monopoli Sacerdotes beneficiati in prefata Eccleſia placitabant ibidem cum egregiis & ſpectabilibus Viris DD. Procuratoribus de ultracanale commiſſariæ qu: Ser Pauli Lambardo dicentes quod die dicto erat ipſis partibus terminus ſtabilitus de placito inter eos vertente cujus quidem placiti tale fuerat principium. Præceptum namque extiterat ex parte ſupraſcripti D. N. Ducis per Curiæ Miniſterialem prefatis DD. Procuratoribus Commiſſariis prædictis quatenus ipſo die forent in cauſa reſponſuri predictis Ven. Viris Plebano & Sacerdotibus prænominatæ Eccleſiæ Sancti Panthaleonis de legato predicto Capitulo facto per ultimum teſtamentum q: Ser Pauli Lambardo, & ſic ibidem dicti Actores produxerunt ac legi fecerunt Teſtamentum ipſius Ser Pauli Lambardo factum completum & roboratum ut infra patebit quo viſo & lecto prefati actores propoſuerunt in hanc formam q: D. Judices procuratorum bene & diligenter viderant & audierant qualiter preallegatus Ser Paulus Lambardus per ſuum ultimum teſtamentum legaverat Sacerdotibus Eccleſiæ S. Panthaleonis quandam ipſius Teſtatoris Crucem ſacri ligni Dominici cum omnibus ſuis ornamentis reponendam & collocandam in prefata Eccleſia in loco decentiori. Inſuper legaverat eisdem Sacerdotibus omni & ſingulo anno prode ducatorum ducentorum impreſtitorum & hoc ut dicti Sacerdotes tam ob reverentiam illius precioſiſſimæ Crucis quam pro dicta elemoſina videlicet pro prode dictorum ducentorum ducatorum impreſtitorum annuatim eisdem Presbyteris conferendum dicti Sacerdotes tenerentur celebrare vel celebrari facere in eorum Eccleſia quotidie Miſſam unam pro anima ipſius teſtatoris perpetualiter & pro tanto ibidem petebant, quatenus dicti DD. Judices Procuratorum ſententiare dignarentur dictos D.D. Procuratores commiſſarios predictos ad dandum & conſignandum ipſis Sacerdotibus præallegatam Crucem cum omnibus ſuis ornamentis ut eam valeant in eorum Eccleſia reponere ſecundum intentionem Teſtatoris. Inſuper quod dicti DD. Procuratores Commiſſarii prædicti ſententiarentur ad dandum dicto Capitulo omni & ſingulo anno de bonis dictæ commiſſariæ prode ducatorum ducentorum impreſtitorum cum ipſi ſint parati quotidie in eorum Eccleſia celebrare ſive celebrari facere unam miſſam pro anima ipſius Teſtatoris juxta punctum & tenorem Teſtamenti predicti Teſtatoris; ex adverſo autem egregius & ſpectabilis vir D. Joannes Barbadico Miles honorandus Procurator & commiſſarius prædictus pro ſe & D. Andrea Mauroceno capite de XL. per Dominium aſſumpto loco Egregii Viri D. Benedicti Superantio alterius Procuratoris & Commiſſarii abſentis & extra civitatem exi-

ſtentis pro excelſa Ducali Dominatione nomine dictæ eorum Commiſſariæ reſpondens dicebat quod ad preſens non erant in ipſa Commiſſaria pecuniæ ex quibus poſſet perſolvi prode duc. ducentorum impreſtitorum omni & ſingulo anno nec ſperabant, quod in ipſa Commiſſaria eſſent aliquæ pecuniæ itaque ſi prædicti DD. Sacerdotes vellent quotidie in eorum Eccleſia pro anima dicti Teſtatoris celebrare vel celebrari facere unam miſſam. Ipſi Procuratores erant parati dictam Crucem eis tradere reponendam in eorum Eccleſia honorifice ſecundum intentionem Teſtatoris alias non intendebant aliqua via mundi conſignare. Ad quæ dicti Ven. Viri Plebanus & Presbyteri replicantes dicebant quod erant contenti, & quod ſolum illius ſacratiſſimæ Crucis intuitu volebant quotidie celebrare & celebrari facere unam Miſſam in eorum Eccleſia pro Anima ipſius Teſtatoris ſalvo tamen jure ipſorum Presbyterorum & Capituli & ſuorum ſucceſſorum in perpetuum ſi quo tempore in prædicta Commiſſaria eſſent pecuniæ ex quibus ibi poſſent dictum prode excutere tam de præterito à die preſentis ſententiæ quam etiam de futuro ad quæ prædictus egregius vir D. Joannes Barbadico miles nomine quo ſupra replicans dicebat, quod ipſi prædicti D.D. Sacerdotes ſancte & juſte dicebant, & quod D.D. Judices facerent ſuperinde quod juſtum eſt. Hæc itaque audientes, & intelligentes prefati DD. Judices Procuratorum vid. DD. Nicolaus Baduario Bartholomeus Mauro & Antonius a Bocolis viſis & auditis petitione & reſponſione prædictis. Viſo puncto teſtamenti dicti qu: Ser. Pauli Lambardo de confinio S. Raphaelis facti completi & roborati manu Presb. Conti de Bertholdis Presb. Eccleſiæ S. Panthaleonis Venetiarum Notarii milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo quinto Menſe Julii die vigeſimo intrante Indictione tertiadecima Rivoalti ubi vulgariter loquitur in hanc formam Item laſſo una Croxe del Santo Legno con li ſuoi fornimenti alli prevedi de San Panthalon & laſſoli lo pro de Ducati CC. in eterno con queſta condition che la ditta Croxe ſia meſſa ſovra Altar, over in muro, over in colona la che meglio parerà alli mie Commiſſarii per muodo che ſempre ſia noto a chadaun quella eſſer ſtada de caſa mia & ſia tegnudi li ditti prevedi in eterno per merito de la Croxe, e prò ogni di dir ò far dir in San Panthalon una Meſſa per Anima mia & de li miei paſſadi & ſe li ditti prevedi non ſe voleſſe obligar à dir ò far dir ogni di la ditta Meſſa ſia fuora de ogni mio laſſo & ſia data la ditta Croxe e prò alli Frati menori &c. ut in eo legitur. Audita inſtantia ipſius Plebani & Capituli dictæ Eccleſiæ dicentium, quod licet ad preſens non ſint in dicta Commiſſaria pecuniæ, ex quibus poſſint habere & exigere prode prædictorum Ducatorum ducentorum eiſdem Presbyteris legatum ſunt contenti & ſic ſe obligant ſolum ad reverentiam illius Sacratiſſimæ Crucis Chriſti quottidie celebrare vel celebrari facere imperpetuum unam Miſſam in eorum Eccleſia pro Anima dicti Teſtatoris ſalvis tamen ipſius capituli juribus ſi quo tempore in futurum in dicta Commiſſaria forent pecuniæ, ex quibus merito dictum prode tam de præterito à die preſentis ſententiæ quam in futurum poſſet exigi & excuti quod tunc & eo caſu dicti Sacerdotes ſint potiores in jure ipſarum pecuniarum & ſuper hoc habito conſilio diligenti per legem & juditium ſententiando dixerunt & ſententiaverunt quod dicti Plebanus & Capitulum ſeu Presbyteri Eccleſiæ S. Panthaleonis habere debeant & percipere ab ipſis D.D. Procuratoribus de Ultra, & aliis Commiſſariis ipſius qu: Ser Pauli Lambardo dictam Crucem ſacri ligni Chriſti cum omnibus ſuis ornamentis & fulcimentis, quæ fuit dicti qu: Teſtatoris reponendam & collocandam in Eccleſia prædicta Sancti Panthaleonis in loco habiliori honeſtiori & condecentiori, ut clare patere poſſit dictam Crucem fuiſſe de domo dicti Teſtatoris, & hoc ut dicti Presbyteri dictæ Eccleſiæ celebrare teneantur vel celebrari faciant quottidie

in

In eorum Eccleſia Miſſam unam pro Anima dicti Teſtatoris habendo prode ducatorum ducentorum omni & ſingulo anno a D.D. Procuratoribus Commiſſariis prædictis de bonis dictæ Commiſſariæ legatorum eisdem Presbyteris per dictum Teſtatorem Reſervata tamen & attenta aſſertione & oblatione ipſius Plebani & Capituli prædicta cum omnibus conditionibus modis & ordinibus in ipſo Teſtamento inſertis contentis & annotatis. Dantes dictis Plebano & Capitulo Eccleſiæ prædictæ & eorum ſucceſſoribus ad intromittendum de bonis omnibus & havere ipſius Commiſſariæ uſque ad integram ſatisfactionem omnium premiſſorum & omni & ſingulo anno predictum prode modo & ordine ſupraſcriptis & hoc per verum dicimus teſtimonium. Signum ſupraſcriptorum teſtium qui hæc fieri rogaverunt.

(Ego Bartholomæus Mauro Judex Procuratorum m. m. ſſ.
(Ego Antonius Aboccolis Judex Procur. m. m. ſſ.
Ego Cyprianus de Sachetis Presb. Eccl. S. Trinitatis Venetiar. Notar. complevi & roboravi.

D E
ECCLESIA PAROCHIALI
SANCTI STEPHANI CONFESS.

» ECCLESIAM hanc Divo Stephano Presbytero Confeſſo-
» ri dicatam Georgius Zancani Patritius Cretenſis ac
» Nobilis Venetus a fundamentis erexit anno MCCXCV.
» Petro Ziano Duce.

Effigies fundatoris in ſacrario aſſervata epigraphem hanc ſibi ſuppoſitam exhibet, nullaque præter ipſam ſuppetunt ex Archivo documenta. Remotiori tamen ævo fundatam fuiſſe innuit Dandulus in Chronico lib. IX. cap. XI. part. 2. ubi ad annum MCV. Eccleſiam S. Stephani Confeſſoris ex vaſtiſſimo incendio pæne ex integro conſumptam refert. Hæc ejus ſunt verba:

» *Eodem anno* (1105.) ignis de domo Henrici Zeno cauſa-
» liter emanans, contratas Sanctorum Apoſtolorum, Sancti Caſ-
» ſiani, Sanctæ Mariæ Matris Domini, Sanctæ Agathæ, San-
» cti Auguſtini, Sancti Stephani Confeſſoris quaſi in totum
» conſumpſit.

Quamvis autem ex monumentorum inopia tempus fundationis ejus haud innoteſcat, facile tamen ex veriſimili conjectura adducor ut credam eo tempore ædificatam fuiſſe, quo Veneti Bi-

ti Byzantinam Civitatem commercii cauſa frequentabant, unde & Sanctorum qui apud ipſam Imperialem Urbem celebriores habebantur religioſum cultum Venetias quoque adduxerunt. Hos inter illuſtris erat Divus Stephanus Conſtantinopolitanus Presbyter & Confeſſor, cujus vita virtutibus & prodigiis mire coruſcans fuſe exarata legitur in pergameno codice, ſeu ut vocant Paſſionario Eccleſiæ Ducalis S. Marci ad antiquum uſum matutinalium lectionum concinnato.

Cum vero mei Inſtituti non ſit exterorum Sanctorum vitas attingere, hanc præclariſſimis Bollandiani operis continuatoribus proferendam opportuno tempore relinquo.

Ne tamen Sancti hujus Venetæ Eccleſiæ Titularis & apud Græcos celebratiſſimi, Latini noſtri mores & geſta penitus ignorent Lectiones ipſas apponam quas Laurentius Cardinalis Priolus Venetiarum Patriarcha pro ſuæ Urbis Clero in ipſius Sancti feſto recitandas a Clemente Papa VIII. vivæ vocis oraculo impetravit:

„ LECTIO IV.

„ STEPHANUS Abbas & Presbyter Conſtantinopolitanus, ex
„ utero Matris a Deo electus ſanctitatis indicia præbuit. Cum
„ enim Mater ejus ſterilis eſſet, jugiter in Eccleſia S. Stephani
„ Prothomartyris orans, precibus eum a Domino impetravit.
„ Quo autem tempore illum in utero geſtabat, nunquam car-
„ nes, ova, lacticinia, oleum, vinum guſtare potuit, ſed pa-
„ ne ſolum & aqua, herbiſque cum ſale veſcebatur. Quam
„ vivendi rationem poſtea filius perpetuo tenuit. Nato puero
„ lucidiſſimum Crucis ſignum ei in pectore apparuit, & cum
„ ad Baptiſmalem fontem S. Stephani perductus eſſet, Presby-
„ ter qui illum baptizavit magnum virum futurum prædixit,
„ eique Stephani nomen a loco, in quo renatus eſt, & im-
„ petratus fuerat, indidit. Infans diebus jejuniorum lac ſuge-
„ re nolebat.

„ LECTIO V.

„ DUO de viginti annos natus patre orbatus eſt, & bien-
„ nio poſt relicta matre ut liberius Deo ſerviret in Ec-

„ cle-

„ cleſia S. Petri ſe incluſit. Inde ad Eccleſiam S. Antipæ M. „ divino monitu acceſſit, ubi cilicio indutus, cilicio quoque „ ſuper marmore pro lecto menſa & ſedili utebatur. Denique „ ad presbyteratus Ordinem promotus quotidie Miſſarum ſo- „ lemnia peragebat populoque frequenter prædicabat, ſed cum „ Eccleſia terremotu corruiſſet ad antrum confugit, in quo „ annis duodecim manſit ſumma cum auſteritate vitæ, ita ut „ ei barba, capilli, denteſque exciderint. Inde amicorum con- „ ſilio habitum monaſticum ſuccepit.

„ LECTIO VI.

„ Lampadis oleo coram B. Mariæ imagine ardente langui- „ dos ad ſe venientes ungens ſtatim ſanabat, quo etiam „ leproſum toto corpore perunctum a Lepra mundavit. Ab- „ bas Monaſterii creatus plurima ad Dei cultum direxit. Ac „ demum cum Imperator nuntium ad eum miſiſſet, qui ei „ ſignificaret ad eum viſendum ſe venturum, Vir Dei reſpon- „ dit, niſi uſque ad Veſperas veniret, non amplius ipſum vi- „ deret. Quod quidem evenit, ingenti namque imbre impe- „ ditus cum ad eum ire non poſſet, nuntium tamen pro be- „ nedictione ad illum miſit, qui ei manu ſua Benedictio- „ nem conſcriptam per eumdem nuntium transmiſit, & pau- „ lo poſt ſeptuaginta quatuor annos natus migravit ad Domi- „ num ſepultuſque eſt Conſtantinopoli miraculis clarus.

Eccleſia tum ex incendii ſuperius enunciati ruinis tum ex vetuſtatis damnis ſæpe ſæpius renovata traditur, moderato tamen opere, & adhuc antiquitatem referente. Nonnullas Divorum figuras in hac Eccleſia apponi juſſit ex legato Engoldiſes Petri Gradonici uxor cujus quidem hæc ſunt verba ex teſtamento ejus allata, quod die x. intrante menſis Martii anno MCCCLXII. confecit Stephanus Pianigo Cathedralis Eccleſiæ Archipresbyter & Notarius. “ *Item volo &* ordino fieri „ pro anima mea in Eccleſia S. Stephani Confeſſoris contrate „ mee ſcilicet ab illa parte que eſt verſus campum aliquas fi- „ guras Sanctorum & Sanctarum prout decens fuerit ſecun- „ dum operam laborerii, quam habent Apoſtoli laborati in „ medio dicte Eccleſie ſub Cruce, que figure contineant a „ dictis Apoſtolis uſque ad murum ipſius Eccleſie, qui eſt ſupra

„ cam-

„ campum, pro quo opere expendetur quantum decens fue-
„ rit, & ut meis commiſſariis expedire: videbitur.

Lipſanis ditatur S. Stephani Presbyteri Titularis, S. Antipæ Martyris, Sanctarum Catharinæ & Agneti, Virginum & Mart.

Deiparam Virginem ad Cœlos Aſſumptam in ipſius Aræ tabula laudato opere expreſſit Jacobus Tintorettus.

Anniverſaria Conſecrationis ſolemnitas die VIII. Maii recolitur.

Plebani Eccleſiæ S. Stephani Confeſſoris.

1119. Juſtus Valareſſus Presb. & Pleb. Eccl. S. Stephani Confeſſoris. Teſtis in Breviario ſecuritatis compl. per Joannem Presb. & Not. Ex codice Judicum Proviſorum ſuper Bona recuperanda Communis Venetiarum.

1243. Donatus Not. Ex Arch. S. Joannis de Torcello; & ex rog. ejusdem.

1320. Marcus. Ex rog. Omneboni Presb. S. Joann. de Rivoalto & Notar.

1348. Stephanus Pianigo Not. Archip. Caſtell. tranſiit anno 1366. ad Plebanatum Eccl. S. Pauli.

1366. Ludovicus Falconus Presb. Eccl. SS. Trinitatis Not. Ex rog. ejusdem.

1370. Symeon de Zenis. Ex inſtrumento donationis Ligni S. Crucis conceſſæ Sodalitio Magno S. Joannis Evangeliſtæ a Philippo Maſſerio Cancell. in Regno Cypri.

1395. Petrus Zane Not. & Aulæ Ducalis Cancell. Presb. Sanctæ Mariæ de Muriano electus eſt Pleb. S. Stephani; deinde anno 1406. aſſumptus fuit ad Plebanatum S. Auguſtini, demum anno 1428. electus ad Pleb. Sanctæ Mariæ de Muriano.

1407. Nicolaus Faxolo. Ex Arch. Patriarchali.

1408. Lucas Valenzino. Ex rog. Michaelis Belli Pleb. S. Caſſiani & Not.

1443. Angelus de Grondo Decretor. Doct. Baccalaureus & licentiatus Not. Ex rog. ejusdem.

1473. Antonius Gaciala. Ex rog. Laurentii Bono Not.

1476. Chriſtophorus Riccius, e Presb. S. Agnetis Pleb. S. Stephani ann. 1476. Deinde ad ann. 1479. Pleb. S. Joann. Bapt. in Bragora, demum Pleb. S. Moyſis. Ex rog. ejusd.

1479. Bernardus Maurocenus Benedicti filius Not. Decretor. Doctor & Canon. S. Marci. Ex rog. ejusdem.

1494. Franciſcus Burgius Fr. Vicarii S. Bartolomæi. Ex rog. Petri Bono Pleb. S. Benedicti.

1520. Marcus vel Marinus Stella. Obiit 24. Septemb. 1525. Ex Matricula S. Mariæ Matris Domini.

1525. Melchior Prothonot. Apoſtolicus & Canon. S. Marci. Obiit 29. Octob. 1556.

1556. Joſeph Camola. Obiit octuagenarius 1588.

1589. Nicolaus Rampazettus. Obiit 1598.

1598. Petrus Piccini poſt electionem ſuam reprobatus a Patriarcha Venet. Laurentio Card. Priolo appellat ad Sanctam Sedem, & confirmatur a Nuntio Apoſtolico Sede Patriarchali vacante. Anno 1606. electus Canon. Ducal. eodem anno transfertur ad Plebanatum Sancti Jacobi de Rivoalto.

1609. Vincentius Spontoni. Obiit 2. Julii 1631.

1631. Matthæus Valandri. Obiit 1659.

1659. Joannes Baptiſta Lambranci. Obiit 1660.

1660. Franciſcus Salvetti. Obiit 1703.

1703. Joannes Fanzelli. Obiit 1712.

1712. Marcellus de Marcheſinis. Obiit 1716.

1716. Jo: Paulus Fachus. Obiit 3. Decemb. 1745.

1745. Jacobus Marcuzzi.

DE

D E
ECCLESIA PAROCHIALI
SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI,
CONFESSORIS ET DOCTORIS.

PETRUS ex piiſſima Marturia gente, quæ Divo Juliano Templum pridem erexerat, Venetiis Theodoſio Patre progenitus ad Olivolenſem Sedem evectus Petro Candiano hujus nominis IV. Rempublicam adminiſtrante, Eccleſiam ædificavit Sancto Auguſtino Epiſcopo Hipponenſi ſacram, circa annum Domini nongenteſimum ſexageſimum nonum, quam propriis & parentum ſuorum impenſis erectam ſibi, ſuisque in Epiſcopatu Olivolenſi ſucceſſoribus decrevit perpetuo fore ſubjectam. Ita Dandulus in Chron. lib. VIII. cap. XII. p. 2. “ *Petrus* Epiſcopus natione Venetus ex Pa„ tre Theodoſio Marturio ſedit annis octo. Hic cum paren„ tibus ſuis fundavit Eccleſiam S. Auguſtini Epiſcopi, quam „ in ſubjectione ſuorum Epiſcoporum ſucceſſorum eſſe perpe„ tuo per teſtamentum *diſpoſuit*.“ Dandulo concordant Sabellicus, Benintendius aliique chronologi, ex quibus profecto corrigendus Sanſovinus, qui eam Eccleſiam a Petro Marturio Olivolenſi Epiſcopo ædificatam aſſerit anno 1001. quo anno

Reipublicæ præerat Petrus Urſeolus hujus nominis ſecundus Dux Venetiarum. Sapientis filii meritum ad gloriam patris convertit Anonymus Chronologus Sæculi XIII. qui hæc ſcripſit: *Theodoſius Mauro uni ipſe fecit Eccleſiam S. Auguſtini.* Ipſo Petro Urſeolo II. Duce acri incendio conſumpta eſt, ex cujus cineribus novo molimine renovata, iterum anno *1639*, pari periit infortunio. Ære ex Chriſti fidelium eleemoſinis corrogato intra brevem decennii periodum reædificari curavit Nicolaus Formentini Plebanus, rem teſtante marmorea epigraphe januæ Templi ſuperimpoſita:

„ *Voracibus Repente Flammis Abſumptum, Charitatis Flamma*
„ *Illico Reparatum, Nicolao Formentino Antiſtite Anno Salutis*
MDCLIX.

Corpus S. Marci Martyris e Cæmeteriis Romanis eductum in hac Eccleſia quieſcit, ubi & os aſſervatur S. Chriſtophori Martyris præcipua devotione cultum.

Conſecrationis ſolemnia peregit die IX. Decemb. anno MDCXCI. Joannes Baduarius eo temporis Patriarcha Venetiarum, mox Epiſcopus Brixienſis, & S. R. E. Cardinalis piiſſimus.

„ D. O. M.
„ Renatum hoc e cineribus, Antiſt. eximii Nicolai Formen-
„ tini Charitate Delubrum Succeſſorisq. Viri Fama Clari An-
„ tonii Egenini ære, & opere pro Conſecrat. Diſpoſitum, Jo:
„ Baduarius Patriarcha Nova Dedicatione Dei & SS. Auguſti-
„ ni ac Monicæ antiquo titulo reſtituit.
„ Die IX. Dec. M. DC. XCI. Franc. Mauroc. Duce
„ Carolo Caſtoreo Plebano.

Crucifixi Domini aram marmoream erigi mandavit ex teſtamento Lucretia Contarena Michaelis Legii uxor, cujus beneficentiæ memoriam exhibet inſcriptio ad aræ latus appoſita.

„ D. O. M.
„ Jacobus Legius, Tum Ex Legato Lucretiæ Contarenæ
„ Michaelis Legii Uxoris, Tum propriis expenſis, Annuen-
„ te Nicolao Formentino Plebano, Illuſtriſs: Ordinarii Au-
„ ctoritate Suffulto, Altare A' Fundamentis Erexit Anno Domini
„ MDCXLVI.

Quam

Quàm ſolemne olim apud Venetos fuerit Sanctiſs. Doctoris feſtum, teſtatur antiquum documentum, quod ex Schedis ſuis mihi protulit Cl. V. Joannes de Auguſtinis Minorum de Obſervantia in Conventu S. Franciſci a Vinea Bibliothecarius. Octavianus Ubaldinus Florentinus S.R.E. tit. S. Mariæ in Via Lata Diac. Card. ab Innocentio IV. creatus & ipſius Pontificis legatus dum Venetijs degeret Petro Pino Epiſcopo Caſtellano ea qua fungebatur authoritate mandavit, ut *ipſius egregii Doctoris feſtum annuatim in Civitate & Diœceſi Caſtellana faceret ab omnibus ſolemniter celebrari*, atque ejus Eccleſiam ipſa feſtiva die viſitantibus *quadraginta dies de injuncta eis pœnitentia miſericorditer in Domino* relaxavit.

„ In Nomine Dei Eterni amen. Anno ab incarnatione Domini noſtri Jhesu Chriſti mill. ducent. quinquageſimo menſ. Junii die tertio exeunte Indict. Octava. Rivoalt. Preſent. Antonio presbit. S. Mauricii, Marco presb. & Plebano S. Marie Matris Domini: Nicholaus Presb. & Plebanus Sancti Auguſtini de Venet. Dioceſ. Caſtellane preſentavit & dedit Dom. P. Dei gratia Epiſcopo Caſtellano quasdam litteras ex parte Dom. O. Dei gracia S. Mariæ in Via Lata Diacon. Cardinal. Apoſtolice ſedis legati ipſius ſigillo cereo ſigillatas, quarum tenor talis eſt: Venerab. in Chriſto Pat. Dei gracia Epiſcopo Caſtellano Octavian. miſerat. divina Sancte Marie in via lata diaconus Cardinal. apoſtolice ſedis legatus ſalutem in Domino. Sublimis honor & preceſſa dignitas, quibus Deus Omnipotens Beatum Auguſtinum in celis eterna providentia decoravit ſalubriter ſtatuere nos inducunt ut ipſius nomen ab omnibus veneretur in terris, cujus celſitudinem conſtat in celeſtibus ſublimiter honorari. Quocirca paternitatem veſtram ortamur attente vobis qua fungimur autoritate mandantes quatenus ipſius egregii Doctoris feſtum annuatim in Civitate & Dioceſi Caſtellana faciatis ab omnibus ſolemniter celebrari, contradictores per cenſuram eccleſiaſticam compeſcendo ut quem doctorem veritatis habuerunt in terris interceſſorem in celis habere continue mereantur. Nos enim vere penitentibus & confeſſis omnibus qui ipſius Eccleſiam in die feſtivitatis ſue cum devotione congrue viſitaverint, quadraginta dies de injuncta eis penitentia miſericorditer in Domino relaxamus. In cu-

„ jus

„ jus rei teſtimon. preſentes litteras ſigilli noſtri fecimus ap-
„ penſione roborari. Datum Venet. III. Kal. Junii Pontif. D.
„ Innocentii papæ IIII. anno ſeptimo. Actum eſt hoc in Epiſ-
„ copatu Caſtellano. Ego Marinus de Cardivello Presb. S. Ra-
„ phaelis Not. his interogatus ſcripſi complevi & roboravi.

Ordo Plebanorum Eccleſiæ S. Auguſtini.

1315. Raphael Bono. Ex rog. Andreæ Presbyteri S. Caſſiani & Not.

1330. Nicolaus Blancho Not. Ex rog. Victoris Canon. Sancti Marci & Not. & ex Cataſtico S. Pantaleonis.

1334. Nicolaus Juliano Not. Ex rog. ejusdem.

1338. Dardi. Ex Arch. Patriarchali.

1341. Leonardus Not. Ex rog. ejusdem.

1346. Damianus Balbi. Ex Arch. Eccl.

1363. Gaſparinus Faracio Not. Ex rog. ejusdem. De eo Marinus Sanutus in Chronico ubi illum dicit Capell. Petri Triviſani Procurat. legati Veneti ad Urbanum V.

1381. Marcus Botola Canon. Ducal. Ex rog. Joannis de Coſtegnolis Presb. S. Auguſtini & Not.

1406. Petrus Zane Not. & Aulæ Incliti Ducis Venet. Cancell. Ex rog. ejusdem Anno 1428. tranſiit ad Plebanatum S. Mariæ de Muriano.

1428. Nicolaus Venerio Not. & Scriba Curiæ Forinſecorum (del Foraſtier). Titulatus Eccl. S. Sylveſtri. Fuit primum Capell. Lucæ Troni Conſulis in Damaſco anno 1418. deinde ann. 1420. Capell. Franciſci Michaelis Conſulis in Alexandria. Obiit 1442.

1442. Thomas de Prandis prius Pleb. Sancti Canciani. Obiit 1473. Ex rog. Pauli Benedicto Pleb. Sanctæ Mariæ Jubenico.

1474. Valentinus a Turre Not. Ex rog. ejusdem. Ob. 1500.

1501. Benedictus Franco. Ex ipſius Teſtamento.

1526. Alexander a Turre. Ex Arch. Ecc.

1530. Aloyſius Natalis Not. prius Pleb. S. Ubaldi. Ex rog. ejusdem. Obiit 1536.

1536. Joannes Rhenius electus inde ad Plebanatum ſeu Vicariatum S. Bartholomæi Archipresb. Cong. S. Sylve-

ſtri

ſtri. Ann. 1560. erat Vicarius Generalis Epiſcopi Torcell. ut habetur ex Arch. Monaſt. S. Joannis de Torcello in quo dicitur J. U. D.

1570. Cyprianus Tramezinus. Obiit 1576. Ex Arch. Eccl.

1576. Petrus Veroneus Canonicus Caſtellanus. Obiit 1609. Ex Arch. Eccl.

1609. Petrus de Regibus (da Re.) Obiit 1617. Ex Arch. Eccleſiæ.

1617. Nicolaus Formentini Canon. Ducal. & Archip. Congr. S. Mariæ Matris Domini reſtauravit Eccleſiam incendio conſumptam. Obiit 1651.

1651. Antonius Egeninus. Obiit 1691. die 21. Maii.

1691. 24. Maii. Carolus Caſtoreo. Obiit 1700. 12. Auguſti.

1700. 15. Auguſti. Franciſcus Antoniani. Obiit 1723. 14. Novembris.

1723. 17. Novembris. Franciſcus Caſtoreo. Obiit 17. Decembris 1734.

1734. 21. Decembris. Gaſpar Boſchetus. Muneri renuntiavit Octob. 1737.

1737. 6. Octobris. Victor Nogari Canon. Caſtell.

DE

DE

ECCLESIA PAROCHIALI SANCTI UBALDI EPISCOPI ET CONFESSORIS.

QUÆ modo Divi Ubaldi Eugubini Epiſcopi titulo inſignitur Eccleſia, a ſui fundatione ſub Divæ Agathæ Virginis & Martyris invocatione erecta fuit. De prima ejus origine id unum conſtat ex Sanſovino aliiſque Chronologis, ipſam antiquitus a Familiis Patritiis Juſta & Throna ædificatam fuiſſe; nomina vero Fundatorum & Fundationis tempus alta oblivione deliteſcunt. Ex Dandulo lib. IX. cap. XI. part. II. innoteſcit ante annum MCV. ædificatam fuiſſe, eo ſiquidem anno ignis ex domo Henrici Zeno de Parœcia SS. Apoſtolorum exortus cum contiguas ædes corripuiſſet, tabulis quibus ea tempeſtate ut plurimum domus conſtruebantur pabulum miniſtrantibus, adeo late ſe ſe diffudit, ut ſex Eccleſias ipſarumque Parœcias fere ex integro devoraverit; quas inter nominatim recenſetur S. Agathæ Eccleſia. Cujus ſtudio reſtituta ſit incompertum: ex marmorea inſcriptione edocemur renovatam Eccleſiam adjecto Sacello majori ampliatam fuiſſe; cui rei memoriam lapidi inciſam exteriori

Sacel-

Sacelli, ipſius parieti Plebanus, & Procuratores Eccleſiæ affigi voluerunt.

„ ✠ 1385. Menſis Decemb. Factum fuit hoc opus. Tempo-
„ re Diſcreti Viri D. Franciſci Cavaza Plebani. & Andree ac
„ Hieronymi Sclavo Fratrum & Procuratorum hujus Eccleſiæ
„ Sanctæ Agathæ.

Ex Imperiali Urbe Conſtantinopolis, quam Venetæ Reipublicæ arma Gallis Belgisque fœderata anno 1203. obſidione expugnaverant, ad hanc Eccleſiam ornandam os brachii Divæ Agathæ Virginis & Martyris ab ejus Corpore Byzantii tunc quieſcente avulſum Venetias deductum eſt, & in Templo ejus nomini dedicato collocatum, ubi etiam nunc honorifice aſſervatur.

Fluxu autem temporis Sancto Ubaldo Eugubino Epiſcopo præcipuus cultus in hac Eccleſia exhiberi, atque annua ejus apud ſuperos natalis ſolemnia tanta populi frequentia celebrari cœperunt, ut rei novitate animos hominum (ut fit) alliciente, paulatim Eccleſiæ denominatio ab antiquo Divæ Agathæ vocabulo, primum ad Divorum Ubaldi, & Agathæ geminatum titulum, mox ad unicum Divi Ubaldi nomen tranſierit.

Primus qui ſe Plebanum Sancti Ubaldi appellaverit invenitur Thomas de Gulielmis anno 1500. cujus ſucceſſor Aloyſius Natalis in iis, quæ rogavit (erat enim Notarius) inſtrumentis Plebanum ſe Sanctorum Ubaldi & Agathæ nominavit. Ejus deinde ſucceſſores unica Divi Ubaldi appellatione uſi ſunt.

Ex longi temporis edacitate vetuſtiſſimum Templum ruinæ proximum ut in ornatiorem formam reſtitueretur ſolo æquatum fuit anno MDCCXXXV. Novæ inde Eccleſiæ primus lapis ipſo anno in fundamentis ſolemni ritu poſitus fuit die XV. Maii Divo Epiſcopo Tutelari ſacra; ipſo in primis adnitente Eccleſiæ Plebano Joanne Maria Gregorino, cujus ſtudio opus poſt annos quatuor ad ſui perfectionem deductum eſt, atque anno 1739. in lætiſſima Dominicæ Nativitatis ſolemnitate divinis cœpit officiis frequentari.

DE
ECCLESIA PAROCHIALI
SANCTI UBALDI EPISCOPI
ET CONFESSORIS.

QUÆ modo Divi Ubaldi Eugubini Epiſcopi titulo inſignitur Eccleſia, a ſui fundatione ſub Divæ Agathæ Virginis & Martyris invocatione erecta fuit. De prima ejus origine id unum conſtat ex Sanſovino aliisque Chronologis, ipſam antiquitus a Familiis Patritiis Juſta & Throna ædificatam fuiſſe; nomina vero Fundatorum & Fundationis tempus alta oblivione deliteſcunt. Ex Dandulo lib. IX. cap. XI. part. II. innoteſcit ante annum MCV. ædificatam fuiſſe, eo ſiquidem anno ignis ex domo Henrici Zeno de Parœcia SS. Apoſtolorum exortus cum contiguas ædes corripuiſſet, tabulis quibus ea tempeſtate ut plurimum domus conſtruebantur pabulum miniſtrantibus, adeo late ſe ſe diffudit, ut ſex Eccleſias ipſarumque Parœcias fere ex integro devoraverit; quas inter nominatim recenſetur S. Agathæ Eccleſia. Cujus ſtudio reſtituta ſit incompertum: ex marmorea inſcriptione edocemur renovatam Eccleſiam adjecto Sacello majori ampliatam fuiſſe; cui rei memoriam lapidi inciſam exteriori

Sacel-

Sacelli. Ipſius parieti Plebanus, & Procuratores Eccleſiæ affigi voluerunt.

„ ✠ 1385. Menſis Decemb. Factum fuit hoc opus. Tempo-
„ re Diſcreti Viri D. Franciſci Cavaza Plebani. & Andree ac
„ Hieronymi Sclavo Fratrum & Procuratorum hujus Eccleſiæ
„ Sanctæ Agathæ.

Ex Imperiali Urbe Conſtantinopolis, quam Venetæ Reipublicæ arma Gallis Belgisque fœderata anno 1203. obſidione expugnaverant, ad hanc Eccleſiam ornandam os brachii Divæ Agathæ Virginis & Martyris ab ejus Corpore Byzantii tunc quieſcente avulſum Venetias deductum eſt, & in Templo ejus nomini dedicato collocatum, ubi etiam nunc honorifice aſſervatur.

Fluxu autem temporis Sancto Ubaldo Eugubino Epiſcopo præcipuus cultus in hac Eccleſia exhiberi, atque annua ejus apud ſuperos natalis ſolemnia tanta populi frequentia celebrari cœperunt, ut rei novitate animos hominum (ut fit) alliciente, paulatim Eccleſiæ denominatio ab antiquo Divæ Agathæ vocabulo, primum ad Divorum Ubaldi, & Agathæ geminatum titulum, mox ad unicum Divi Ubaldi nomen tranſierit.

Primus qui ſe Plebanum Sancti Ubaldi appellaverit invenitur Thomas de Gulielmis anno 1500. cujus ſucceſſor Aloyſius Natalis in iis, quæ rogavit (erat enim Notarius) inſtrumentis Plebanum ſe Sanctorum Ubaldi & Agathæ nominavit. Ejus deinde ſucceſſores unica Divi Ubaldi appellatione uſi ſunt.

Ex longi temporis edacitate vetuſtiſſimum Templum ruinæ proximum ut in ornatiorem formam reſtitueretur ſolo æquatum fuit anno MDCCXXXV. Novæ inde Eccleſiæ primus lapis ipſo anno in fundamentis ſolemni ritu poſitus fuit die XV. Maii Divo Epiſcopo Tutelari ſacra; ipſo in primis adnitente Eccleſiæ Plebano Joanne Maria Gregorino, cujus ſtudio opus poſt annos quatuor ad ſui perfectionem deductum eſt, atque anno 1739. in lætiſſima Dominicæ Nativitatis ſolemnitate divinis cœpit officiis frequentari.

Series Plebanorum Eccleſiæ Sancti Ubaldi Epiſcopi & Confeſs.

1279. 10. Febr. Marinus Pentulus Pleb. S. Agathæ. Ex ſententia Judicum ſuper bona Communis Venetiarum.
1306. Paſchalis Doto Not. Ex rog. ejusdem.
1313. Phillippus. Ex rog. Andreæ Presbyteri Sancti Caſſiani, & Not.
1321. Nicolaus Bettinus. Ex Arch. Patriarchali.
1344. Marinus Doto Canon. S. Marci. Ex ejus Teſtamento in quo legat Eccleſiæ ſolidos xx. groſſorum pro auxilio campanilis, quando ſiet.
1345. Donatus de Gebelinis Presb. prius S. Barnabæ Not. Ex rog. ejusdem.
1361. Nicolaus Benedicto Not. Cappellanus S. Marci Archipresbyter Congregationis Sanctæ Mariæ Matris Domini. Tranſiit ad Plebanatum SS. Apoſtolorum.
1377. Franciſcus Cavaza. Ex Epigraphe ſuperius relata.
1398. Franciſcus Ferro. Ex Arch. Patriarc.
1400. Franciſcus Novello Not. fuit prius Beneficiatus in Eccleſia Sancti Bartholomæi, deinde electus Plebanus S. Agathæ, poſtremo electus Vicarius S. Bartholomæi; de quo hujus operis decade 1. pag. 322.
1408. Franciſcus Dondi. Ex rog. Jo: Burgi Pleb. Sancti Nicolai Notarii.
1432. Joannes Paſqualis Deputatus ad Concilium Baſileenſe pro Congregatione Sancti Angeli. Ex Chron. Marini Sanuto.
1447. Joannes de Boſiis Not. & Curiæ Proprii Scriba. Ex rog. ejusdem.
1454. Petrus de Brutis. Ex Arch. Patriarcali.
1456. Lucas Petri d' Amore Not. Ex rog. ejusdem.
1478. Nicolaus Avantio. Ex rog. Franciſci Beletto Pleb. Sanctæ Mariæ Formoſæ.
1482. Thomas de Guilielmis Pleb. S. Ubaldi. Ex rog. Natalis Regia Not.
1508. Aloyſius Natalis Not. Pleb. SS. Ubaldi & Agathæ tranſiit ad Plebanatum S. Auguſtini. Ex rog. ipſius.

1530.

1530. Aloyſius Nigro. Obiit ann. 1569. M. V. 12. Febr.
1569. M. V. 17. Febr. Dominicus a Monte Claudus. Obiit quarto ab electione ſua menſe die XVIII. Junii 1570.
1570. 26. Maii. Angelus Zoncha Capellanus Monialium Sancti Andreæ.
1587. Sylveſter Rota Archipresbyter Congregationis S. Sylveſtri. Obiit 31. Maii 1612.
1612. Joſeph de Nigris. Obiit 22. Novebris 1618.
1618. Antonius Caldonus. Obiit 8. Julii 1647.
1647. Bartholomæus de Gabrielis. Obiit 19. Octob. 1662.
1662. Joannes Maria Colombina. Obiit 30. Octob. 1685.
1685. Rochus Pelizzarius. Obiit 16. Decemb. 1700.
1700. Joannes Maria de Cazzaris Canon. Caſtell. Obiit 5. Januarii 1722. M.V.
1722. M. V. Joannes Joppis. Obiit 18. Novemb. 1731.
1731. 24. Novemb. Joannes Maria Gregorinus Eccleſiam vetuſtate collabentem a fundamentis reædificari curavit.

DE
ECCLESIA PAROCHIALI
S. S. EUSTACHII & SOC. M. M.

UT Divis Euſtachio clariſſimo Martyri, ejusque uxori, & liberis, qui ſimul cum eo paſſionem ſub Trajano Romæ conſumaverant, Templum Venetiis etiam excitaretur, Familia *a Cornu* ſumptus præſtitit antiquo ſane, ſed incerto tempore. Cum vero Dandulus Chronic. lib. IX. cap. XI. part. II. afferat nominatim Eccleſias ex vaſtiſſimi incendii flammis conſumptas, quæ tamen Divi Euſtachii Templum undequaque circumſtant, ex veriſimili conjectura nondum ædificatum fuiſſe dicendum erit. Prima quæ incurrat hujus Eccleſiæ mentio in Wadingo eſt Tom. V. pag. 541. Annalium Ordinis Seraphici, ubi ad annum 1290. Pontificium Nicolai IV. Diploma affert, quo Henricus Ordinis Minorum alumnus ad Clugienſem Sedem evehitur per renuntiationem *Leonardi Plebani Plebis S. Euſtachii de Venetiis* vacantem. Ex documentorum inopia nihil ulterius de ornatiſſima Eccleſia datum eſt invenire, quam vetuſtate labentem anno 1678. Donatus Triviſano Plebanus ſolo æquari curavit, ut inde recentioris, atque ornatioris formæ nova exſurgeret. Piorum itaque

que

que corrogatis eleemoſinis vaſtum opus incæptum eſt, quod per multos annos gravi impenſa elaboratum magnificentiſſimo & eleganti opere tandem aliquando prodiit.

Septem deinde altaribus ex candido marmore ſplendide extructis, atque laudatis illuſtrium Pictorum laboribus Templum optime decoratum anno MDCCVI. a Venetiarum Patriarcha Aloyſio Foſcaro conſecratum eſt: Reædificationis & conſecrationis memoriam lapidi inſculpi juſſit Bartholomæus Lanfranchus Pleb.

„ Templum hoc Vetuſtate Funditus Reſtitutum Anno 1678.
„ Euſtachio, & Sociis Martyribus Dicatum. 25. Julii An-
„ no 1745.

Marmoream Eccleſiæ faciem ſumptuoſo opere erigi ex legato mandavit Aloyſius Mocenico qui in Ducalis faſtigii dignitate Silveſtro Valerio ſucceſſit. Hic emortualem requiem in hac Eccleſia ſibi deligens epigraphem hanc ſepulcro inſculpi juſſit.

„ Nomen & cineres una cum vanitate ſepulti.

Inſignibus ditatur Eccleſia hæc Sanctorum lipſanis, quæ ex immemorabili traditione e Titularium Divorum Corporibus deducta fuiſſe comperimus, una tantummodo excepta, cui Divi Joannis Chryſoſtomi nomen inſcriptum legitur.

Ordo Chronologicus Plebanorum Eccleſiæ Sancti Euſtachii.

1279. Leonardus. Ex Cataſt. S. Antonii de Torcello. Eximiam ipſius pietatem, qua ſponte & libere Epiſcopatui Clodienſi ad quem adlectus fuerat renuntiavit, teſtatur Nicolaus V. in Bulla qua Henricum ex Ordine Minorum Epiſcopum Clodienſem ipſius loco conſtituit: ipſam totius rei ſeriem ex Wadingo exhibemus.

„ *Dilecto filio fratri Henrico Electo Clugien.*

„ Ex ſuſceptæ ſervitutis officio, ſollicitudine pulſamur aſſi-
„ dua, ut Eccleſias omnes, quarum cura eſt nobis, ſummi diſ-
„ poſitione Paſtoris, commiſſa, ſpiritualibus & temporalibus
„ commodis augeamus, & eis maxime per debitæ proviſionis
„ miniſterium neceſſitatibus conſulamus, quæ noſcuntur pa-
„ ſtoris ſolatio deſtitutæ.

„ Du-

» Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Stephano Clugien. ele-
» cto, de quo per Sedem Apoſtolicam Eccleſiæ Clugien. pro-
» viſum fuerat, antequam conſecrationis ſuæ munus ſuſcipe-
» ret, morte prævento, dilecti filii Capitulum ejuſdem Eccle-
» ſiæ convenientes in unum pro futuri ſubſtitutione paſtoris,
» quendam Percivallum Canonicum Eccleſiæ Modoetien. Me-
» diolanen. dioeceſis per viam compromiſſi in Clugien. Epiſ-
» copum concorditer elegerunt, ſed eo electioni hujuſmodi
» conſentire nolente, in venerabilem fratrem noſtrum Patriar-
» cham Graden. compromittere curaverunt, conceſſa ei pro-
» videndi pro ea vice de perſona idonea eidem Eccleſiæ, &
» paſtore, plena & libera poteſtate.
» Cumque poſtmodum præfatus Patriarcha Leonardum Ple-
» banum plebis Sancti Euſtachii de Venetiis Caſtellan. dioec.
» ex vi compromiſſi hujuſmodi in Clugien. Epiſcopum elegiſ-
» ſet, pro parte quorumdam Canonicorum Clugien. contra ele-
» ctionem hujuſmodi ad Sedem Apoſtolicam extitit appellatum.
» Noſque poſtmodum dilectum filium noſtrum Petrum Sancti
» Euſtachii Diaconum Cardinalem in hujuſmodi appellationis
» cauſa, & negotio principali conceſſimus partibus adjutorem,
» coram quo cauſa ipſa pendente præfatus Leonardus no-
» lens, quod prætextu electionis hujuſmodi de ſe factæ, Ec-
» cleſia præfata ulterius ſub viduitate langueret, omni juri,
» quod ſibi ex electione prædicta quæſitum fuerat, ſponte ac
» libere in manibus dilectorum filiorum noſtrorum H. tituli
» S. Sabinæ Præsbyteri Cardinalis, & ejuſdem Petri Cardina-
» lium de noſtra licentia renunciavit expreſſe.
» Nos itaque renunciationem hujuſmodi acceptantes, ac pa-
» terna volentes ſollicitudine præcavere, ne dicta Clugien.
» Eccleſia ulterius viduitatis incommoda deploraret, ad per-
» ſonam tuam, quam litterarum ſcientia, honeſtate morum,
» converſatione vitæ laudabilis, providentia ſpiritualium, &
» circumſpectione temporalium, & aliis virtutum donis, ex ſuæ
» largitatis gratia multipliciter decoravit, direximus oculos no-
» ſtræ mentis illam fore perutilem ad ipſius Eccleſiæ regimen
» arbitrantes. Quapropter te &c. uſque *ſuſcipiet incrementa*.
» Reverenter ergo &c. uſque *poſſidere*.

» Datum apud Urbem veterem XV. Kal. Octobris anno III.
1302.

1302. Petrus Stamaſti Canonicus Caſtell. anno 1310. ob nefariam Bajomontis Theupuli conjurationem, cui adhæſerat obiit in exilio. Ex Chron. Savina.

1315. Nicolaus Falero ſeu Faletro. Ex rogitis Omnisboni Pleb. S. Jo: de Rivolto.

1344. Andreas Brizi. Ex Diariis Sanctæ Mariæ Servorum de Venetiis.

1347. Franciſcus. Ex rog. Victoris Canon. S. Marci & Not.

1348. Victor. Ex rog. Nicolai Roſſo Presb. S. Simonis Apoſt.

1358. Dominicus Dedho Not. Ex rog. ipſius.

1361. Nicolaus Triviſano. Ex rog. Simeonis Presb. S. Jacobi de Luprio.

1363. Andreas Donadò. Ex rog. Simeonis Presb. prædicti.

1372. Fantinus Rizzo prius Presb. S. Bartholomæi & Not. deinde Pleb. Sancti Euſtachii & Canonicus Ducalis. Ex rog. ipſius.

1374. Joannes Rizzo Not. Ex rog. ipſius.

1380. Comes de Bertholdis Presb. S. Pantaleonis, deinde Pleb. S. Euſtachii Not. Ex rog. ipſius.

1382. Franciſcus a Fructibus prius Presb. S. Agathæ & Not. deinde Presb. S. Mariæ Magdalenæ, poſtremo Pleb. S. Euſtachii. Ex rog. ipſius.

1400. Jacobus Nicolai. Ex rog. Leonardi Valle Pleb. S. Mariæ Magdalenæ.

1446. Paulus de Viatho filius Hieronymi & Magdalenæ Viatho. Ex teſtam. Matris ſuæ.

1458. Daniel Bianco vel Vianto. Ex Arch. Eccl.

1467. Franciſcus de Stefanis. Ex Arch. Eccl.

1480. Antonius Longo Decretor. Doctor. Ex Arch. Patriarch.

1482. Hieronymus Spazzamolino Not. Ex rog. ipſius.

1499. Joannes Franciſcus Urſo Not. tranſiit ad Pleban. S. Mariæ Jubanico. Ex rog. ipſius.

1506. Jo: Moncezano Canon. Ducal. Ex Cataſt. Eccl.

1544. Franciſcus Perla. Obiit 12. Auguſti 1549. Ex Cataſt. Eccleſiæ.

1549. 28. Aug. Bernardinus Tramezinus. Obiit 15. Maii 1569. Ex Arch. Eccl.

1569. 19. Maii. Franciſcus de Gattis Canon. S. Marci. Ob. 28. Julii 1576.

1576. Angelus Boſcherius J. U. D. Canon. Caſtell. deinde Pleb. S. Geminiani, Canon. S. Marci, & Archipresbyter Cong. S. Angeli.

1595. Julius Caſtiglionus. Obiit 8. Maii 1612.

1612. Jacobus de Corderiis Archipresb. Cong. S. Salvatoris. Obiit 20. Aug. 1654.

1654. 24. Aug. Petrus de Gallitiis. Obiit 15. Octob. 1674.

1674. 8. Octob. Donatus Triviſano Canon. Ducal. Obiit 1708. 8. Septemb.

1708. Dominicus Battivani. Obiit ante initam poſſeſſionem 3. Februarii 1708. M. V.

1708. M. V. Joannes Reverſi. Obiit 20. Apr. 1713.

1713. Andreas Galli Canon. S. Marci. Obiit 9. Aug. 1736.

1736. 13. Aug. Bartholomæus de Zocchis. Obiit 22. Octobris 1737.

1737. Joſeph Danieletus Canonicus S. Marci. Obiit 4. Octobris 1743.

1743. 7. Octob. Jacobus Dalprete. Obiit 5. Martii 1744.

1744. 10. Martii. Bartholomæus Lanfranchi, ſub quo conſecratur Eccleſia.

DE

D E
ECCLESIA PAROCHIALI
SANCTI CASSIANI EPISCOPI,
ET MARTYRIS.

FRANCISCUS Sanſovinus de Venetis antiquitatibus optime meritus dum Venetas Eccleſias ſingillatim recenſet, hanc S. Caſſiani remotiori ævo a Familiis Michaelia & Minotta erectam, & a Sanctimonialibus ſub Divæ Ceciliæ titulo excultam fuiſſe aſſerit. Cui hæc opinio innitatur fundamento mihi incompertum. Officio ſolemni ut contitularis Diva hæc Virgo colitur, & Sacellum de jure Maurocenæ Gentis ſacrum habet, ad cujus aram caput aſſervatur, quod ex plumbea lamina ei adhærente, atque S. Ceciliæ nomen inciſum exhibente ad ipſam Martyrem pertinere tenui, & incerto argumento deducitur.

An S. Ceciliæ dicatum fuerit Templum, & quomodo in Divi Caſſiani nomen tranſierit omnino ignoratur, cum Eccleſiaſtica documenta, quibus res illuſtraretur, ex vaſtiſſimo incendio anni 1105. quo ſpectatiſſima Urbis pars exarſit, prorſus perierint.

Eccleſiam, Dominico Pino Plebano, uno Sancti Caſſiani titu-

lo appellatam ſub Beati Petri protectione ſuſcepit Clemens Papa III. anno Pontificatus ſui Primo, Chriſti nempe 1188. apoſtolica authoritate decernens, *ut quaſcumque poſſeſſiones, quæcumque bona eadem Eccleſia juſte & Canonice poſſideret, aut in futurum præſtante Domino adipiſci* poſſet, ea ipſi Eccleſiæ *firma & illibata* permanerent. *Quartam* quoque *partem Parochialium Decimarum ad Clericos* ſpectantium, *quam Henricus* (Dandulo) *Gradenſis Pattiarcha de conſenſu Marci* (Nicola) *Caſtellani Epiſcopi ad mandatum Urbani* III. ipſi Eccleſiæ conceſſerat, *ſicut eam juſte, & pacifice* poſſidebat *ad exemplar ejusdem Urbani, & Gregorii* VIII. *prædeceſſorum apoſtolica authoritate* confirmavit. Pontificium Clementis diploma datum fuit Laterani v. Idus Junii anno MCLXXXVIII. cui ſubſcripſerunt XIV. ex S. R. E. Cardinalibus (A).

In nonnullis ex recentioribus documentis aliquando duplici titulo *Sanctorum Caſſiani & Ceciliæ* nuncupatam invenio, ut patet in ſententia anno Domini MDXXIII. die x. Julii lata per Aloyſium Natalem Plebanum Sanctorum Ubaldi, & Agathæ tamquam Arbitrum aſſumptum ejusque Collegas Compromiſſarios Judices inter Joannem Triviſanum *Eccleſiæ Sanctorum Caſſiani, & Ceciliæ Venetiarum* Plebanum, & hæredes Aloyſii de Madiis olim dictæ Eccleſiæ Plebani, quam ſententiam in publicas tabulas redegit anno & die ſupradictis Joannes Antonius de Zanchis Venetiarum Notarius.

Ex lacrymabili incendio cum conflagraſſet anno MCV. ut ſuperius dictum eſt, nova poſtmodum molitione reſtituta fuit, ad cujus decoris augmentum Jacobus Minoto de ejusdem Eccleſiæ confinio memor quot & quanta proavi ſui in Templi fundatione beneficia contuliſſent, alia quoque ex animi ſui pietate ſuperaddere ſtatuit. Ea propter *Plebano Eccleſiæ S. Caſſiani, & procuratori ipſius Eccleſiæ* qui eſſent *per tempora* dedit, & obtulit *totas ſuas proprietates terrarum, & caſarum cohopertas, & diſcohopertas in ſupraſcripto confinio* S. Caſſiani *poſitas* eo tempore, & conditionibus poſſidendas, prout latius in ipſo donationis inſtrumento patet, quod anno MCCXXXII. die XXI. Februarii complevit, & roboravit Michael Adamo S. Caſſiani Presbyter, & Notarius (B).

In ornatiorem deinde formam ineunte Sæculo XVIII. Templum renovatum eſt, & magnificis aris inſtructum; in quarum

una

una, quæ Chriſtum Crucifixum Matthæi Ponzonii manu depictum exhibet, Divi Caſſiani Martyris (non tamen Epiſcopi Eccleſiæ Titularis) corpus e Romanis cryptis Venetias deductum aſſervatur. Ad aliud pariter altare Divo Franciſco Seraphico ſacrum (cujus tabulam egregie Franciſcus Ruſchius depinxit) marmoreo loculo clauditur pars Cranii S. Dionyſii Areopagitæ argenteis laminis circumornata, queis inciſum legitur Græcis verbis ipſius Martyris nomen; altero quoque ad eandem aram loculo menti portio ſervatur, quæ Divi Laurentii eſſe dicitur ex Græca argentea inſcriptione, quæ ſacro oſſi adhærens nomen Sancti Levitæ refert.

Aræ Principis tabula, quæ Chriſtum reſurgentem, Divosque Caſſianum & Ceciliam habet, Jacobi Tinctoretti opus eſt, qui & Dominum Crucifixum, atque ad inferos deſcendentem in utroque Sacelli latere repræſentavit. Valvas quoque Organi pneumatici Annuntiationem Virginis, Divosque Caſſianum, & Ceciliam referentes pinxit. Ad Divi Joannis Baptiſtæ aram Palma ſenior Præcurſorem ipſum inter alios Sanctos ſtantem laudatiſſimo opere expreſſit. Leander quoque Baſſanus aliique egregii Pictores ad Eccleſiæ ornatum artis ſuæ ſtudia contulerunt.

Conſecrationis memoria marmore ad Sacrarii interiorem parietem deſignatur.

„ Anno 1367. 25. Julii Die B. Jacobi Apoſtoli Conſecrata fuit
„ Eccleſia S. Caſſiani Epiſcopi, & Martyris, & Altaria, P. Vener.
„ D. D. Paulum Fuſcari Epiſcopum Caſtellanenſem, una
„ Cum D. Ubaldo Epiſc. Caprularum; & Fratre Petro Epiſc.
„ Cretenſe.

Ex adverſa vero parte appoſita cernitur alia Epigraphes, quæ ipſius Sacrarii renovationem oſtendit.

„ Sacrarium hoc Olim rude & anguſtum Nunc vero hujus Ec-
„ cleſiæ R. Capituli, Cleri, ac Pareciæ impenſis D. Fauſtino
„ Olivi J. U. D. Plebano Ad meliorem, & ampliorem formam
„ redactum Altari quoque ac pavimento Carolus Comes a Me-
„ dico Sacerdos Ære proprio decoravit Anno D. 1746.

Plebani Eccleſiæ S. Caſſiani Epiſc. & Martyr. ordine Chronologico diſpoſiti.

981. Urſus Magadiſius Petri filius ex Vicario Eccleſiæ Sancti Caſſiani Epiſcopus Olivolenſis. Ex Dandulo lib. VIII. Sanuto & aliis.

1074. Saturninus Pleb. & Not. Rogavit conceſſionem factam Dominico Patriarchæ Gradenſi a Duce Venetiarum Dominico Sylvio.

1155. Joannes Cirinus Not. Ex Archivo Patriarchali.

1165. Andreas Not. Ex Arch. S. Joannis de Torcello.

1182. Petrus Aycardo Teſtis in juramento Dominici Minoto Plebani S. Sylveſtri ad Patriarcham Gradenſem.

1188. Dominicus Pino. Ex Bulla Clementis Papæ III. ad ipſum data.

1232. N. Donationem accepit Jacobi Minoto, de qua ſuperius.

1322. Dominicus Michael. Ex rog. Petri de Rubeis Pleb. S. Nicolai & Not.

1347. Victor. Ex rog. Donati de Gebellinis Pleb. Sanctæ Agathæ & Not.

1349. Odoricus de Brutis prius Presbyter S. Moyſis, Notarius, & Aulæ inclyti Ducis Venetiarum Cancellarius. Ex rogitis ejusdem.

1377. Franciſcus Cavazza filius Omniboni & Beriolæ Cavazza. Hic diverſus eſt ab eo, qui eodem tempore invenitur ejusdem nominis & agnominis Pleb. S. Ubaldi. Unus fuit ex quinque Canonicis S. Marci qui elegerunt Franciſcum Bembum Primicerium S. Marci. In inſtrumento electionis dicitur Canonicus S. Marci & Pleb. S. Caſſiani.

1395. Zigardus de Zigardis Not. Ex ejus rog. in quibus ab anno 1378. ad annum uſque 1391. vocatur Presbyt. Eccleſiæ S. Martini, mox annis 1392. & 1393. dicitur Pleb. S. Martini. Ab anno vero 1394. ad annum 1397. Pleb. S. Caſſiani, & demum anno 1399. iterato Pleb. S. Martini. Ex iis itaque dicendum eſt anno 1398. renun-

nuntiaſſe Zigardum Plebanatui S. Caſſiani, & ad Eccleſiam S. Martini rediiſſe; ſiquidem anno 1398. quo vocatur Pleb. S. Martini, Parœciam S. Caſſiani alter Pleb. adminiſtrabat.

1398. Victor Datallo. Ex rog. Marci Bocaſini Pleb. S. Hermacoræ & Not.

1420. Franciſcus Paulo Not. Ex rog. ejusdem.

1423. Michael Belli prius Pleb. S. Mariæ Matris Domini Not. Venetiar. & Officii Curiæ Examinator. Scriba exemplavit donationem Jacobi Minoto factam Eccleſiæ S. Caſſiani, de qua ſuperius his verbis: *Ego Michael Belli Eccleſiæ S. Caſſiani Plebanus Notarius Venetiarum & Officii Curiæ Examinatorum hoc exemplum fideliter ſcripſi, & exemplavi nihil addens, ſeu minuens, quod ſenſum mutet, aut variet intellectum in milleſimo quadringenteſimo vigeſimoſexto die* XIX. *menſis Julii Indict.* IV. *Rivoalti*.

1435. Antonius Michaeli. Ex rog. Joannis Rizzo Pleb. S. Sophiæ, & Not.

1446. Joannes Ceto. Ex rog. Benedicti de Omnibono Pleb. S. Pauli, & Not.

1469. Andreas Baronus. Ex Cataſt. Eccleſiæ.

1480. Andreas de Armanis. Ex Cataſt. Eccl.

1494. Franciſcus Cinganus. Ex Cataſt. Eccl.

1508. Aloyſius ſeu Ludovicus de Madiis, Guidi Artium & Medicinæ Doctoris filius, olim Diac. S. Mariæ Matris Domini. Ex Cataſt. Eccl.

1521. Joannes Triviſano Nicolai de Corone filius Archipresbyter Congregationis Sancti Hermacoræ & Canonicus Coronenſis. Ex ipſius Teſtamento. Obiit 10. Julii 1545.

1545. Gaſpar Blanchus. Obiit 19. Maii 1561. Ex Arch. Eccl.

1561. Jo: Baptiſta Licinius Canon. Caſtell. Obiit 16. Novembris 1568. Ex Arch. Eccl.

1568. Franciſcus Cicha. Obiit 23. Julii 1571.

1571. Petrus Falconus. Obiit 1591.

1591. Bernardinus Bellinus Archipresbyter Congregationis S. Hermacoræ.

1598. Vincentius Cataneus. Obiit 1630. Mor. Ven. die 7. Januarii.

1630. M. V. Julius Peccinus, Canonicus Ducalis & Archipresbyter Congregationis Sancti Sylveſtri. Obiit 3. Octob. 1656.

1659. 9. Octob. Antonius Pantaſius. Obiit 10. Octob. 1673.

1673. Dominicus Orlandini vir eximiæ in pauperes miſericordiæ, in quos univerſa bona ſua vivens erogavit. Ob. 3. Octob. 1713.

1713. Nicolaus Roſea Canonicus Ducalis Baſilicæ, Archipresbyter Congregationis S. Michaelis Archangeli. Obiit 12. Apr. 1737.

1737. 26. Apr. Joann. Maria Morati J. U. D. Conſervator Bullæ Clementinæ. Obiit 8. Novemb. 1745.

1745. 12. Novembris. Fauſtinus Olivi J. U. D. Canonicus Caſtellanus.

Cle-

Clemens Papa III, Eccleſiam S. Caſſiani Venetiarum ſub Sancti Petri protectione recipit, atque ejuſdem jura, & redditus Apoſtolica auctoritate confirmat.

A.

1188. 9. Junii.

Ex Archivo ipſius Eccleſiæ.

CLemens Epiſcopus Servus Servorum Dei. Dilectis filiis Dominico Pino Plebano Sancti Caſſiani, ejusque Procuratoribus, & ejus ſucceſſoribus Canonice ſubſtituendis in perpetuum. Pie poſtulatio voluntatis effectu debet proſequente compleri, ut & devotionis ſinceritas laudabiliter eniteſcat, & utilitas poſtulata vires indubitanter aſſumat. Eapropter dilecti in Domino filii veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & prefatam Eccleſiam Sancti Caſſiani, in qua divino mancipati eſtis obſequio ſub B. Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, & preſentis ſcripti patrocinio communimus, ſtatuentes, ut quaſcumque poſſeſſiones, quecunque bona eadem Eccleſia in preſentiarum juſte & Canonice poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum vel Principum oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis præſtante Domino poterit adipiſci, firma vobis veſtriſque ſucceſſoribus & illibata permaneant, in quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis: Locum ipſum, in quo prefata Eccleſia ſita eſt cum omnibus pertinentiis ſuis, cum terris, & callibus eidem Eccleſie pertinentibus; preterea quartam partem Parochialium Decimarum, que ad Clericos ſpectat, quam Ven. Frater Noſter Henricus Gradenſis Patriarcha de aſſenſu Ven. Fr. Noſtri Marci Caſtellani Epiſcopi ad mandatum bone memorie Urbani predeceſſoris noſtri vobis Canonice conceſſiſſe dinoſcitur, ſicut eam juſte ac pacifice poſſidetis: ad exemplar ejuſdem Urbani, & Fel. Rec. Gregorii Prædeceſſorum Noſtrorum (a) Romanorum Pontificum auctoritate vobis Apoſtolica confirmamus. Quia vero de quarta parte, que reſtaurationi eſt Eccleſie deputata, quartam ſibi & ſucceſſoribus ſuis memoratus Episcopus pro Matricis Eccleſie utilitate perpetuo reſervavit, & alias partes ejusdem quarte tibi & ſucceſſoribus tuis in communi privilegio Plebanis, Sacerdotibus, atque Clericis aliarum Eccleſiarum conceſſo pro reſficiendis Eccleſie tue fabricis atque libris, aliiſque neceſſitatibus ſtatute conferendas; ac de quarta pauperibus aſſignata, ſicut ex tenore privilegii ejuſdem Epiſcopi manifeſte comparuit, tres partes Parrochie tue pauperibus ſtatuit idem Epiſcopus erogandas, quarta ſibi dum viveret reſervata; Nos conceſſionem ipſam, ſicut ab eodem Epiſcopo Canonice facta eſt, & ſcripto autentico confirmata, preſentis ſcripti pagina roboramus, faciendi preterea ſecuritatis chaſtulas Parochianis tuis, a quibus decimas receperis, plenam tibi & ſucceſſoribus tuis tribuimus faculratem. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum fas ſit, prefatam Eccleſiam temere perturbare, aut ejus poſſeſſiones aufferre, vel ablatas retinere, minuere, ſeu quibuslibet vexationibus fatigare, ſed omnia integra conſerventur, eorum pro quorum gubernatione, ac ſuſtentatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura. Salva Sedis Apoſtolice auctoritate & Dioceſani Epiſcopi canonice juſtitia. Si qua igitur in futurum Eccleſiaſtica, ſecularisve perſona, hanc

noſtre

(a) Urbanus nempe III. & Gregorius VIII. qui Clementem III. immediate præceſſerunt.

noſtre Conſtitutionis paginam ſciens contra eam temere venire temptaverit, ſecundo tertiove commonita, niſi reatum ſuum congrua ſatisfatione correxerit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe divino juditio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a Sacratiſſimo Corpore, ac Sanguine Dei, & Domini Redemptoris Noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtricte ultioni ſubjaceat. Cunctis autem loco ſua jura ſervantibus, ſit pax Domini Noſtri Jeſu Chriſti quatenus & hic fructum bone actionis percipiant, & apud diſtrictum Judicem premia eterne pacis inveniant. Amen.

Ego Clemens Catholicæ Eccleſie Epiſcopus ſſ.
✠ Ego Theobaldus Hoſtienſis, & Velletrenſis Epiſcopus ſſ.
✠ Ego Joannes Præsb. Card. tit. S. Marci ſs.
✠ Ego Laborans Præsb. Card. S. Mariæ Tranſtiberim tit. Caliſti ſs.
✠ Ego Pandulphus Præsb. Card. Baſilicæ XII. Apoſtolorum ſs.
✠ Ego Melior Præsb. Card. S. Joan. & Pauli tit. Pamachii ſs.
✠ Ego Petrus Præsb. Card. tit. S. Ceciliæ ſs.
✠ Ego Redulphus tit. S. Praxedis Presb. Card. ſs.
✠ Ego Jacobus Diac. Card. S. Mariæ Coſmedin ſs.
✠ Ego Gratianus S. Coſmæ & Damiani Diac. Card. ſs.
✠ Ego Octavianus S. Sergii & Bacchi Diac. Card. ſs.
✠ Ego Sofredus S. Mariæ in Via Lata Diac. Card. ſs.
✠ Ego Gregorius S. Mariæ in Porticu Diac. Card. ſs.
✠ Ego Jo: Felix Diac. Card. S. Euſtachii juxta Templum Agrippæ ſs.
✠ Ego Joannes S. Theodori Diac. Card. ſs.

Datum Laterani per manum Moyſi S. R. E. Subdiac. Vicem-agentis Cancellar. v. Idus Junii Indict. VI. Incarn. Dominicæ Anno MCLXXXVIII. Pontificatus D. Clementis Pp. III. Anno Primo.

D. Jacobus Minotto de confinio S. Caſſiani Plebano & Procuratoribus Eccleſiæ S. Caſſiani, qui erunt per tempora, offert omnes ſuas proprietates domorum poſitas in eadem Paræcia ad pios uſus Eccleſiæ & Pauperum.

B.

1232. 21. Februarii.

Ex Archivo ejuſdem Eccleſiæ.

In Nomine Domini Dei & Salvatoris Noſtri Jeſu Chriſti. Anno Domini milleſimo ducenteſimo triceſimo ſecundo die octava exeunte menſe Februarii Indictione ſexta Rivoalti. Cum in hoc ſeculo nihil ſit firmum nihilque ſtabile, ſed potius umbratile & caducum, cor noſtrum pia devotione compungitur, ſi bona noſtris ſudoribus acquiſita, ſic, diſponente Domino, fuerint diſpenſata; quod in preſenti mundo nobis deſerviant, & in futuro ipſorum juvamine non privemur. Idcirco ego Jacobus Minoto de confinio S. Caſſiani ab hodie in antea in Dei & Chriſti nomine ob remedium Animæ meæ, & parentum, ac propinquorum meorum do, offero, atque tranſacto cum

meis

meis heredibus vobis Plebano Eccleſiæ S. Caſſiani, & Procuratori ipſius Eccleſiæ, qui erunt per tempora totas meas proprietates terrarum & caſarum cohopertas, & discohopertas in ſupraſcripto confinio poſitas, que quidem proprietates firmant unum ſuum caput per totum in rivo ſaponarie & aliud ſuum caput firmat partim in quodam calli, qui revolvitur in .... dictarum proprieatum, qui callis communis eſt convicinantibus & ſupraſcriptis proprietatibus, & partim in proprietate que fuit qu: Guidonis à Caſtello. Unum vero ſuum latus firmat in heredes q: Joannis Longo lo bello. Aliud quoque ſuum latus firmat in ruozzollo. Has ſiquidem cunctas & ſupertotas ſupraſcriptas, & predeſſignatas meas proprietates terras & Caſas cohopertas & diſcohopertas, cum omni longitudine & latitudine ſua, cum capitibus, & lateribus ſuis, cum callibus quoque & viis ſuis, cum acceſſu & eggreſſu ſuo per terram & per aquam, & cum omnibus ſuis habentiis & pertinentiis ſeu adjacentiis ſuis intus, & foris, que tam ſubtus terram, quam ſupraterram ibidem adeſſe noscuntur, & ſecundum quod ab auctoribus, & proauctoribus meis poſſeſſe fuerunt, & retente, & a me uſque modo extiterunt dominate, ita vobis eas do, offero, atque tranſacto, ut pleniſſimam virtutem & poteſtatem habeatis ipſas intromittendi, habendi, tenendi, dominandi, & inperpetuum poſſidendi nullo vobis homine contradicente, cum omni vigore & robore de omnibus chartis novis & veteribus ad dictas proprietates pertinentibus. Quapropter plenam & irrevocabilem ſecuritatem facio ego Jacobus Minoto ſupradictus cum meis heredibus vobis prefatis Plebano & Procuratoribus Eccleſie S. Caſſiani, & ceteris Plebanis, & Procuratoribus, qui erunt per tempora, quatenus de ſupraſcriptis proprietatibus ſecuri & quieti permaneatis inperpetuum, quia nihil inde remanſit, unde vos amplius requirere, aut compellere valeam per ullum ingenium, ſalvo eo quod donec vixero ſupraſcripte proprietates in mea debent remanere poteſtate ad faciendum inde quidquid mihi inde placuerit. Et poſt obitum meum ſupraſcripte proprietates remanere debeant in Poretam dilectam uxorem meam & Mariam filiam meam ad ſuſcipiendum reditum ex ipſis & locandum ad penſionem donec ipſe vixerint. Cum vero aliqua earum obierit, reditus ipſarum proprietatum deveniat in ſuperviventem. Poſt obitum quoque ambarum ipſa donationis & offertionis charta cum omni vigore & robore in dictum Plebanum & Procuratorem ſive Plebanos & Procuratores, qui erunt per tempora in Eccleſia S. Caſſiani debeant devenire. Ita tamen quod reditus, qui pervenerint ex ipſis proprietatibus, ſecundum Ordinem inferius denotandum diſtribuantur. In primis Plebanus & Clerici Eccleſiæ S. Caſſiani exinde habeant annuatim libras denariorum Venetorum quatuor, que inter eos dividi debeant eo modo, quo decime dividuntur. Et rogo eos, quod Dei intuitu mihi anniverſarium facere debeant, & eo die facere etiam commemorationem pro animabus parentum ac propinquorum meorum defunctorum; & in opus ejusdem Eccleſie S. Caſſiani dentur annuatim ſoldi Venetorum denariorum quadraginta. Pauperes quoque Hoſpitalis S. Marie Cruciferorum exinde habeant omni anno libras denariorum Venetorum tres; Pauperes Hoſpitalis S. Trinitatis (*a*) exinde habeant omni anno libras tres; Pauperes Hoſpitalis S. Joannis Evangeliſtæ (*b*) exinde habeant annuatim ſoldos denariorum Venetorum quadraginta. Monaſterium S. Petri Caſalba, (*c*) inde habeat omni anno libras denario-

rum

(*a*) Hoſpitale SS. Trinitatis eo loci ſitum erat, ubi nunc conſpicitur magnificum Templum S. Mariæ Salutis.

(*b*) Hoſpitale S. Joannis Evangeliſtæ de jure Prioratus Familiæ Baduariæ ædificatum fuit prope ejuſdem Apoſtoli Eccleſiam.

(*c*) De nunc diruto Monaſterio S. Petri Caſacalba ſermo erit ubi de Eccleſiis Torcellanis.

rum Venetorum tres. Petrus filius meus, dum vixerit, annuatim exinde habeat libras denariorum Venetorum tres. Auria Roſſo Neptis mea Monacha S. Laurentii de Rivoalto exinde habeat omni anno, dum vixerit, ſoldos denariorum Venetorum quadraginta pro ſuis utilitatibus faciendis. De reſiduo vero ipſius reditus reparentur dicte proprietates ſecundum quod videbitur & placuerit Plebano & Procuratoribus Eccleſie S. Caſſiani, qui erunt per tempora. Totum vero quod ſuperfuerit diſtribuatur à Plebano & Procuratoribus inter pauperes de confinio jamdicti S. Caſſiani. Si vero Eccleſia Plebanatus vacaret, tunc major Sacerdos Eccleſie ſit cum Procuratore, qui omnia ſicut Plebanus debeat cum Procuratore adimplere, donec Eccleſia Plebanum habebit, & ſtatim cum Plebanus in dicta Eccleſia erit, idem Plebanus ſecundum Ordinem ſuperius denotatum cum Procuratore ipſius Eccleſie ſupraſcripta omnia facere debeat. Quod ſi dicta Eccleſia non haberet Procuratorem, tunc major Sacerdos ſit cum Plebano ad faciendum omnia ſupradicta, ſicut faceret Procurator, ſi in ejuſdem Eccleſie Procuratia eſſet. Que quidem proprietates nullo unquam tempore debeant alienari, ſed perpetualiter ex earum proprietatum reditibus ita fieri debeat, ſicut ſuperius eſt denotatum, tam per Plebanum quam per Procuratorem, qui erunt per tempora in dicta Eccleſia S. Caſſiani. Ita tamen quod poteſtas de predictis omnibus ſit communiter in dictis Plebano & Procuratore, qui erunt per tempora, aut in majore Sacerdote Eccleſie, ſi Plebanatus vacaret, aut in Plebano & majore Sacerdote, ſi Eccleſia non haberet Procuratorem, ut ſuperius denotatum eſt. Si igitur contra hanc donationis & offertionis chartam ire temptavero, tunc emendare debeam cum meis heredibus vobis prefatis Plebano & Procuratori vel Sacerdoti, & vobis in ſupraſcripto modo & Ordine denotato ſuccedentibus, auri libras quinque. Et hec dationis & offertionis charta in ſua permaneat firmitate. Signum ſupraſcripti Jacobi, qui hec rogavit fieri. Ego Marcus Franco Clericus teſtis ſs. Ego Bartholomeus Rambando Clericus teſtis ſs. Ego Michael Adamo S. Caſſiani Presb. & Notarius complevi & roboravi.

FINIS.

CATA-

CATALOGO DE' SIG.RI ASSOCIATI,

Per ordine d' Alfabeto.

VENEZIA.

Monſ. Ill. e R.mo Alviſe Foſcari Patriarca di Venezia.

N. H. ſ. Alviſe Co: Manin.

N. H. ſ. Alviſe Sangiantoffetti fu de ſ. Benetto.

N. H. ſ. Almorò Barbaro.

N. H. ſ. Alviſe Mocenigo K. Pr.

N. H. ſ. Ambroſo Priuli.

N. H. ſ. Ant.nio Co: Savorgnano.

N. H. ſ. Andrea Corner fu de ſ. Marco.

N. H. ſ. Andrea Memo de ſ. Piero.

N. H. ſ. Z. Antonio Riva fu de ſ. Alviſe.

N. H. ſ. Antonio Mocenigo K.

N. H. ſ. Antonio Vanaxel.

N. H. ſ. Andrea da Lezze 3.zo K.

Ill. Sig. Dottor Arcadio Capello Medico Fiſico.

Ill. Sig. Andrea Poletti.

Ill. Sig. Angelo Sabini.

R.mo Sig. D. Antonio Buſi Canonico Patriarcale, e Pievano di S. Giuliano.

R.mo Sig. D. Angelo Armetti Pievano di S. Silveſtro.

R.mo Sig. D. Angelo Ruopelli Pievano di Santi Apoſtoli.

Il Molto Rev. P. D. Agoſtino Orzalli C. R. T.

M. R. D. Antonio Speziale Curato in S. Canziano.

P. D. Anſelmo Coſtadoni M. Camald.

Sig. Antonio Zanon.

Sig. Angelo Paſinello.

N. H. ſ. Barbon Moroſini K. Pr.

N. H. ſ. Bernardo Nani fu de ſ. Antonio.

Sig. Eredi Baglioni.

R.mo Sig. D. Bartolomeo Treviſan, Protonotario Apoſtolico, Canon. della Cattedrale, Arciprete della Congr. di S. Salvatore, Pievano di SS. Ermacora, e Fortunato.

Ill. Sig. Canonico Bocchi di Treviſo.

M. R. P.e Bernardo Maria de Rubeis.

R.mo Sig. D. Bartolomeo Carminati Pievano di S. Polo, Vicario di S. Marco.

N. H. ſ. Domenico Gritti fu de ſ. Marc'Antonio.

R.mo Canon. D. Domenico Monelli di Caſtello.

N. H. ſ. Franceſco Piſani fu del Sereniſſimo.

N. H. ſ. Franceſco Ab. Baglioni.

N. H. ſ. Franceſco Rota fu de ſ. Gregorio.

Ill. Sig. Co: Fanſogna.
Ill. Sig. Franceſco Contarini.
R.mo P. Fanzelli Gen. dell'Ordine de' Servi.
Pad. D. Franceſco Vezelli Provinciale de' C. R. S.
Il. Sig. Franceſco Rigoni.
N. H. ſ. Gerolamo Aſcanio Giuſtinian fu de miſ.Gerolamo Pr.
N. H. ſ. Gio: Antonio Crotta.
N. D. Giulia Rota Monaca in S. Andrea.
Ill. Sig. Gabriel Rombenchi Conſole di Spagna e delle due Sicilie.
Ill. Sig. Dottor Giovanni Paini.
Ill. Sig. D.r Giambattiſta Caroldi.
Ill. Sig. Giuſeppe Comincioli.
Ill. Sig. Abb. Giacomo da Riva.
Ill. Sig. Grazioſo Bertocco.
M. R. Sig. Dott. D. Giuſeppe Bettoni.
Sig. Dottor D. Giuſeppe Piacentini di S. M. Zobenigo.
R.mo Sig. D. Giacomo Marchetti Canon. di S. Marco, e Pievano di S. M. Mater Domini.
R.mo Sig. D. Giuſeppe Petrogalli Canon. di S. Marco, e Pievano di S. Maurizio.
R.mo Sig. D. Giandomenico Tamagnon Pievano di San Canciano.
R.mo Sig. D. Gregorio Bianchi Canon. della Cattedrale, Arciprete della Congregazione di S. Angelo, Pievano di S. Pantalon.
R.mo Sig. D. Giambattiſta Orſini Pievano di S. Giminiano.
R.mo Sig. D. Giambattiſta Brunello Pievano di S. Tomà.
R.mo Sig. D. Girolamo Calura Pievano in San Salvator di Murano.
R.mo P. Ab. Gianalberto Grandi Exgenerale, e Viſitatore de' Canon. R. di S. Salvatore.
R.mo D. Giovanni Ipſi Ab. Gen. de' Camaldoleſi.
P. D. Gianagoſtino Gradenigo Monaco Caſſinenſe.
Il M. R. P. D. Giambatiſta Borini della Congregazione del B. Pietro da Piſa.
P. Giuſeppe Zauli della Compagnia di Gesù.
P. Girolamo Lombardi della Compagnia di Gesù, per due.
Il M. R. Sig. D. Giambatiſta Cadorin.
Il M. R. Sig. D. Giuſeppe Rimondi.
R.mo Pad. Gianfranceſco Baldini Generale de' C. R. S.
Pad. Maeſt. Giuſeppe Maria Bergantini Provinc. de' Servi di Maria.
Il Sig. D. Giambattiſta Granzotti di S. Vidal.
Il Sig. Dott. Giacomo Bagattini.
Sig. Dott. D. Giambatt. Baroni.
Sig. Giambattiſta Recurti.
Sig. Giovanni Aſtolfi.
N. H. ſ. Ignazio Co: Barziza.
Sua Ecc. il Sig. Leopoldo Co: Taſſis.

La

La Libreria della Caſa profeſſa della Compagnia di Gesù di Venezia.
La Libreria de' PP. Reformati di Venezia.
La Libreria de' PP. Camaldoleſi di S. Mattia di Murano.
N. H. ſ. Marco Foſcarini K. e Proc.
N. H. ſ. Marin Contarini S. Marcilian.
N. H. ſ. Marco Co: Flangini.
N. H. ſ. Marco Molin.
Ill. Sig. Marc'Antonio Buſinello Segretario dell'Ecc. Senato.
Ill. Sig. Manfredo Piantoni.
Sig. Medoro Segatti.
Le R.R. Monache della Croce della Giudecca.
Il M. R. P. D. Nicolò Giuſtiniani Priore Caſſinenſe.
N. H. ſ. Pietro Querini fu de ſ. Marchiò.
N. H. ſ. Pietro Garzoni.
N. H. ſ. Pier Gerolamo Capello.
Ill. Sig. Pietro Franceſchi.
R.mo Sig. D. Pace Carnio Vicario perpetuo di S. Bortolamio, e Canon. Patriarcale.
Li R.mi Preſidenti al Collegio delle nove Congregazioni.
N. H. ſ. Sebaſtian Piſani.
Ill. Sig. Santorio Santorio Segretario dell'Ecc. Senato.
R.mo Sig. D. Simon Giuſeppe Graſſetti, Arcipr. della Congregaz. di S. Luca, e Pievano di S. Moisè.
Il M.R.Sig.D. Sebaſtiano Sandri.
Sig. Tommaſo Temanza Architetto ed Ingegnere della Ser. Rep. di Venezia.
N. H. ſ. Vicenzo Gradenigo fu de ſ. Vicenzo ſecondo.
Sig. Vicenzo Tolazzi.
N. H. ſ. Zuanne Soranzo fu de miſ. Franceſco Proc.
N. H. ſ. Zuanne Magno.

ANVERSA.

Li RR. PP. Bollandiſti.

BAVIERA.

Il Sig. Giampaolo Gaſpari.

BOLOGNA.

Ill. Sig. Franceſco Argelati per due.
Il Sig. Pompilio Lorenzo Co: Mitti.

CHIARIGNAGO.

R.mo Sig. D. Vittorio Allegri Dottore, e Paroco di Chiarignago.

CHIOGGIA.

Ill. e R.mo Monſ. Paolo Franceſco Giuſtiniani Veſcovo di Chioggia.

FIRENZE.

Ill. Sig. Dottor Gianfranceſco Gori.
Ill. Sig. Giuſeppe Rigaci.

LUCCA.

Il M.R.P. Giandomenico Manſi.

MILANO.

Ill. Sig. Segretario Filippo Argelati per ſei.

NORIMBERGA.

Ill. Sig. Giovanni Baldaſſare Starch.

PA-

PADOVA.

Sua Eminenza il Sig. Cardinale Carlo Rezzonico Veſcovo di Padova.

Monſ. Ill. Pellegrin Canon. Co: Ferro.

La Libreria de'Monaci Caſinenſi di S. Giuſtina.

PARENZO.

Il Convento de' RR. PP. Domēnicani Oſſervanti.

RAVENNA.

La Libreria di Claſſe.

ROVIGO.

Ill. Sig. Lodovico Campo Canonico.

UDINE.

Sua Eminenza il Sig. Cardinal Dolfin.

VERONA.

Il Rev. Sig. Canon. Arciprete Gianfranceſco Muſelli.

VICENZA.

Monſ. Ill. e R.mo Antonio Priuli Veſcovo di Vicenza.

Nel Tomo Terzo ſi regiſtreranno gli altri, non avendo permeſſo la riſtrettezza del tempo di raccoglierli tutti.

Catalogus Librorum, quos ſui Typis edidit Jo: BAPTISTA PASQUALI ad Annum 1749.

BAllonii, Gulielmi, *Opera omnia a Jacobo Thevart in unum collecta*. 1736. 4. Vol. 4.
- - - *Idem charta magna*. 4. Vol. 4.
Beveregii, Gulielmi, *Inſtitutionum Chronologicarum Libri duo, editio accuratior*. 1737. 8.
Brunatii, Joannis, *de Re Nummaria Patavinorum*. 1744. 8. cum figuris.
Cignani, Caroli, *Monochromata ſeptem, a Jo: Michaele Liotard Genevenſi ære inciſa, videlicet:* I. Cupido face armatus. II. Cupido triumphans. III. Luctatio Amoris cum Pane. IV. Daphne in laurum mutata. V. Raptus Europæ. VI. Ariadnæ cum Baccho nuptiæ. VII. Veneris Triumphus. 1742. Fol. Max.
Concinæ, F. Nicolai, *e Congreg. B. Jacobi Salomonii, Juris naturalis & Gentium doctrina Metaphyſicæ aſſerta*. 1736. 8.
Boerhaave Hermanni, *Conſultationes Medicæ, ſive Sylloge Epiſtolarum cum ejuſdem reſponſis*. 1744. 8.
C. Criſpi Salluſtii, *quæ exſtant, item Epiſtolæ de Republica ordinanda, Declamaito in Ciceronem, & Pſeudo-Ciceronis in Saluſtium, necnon* Julius Exſuperantius *de Bellis Civilibus, ac* Portius Latro. *in Catilinam, recenſuit & adnotationibus illuſtravit* Gottlieb Cortius. 1737. 4.
- - - *Idem Charta majori*.
Dantis Aligherii *Florentini Monarchia, nunc primum in lucem edita. Coloniæ Allobrogum*. 1740. 8.
Bionis & Moſchi *Idyllia, ex recenſione Nicolai Schwebelii Norimbergenſis, cum ejuſdem animadverſionibus, accedunt Urſini, Vulcanii, Stephani, Scaligeri, Caſauboni, Heinſii, Xylandri, Palmerii, Longapetræi Notæ, ut & verſiones metricæ, Gallica Longapetræi, & Latina Withfordi*. 1746. 8. *g. l.*
G. I. 's Graveſande, *Introductio ad Philoſophiam, Metaphyſicam & Logicam*. 1747. 8.
Inſtitutiones Catholicæ in modum Catecheſeos, ex Gallico Idiomate in Latinum ſermonem translatæ, Auctore Franciſco-Amato Pouget. fol. Vol. 2. 1742.
Lamindus Pritanius, (Ludovicus Muratorius) *de Ingeniorum moderatione in Religionis negotio. Editio tertia Veneta, præcedentibus accuratior & caſtigatior*. 1741. 4.
Modulamina Sacra, *decantanda in Orphanotrophio Incurabilium*. 1744. in 16.
Rubeis Fr. Jo: Franciſcus M. *Monumenta Eccleſiæ Aquilejenſis, Commentario Hiſtorico Chronologico-Critico illuſtrata, Argentinæ* 1740. fol.
Officium B. M. V. ære inciſum, cum figuris a celeberrimo Jo: Bapt. Piazzetta *delineatis*. 1740.
Opuſcula omnia, *Actis Eruditorum Lipſienſibus inſerta, quæ ad univerſam Matheſim, Phyſicam, Medicinam, Anatomiam, Chirurgiam, & Philologiam pertinent, ab anno 1682. ad an. 1740. incluſive*. 4. Vol. 7. *cum nitidiſſimis figuris per ſubſcriptionem, & ſolvuntur pro unoquoque Tomo* Lib. Ven. 20.
Patarol Laurentii, *Opera omnia, quorum pleraque nunc primum in lucem prodeunt*. 1743. 4. Vol. 2. cum fig.
Pub. Virgilii Maronis *Opera, cum integris Commentariis* Servii, Philargirii, & Pierii; *accedunt* Scaligeri, & Lindenbrogii *Notæ ad Culicem, Cirin & Catalecta, recenſuit ad Codicem MS. Regium Pariſienſem* Pancratius Maſvicius. 1736. 4. Vol. 2.
- - - *Idem charta majori*.
Ricci Sebaſtiani, *Pictoris celeberrimi Opera præſtantiora a Jo: Michaele Liotard Genevenſi ære expreſſa, videlicet:* I. Chriſtus cum Samaritana. II. Concio Chriſti in monte. III. Mulier ſanguinis profluvio ſanatur. IV. Adoratio Magorum. V. Paralyticus ad Piſcinam. VI. Adulteræ peccata remiſſa. VII. Maria Chriſtum ungit. Venet. 1742. fol. max.
Theſaurus *Romanarum, & Græcarum Antiquitatum a* Gravio & Gronovio *congeſtus, tribus auctus Supplementorum voluminibus a* Jacobo Sallengre, *quibus nunc demum accedunt nova Supple-*

plementa a Joanne Poleno *congeſta*. fol. Vol. 33. cum innumeris figuris. *Opus abſolutum*.

A Turre, Philippi, *de Annis Imperii M. Antonini Elagabali, ac de initio Imperii Alexandri Diſſertatio Apologetica ſecunda*. *Opus poſthumum, addita Auctoris vita a* Cl. Viro Juſto Fontanino ſcripta. 1741. 4.

Van-Swieten Gerardi *Commentaria in Hermanni Boerhaave Aphoriſmos de cognoſcendis & curandis Morbis*. 4. 1747. Vol. 3.

Urbis Venetiarum Proſpectus celebriores, ex Antonii Canalis Tabulis XXXVIII. *ære expreſſi ab Antonio Viſentini, & in tres partes diſtributi*. 1744. fol. max.

Rubeis, Franciſcus M. *de Nummis Patriarcharum Aquilejenſium diſſertatio*. Ven. 1748. 4. cum fig.

Muratorius, Ludovicus, *de rebus Liturgicis*. Fol. vol. 2. cum fig. ſub prœlo.

AMinta, Favola Boſcareccia di *Torquato Taſſo*, con le Annot. d' *Egidio Menagio*. 1636. 8.

Annali d'Italia dall'anno primo dell'Era volgare ſino all'anno 1500. del Sig. Muratori. 4. Vol. IX. 1744. per ſottoſcrizione a L. 10. il Tomo. il Tomo X. XI. XII. che arriva ſino all' anno 1749.

Iſtoria d'Italia, di M. Franceſco Guicciardini, edizione corretta ed intiera, alla quale ſi ſono aggiunte le Annotazioni del Porcacchi e di Remigio Fiorentino, premeſſa la Vita dell' Autore nuovamente ſcritta dal dottiſſimo Sig. Domenico Maria Manni Fiorentino, ed il Ritratto cavato dalla Galeria Medicea; ed in fine aggiunte le Conſiderazioni di Giambattiſta Leoni. 1739. Fol. Vol. 2. con moltiſſimi Rami.

Biblioteca univerſale ſacro-profana, antico-moderna, in cui ſi ſpiega con ordine alfabetico ogni voce anco ſtraniera, che può avere ſignificato nel noſtro Idioma Italiano, appartenente a qualunque materia. Fol. Vol. 7.

Muratori, Ludovico Antonio, Il Criſtianeſimo felice nelle Miſſioni de' Padri della Compagnia di Gesù nel Paraguai, 1743. & 1749. 4. vol. 2. con fig.

Cronologia Univerſale, che facilita lo ſtudio di qualunque Storia, edizione ſeconda accreſciuta, corretta, e migliorata. 1744. Fol.

Dante Alighieri, la Comedia tratta da quella, che pubblicarono gli Accademici della Cruſca l'anno 1595. con una breve e ſufficiente dichiarazione del ſenſo letterale. 1739. 8. Vol. 3.

- - - La ſteſſa in carta grande.

- - - Dello ſteſſo, le altre ſue Opere, cioè il Convivio, la Vita nuova, e le Epiſtole con le Note del Sig. Dottore Biſcioni, il Trattato dell' Eloquenza latino, con la traduzione del Triſſino nella lingua volgare Italiana, le Cime Latine e Italiane. 1741. 8. Vol. 2.

- - - Le ſteſſe in carta grande.

Difetti della Giuriſprudenza, Trattato del Sign. *Lodovico Antonio Muratori*. 1742. fol.

Elementi delle Matematiche, ovvero Trattato della Grandezza in generale, che contiene in tutta la ſua eſteſa l' Aritmetica, l'Algebra, e l'Analiſi di *Bernardo Lamy*, 8. Vol. 3. 1744.

Geografia Fiſica, ovvero Saggio intorno alla Storia naturale della Terra, del Sig. *Woodward*, con la giunta dell'Apologia del Saggio contro le Oſſervazioni del Dottor *Camerario*, ed un Trattato de' Foſſili d'ogni ſpezie. 1739. 8.

Grammatica Ingleſe per gl'Italiani, del Sig. *Ferdinando Altieri*, in queſta nuova edizione molto accreſciuta e migliorata. Ven. 1736. 8.

Il Grande Teatro di Venezia, contenente tutte le celebri Vedute, e più famoſe Pitture, con la deſcrizione delle medeſime. Vol. 2. carta grande.

Hiſtoire Eccleſiaſtique par M. l'Abbé Fleury Pretre, Prieur d'Argenteüil, & Confeſſeur du Roy. A Paris, chez Montalant 1742. 12. Vol. 24. *pour ſouſcription a* L. 3 *de Veniſe pour Tome*...

Le Grande Dictionaire Geographique, Hiſtorique, & Critique, par M. Bruxen la Martiniere. fol. Vol. X.

- - - *Le même en grand papier*.

Illuſtrazione del Parmenide di Platone, con una Diſſertazione preliminare del Sig. Abate *Antonio Conti* Patrizio Veneto. 1743. in 4.

3 2044 058 188 608

This book should be returned to the Library on or before the last date stamped below.

A fine is incurred by retaining it beyond the specified time.

Please return promptly.

MAR - 8 '965 ILL

4/5-963

JUN

CANCELLED

WIDENER

DEC 10 2002

CANCELLED

WIDENER

CANCELLED